LVDOVICO IVSTO XIII. REGI CHRISTIANISSIMO.

AD

CHRISTIANÆ REI PATROCINIVM.

Dedicat Fr. THOMAS CAMPANELLA, Ordin. Prædicat. tres hosce libellos, videlicet:

Atheismus Triumphatus, seu Contra Antichristianismum, &c.
De Gentilismo non retinendo.
De Prædestinatione & Reprobatione & auxiliis divinæ gratiæ Cento Thomisticus.

Donec egrediatur vt Splendor IVSTVS eius.

PARISIIS,
Apud TVSSANVM DVBRAY, viâ Iacobæâ, sub Spicis Maturis.

M. DC. XXXVI.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

INVICTISSIMO ET CLEMENTISSIMO LVDOVICO IVSTO XIII.

GALLIARVM ET NAVARRAE Regi Christianissimo, primogenito Ecclesiæ Dei, Dextro Messiæ Brachio; Auxiium de SANCTO.

CHRISTIANÆ Fidei, Ecclesiæque fidelium tutelam perennem Christianissimo Regi diuinitùs demandatam esse, sacri tituli, seu cognominis ratio, & antiquitas, seu primogenitura inter Reges Ecclesiæ filios, & gratiæ curationum charisma, & Pontificum decreta & rerum euentus, contestantur. Iudæi enim, Saraceni, Go-

thi, Vandali, Hunni, Longobardi, & quicunque Ecclesiam Dei vexare tentauerunt, armis Christianissimi Regis, aut confracti, aut deleti, aut fugati sunt, quemadmodum Historici sub Clodoueo & Carolo Magno, eiusque successoribus, factitatum memoriæ mandauerunt. (Quorum te verum Hæredem, expugnata Rupella Rebellium arce, cæterisque nidis impiorum (quod nemo politicè ausus fuisset, nisi zelo Dei armatus) in Italiam transiens victor, liberatorque nuper ostendisti.)

Diabolus autem propterea nihil non molitus olim, vt Christianissimum Regnum scissuris & hæresibus debilitaretur, quò res sua alicubi intra Christianos persecutorem validum non haberet: coegit tandem, nescio quibus dolis, Carolum V. Austriacum Imperatorem quamuis Religiosissimum, vt protestantibus principibus sectariis Germaniæ, Galliarum conterminæ, siue Catholicè, siue Hæreticè viuere velint sub Luthero Hæresiarcha, in Comitiis Augustanis, INTERIM licentiam daret.

Etenim, quia Lutherus prædicbat, Ecclesiam non habere caput visibile nisi principes Laicos (hac ambitione eos alliciendo) & principatus Apostolici vnitatem, quæ etiam Platonicis Dei character est, esse figmentum; nec debere temporalibus fulciri opibus (hac escâ eosdem captando) quorum vtrumque olim vtilissimum Galliarum Reges esse diuinitus ethumanitùs cognoscentes, curauerunt, vt sub vnitate sacri principatus vnitas Fidei staret, ne circumferamur

exitialiter omni vento doctrinæ: & Principes haberent arbitrum discordiarum inter se; ac populi quasi fideiussorem contra Tyrannidem; & omnes simul patrem collectorem animorum ac virium Christianæ Reipub. contra Infideles, Diaboli satellites. Idque vt facere valeret communium diuitiarum ope communem Patrem vallatum esse oportere, ne sicut olim in Græcia, teste Cicerone, sic nunc apud nos cogeretur inermis Pythia philippizare. Ex hoc accidit & in fide iactura quadraginta ferè Prouinciarum, & in Politica scissura: & bonorum Ecclesiasticorum communium priuata vsurpatio. Nec Roma tuta fuisset, nisi Gallica virtus, quę Christi nutu bona Ecclesię applicauit protuenda fide ac dignitate, inuasores Sanctę Ciuitatis absterruisset. Gallia tamen, contra quam Diabolus per eos, qui ab ipsa liberationem & fidei firmitatem acceperant, istheç machinabatur, latenter ac dolosè Dæmonem hęreseon accepit, qui fidem Catholicam Regni animam ipsumque corpus affligeret; & facta est pestis animorum, perenniter contra vnitatis Authorem murmurantium: Et propè erat, vt dissectis Galliæ viribus, spoliatoque summo Pontifice, Laici de Fide decernerent, ac populi amissa vnitate, ac pastore, Luporum Sophistarum Impiorum multiplex præda fierent; ac principes mutuis discordiis perirent, vel omnes sub Tyrannidem vnius ruerent; nisi Deus regni piissimi nunquam immemor, de Henrico Borbonio Saulo (extinctis Valesiis Regibus, quorum tem-

pore Dęmon irrepſerat) Paulum feciſſet. Cui etiam Te Ludouicum Iuſtum dedit filium, ſicuti Dauidi Salomonem, qui templum vnicũ Deo Cœli reędificares. Id quod tuâ virtute & Magni Miniſtri tui prudentia magna ex parte factum eſt; at & ex toto eſſet confectũ, niſi ab Aquilone & Auſtro, & ab Occaſu & Ortu vſque in cor Regni impedimẽta Abaddon, egreſſus de puteo Abyſſi ſub ſigillo v. excitaſſet, quominus Res Chriſtiana tota in priſtinũ ſtatum reſtitueretur. Ego autem Explorator negotiorum Dei, ad tuam Diuino impulſu accedo S. Maieſtatem, indicans, quòd fruſtra Claudo rectè incedere iubes, niſi prius crura ſanaueris. Crura ſunt ſcientię, quibus animus ad veritatis diuinæ & humanę fertur obiecta: claudicant hoc tempore argumento cornuto cornibus ſathanę ſauciata. Aiunt enim; Aut Deus eſt, aut non eſt. Si non eſt, vt dicunt Democritus, Leucippus, Diagoras, Epicurus, & Pſeudopolitici recentiores, viuamus, regnemus per vim, per Sophiſmata, per Hypocriſim: quia ludus eſt vita noſtra. Si eſt, vt Pythag. Anax. Plato, Stoici, Politici, & Legiſlatores aſſerunt, cauſa eſt profectò rerum omniſcia; ergo ab æterno prædeſtinauit nos ad gloriam, vel reprobauit ad gehennam, vel ad quoſcunque alios fines, per decretum, inuincibile ſibi & nobis; ergo naſcimur iudicati, non iudicandi: ergo etiam viuamus, vt lubet: neque enim bona opera noſtra nec mala poſſunt permutare ſortem; nec augere bonam, nec minuere malam: At nec ipſe rogatus Deus, cum ſit

immutabilis) ergo pariter viuamus per vim, per Sophiſmata, per Hypocriſim. Et ex hoc Principes fiunt Tyranni, populi ſeditioſi: Conſcientiæ Theologorum, in quorum manu eſt regimen Animorum, à quibus dependent corpora & fortunæ, incraſſantur, vt decipiant, tanquam ſi non eſſet Deus, vltra iubens. Semel enim iuſſit, & ſemper paret, vti nos.

Propterea contra primum cornu ſcripſi librum aduerſus Atheos, commendatū principi Apoſtolorum Petro. Et quoniam fundatur Atheiſmus in Gentiliſmo, & ſæpè in Aſtrologiſmo, adiunxi libellum de Gentiliſmo non retinendo ad Doctorem Gentium. Et diſputationem aduerſus Aſtrologiſmum iſtorum

Contra ſecundum Cornu confeci libellum de Prædeſtinatione ac Reprobatione, ad D. Thomam ſcholarum Magiſtrum, in quo fundari ſe putant, qui Maozin adorant, id eſt, Deum fortem, non autem & Sapientem & bonum, cum Mahometiſmo, ac luthero-caluiniſmo: atque D. Thomæ verba & rationes ſufficere nunc puto ad delendum ex cordibus atrociſſimum dogma. Nam ex Natura, ex ſcriptura, & ex patribus, & legiſlatoribus, & gentium conſenſu, in libro 6. Theologicorum diſputauimus: quos iudicio Regiæ Academię Pariſienſium Theologorum ſubieci, ſicuti vitam & incolumitatem, (ereptam de ſynagoga potentium, gratiſque perſequentiū (quem pro benefactis colere oportebat, vt codices mei

pro illis teſtantur) Tandem chriſtianiſſimæ Maieſtatis Protectioni: nulli, nullibíque fruſtrà imploratæ; ſubiecí: à qua meritiſſimè etiam totus Orbis Chriſtianus libertatem olim acceptam iterum ſperat. Nec enim reperitur natio aut principatus aut Reſp. quæ à Gallis beneficia non acceperit, & inimici veſtri ſunt iudices. Sanatis ergo per hoſce libellos vt puto, cruribus, ad vlteriora commodè procedemus, Potentiſſimè Rex, ſicut Italici Poëtæ gratiſſimi beneficiis Gallorum, & piorum mentes hominum, augurantur: & Gallici gladii pudendæ reliquię, diro caſu exaltatę, formidant. (Siquidem & Turcę in fatis hoc habent.) Et Ego de Abaddonis manu virtutum exterminatoris per immenſa diuturna atrociſſima pericula diuinitùs ſeruatus, vt vniuerſitatis rerum Explorator, omnéſque viros bonos in pectore meo geſtans, vice omnium poſtulo, deprecor, perſentióque. Maximè autem poſtquam eadem in Ode S. Ludouici (cuius regnum & nomen & geſta habes) recinentem precantem & augurántem Chriſtianorum Apollinem Maffęum Barberinum, noſtrum Melchiſedechem, pronis auribus accepimus.

Suſcipiat, obſecro, chriſtianiſſima Maieſtas, prima ſerui tui munuſcula: vtinàm quàm neceſſaria Reipub. cognita, tam vtiliter itidem confecta: donec maiora, ex Italia tandem aduecta, quæ radices habuere in Ergaſtulis Parthenopæis Hiſpanorum, fructificatura in Campo Libertatis Gallorum, quibus me Diuina ſeruauit Prouidentia, parauero.

Cer-

Certior redditus tuam benignitatẽ, Magnanimè Rex, infortunatum & pusillum nõ spernere donatorem, cum probè norit sacra Maiestas tua, quomodo solet suos Sapientia probare Assectas ex Ecclesiastici 4. *Timorem & metum & probationem inducet super illũ, & cruciabit illum in tribulatione doctrinæ suæ, donec dent eum in cogitationibus suis &c. & thesaurizabit super illum scientiam & intellectum Iustitiæ & denudabit abscondita sua*, Hæc vt examinẽtur; (neque enim propriæ innitor prudentiæ) vtque libertatem & salutem fugientem apprehenderem, ad Christianiss. Regnum intrare oportuit more Maiorum. Nec enim aliunde sacri Pontifices. Itali principes, & Christiana Respub. multiplicationem sapientiæ & Fidei & probitatis & veracitatis & libertatis, quantum humanis datur sæculis, nisi frustrà sperare vnquam potuere. Quantâ autem alacritate ac honorificentia & charitate sua sub protectione me suscepit Pietas Christianissima, & in summa Maiestate mirificè splendescens Humilitas, nõ erit in obliuione apud Deum, nec apud homines, hostes condemnatura tuos, quorum superbia ascendit semper. Interea gratias agendo Apostolorum principi, quod de probatica piscina conturbatis aquis iuxta preces meas ereptum patrocinio tanto me commendauit: Itaut dicere possit, ô felix persecutio, quæ talem ac tantùm meruit habere liberatorem: cum Dauid ipse cantabo. *Domine saluũ fac Regem.* Et iterum. *Domine in virtute tua lætabitur Rex, & super sa-*

lutare tuam exultabit vehementer. Et audiam ſimul concinentes Fratres meos. *Quoniam Rex ſperat in* DOMINO, *in miſericordia Altiſſimi non commouebitur.*

Tuorum ſonitus Elogiorum
F. P. CAMPANELLA.

AD

DIVVM PETRVM

APOSTOLORVM PRINCIPEM

TRIVMPHANTEM.

ATHEISMVS TRIVMPHATVS,

SEV

REDVCTIO AD RELIGIONEM

per Scientiarum veritates.

Fr. THOMÆ CAMPANELLÆ, Stylensis
Ordinis Prædicatorum.

CONTRA

ANTICHRISTIANISMVM ACHITOPHELLISTICVM.

PARISIIS,
Apud TVSSANVM DVBRAY, viâ Iacobæâ,
sub Spicis Maturis.

M. DC. XXXVI.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

PRÆFATIO.

PROPTER peccata Terræ, ait Salomon, multi Principes eius: propter peccata Principum multæ sectæ eius, quarum impietas propter peccata Sophistarum. Condidit enim Deus genus humanum sub vno Parēte: vnamque ei Religionem dedit, qua Deum cognoscerent, colerentque, omniáque bona ab ipso peterent; subque eius prudentia, tanquam oues pascuæ eius, se se, Remque publicam gubernarent. Ratio autem ambitiosa Sophistarum sectas peperit. Ratio demum politica, (quam vocant, DE STATV vulgares, Apostolus verò prudentiam carnis, Deo inimicam) Animis potentum placere fecit sectarum multiplicitatem. Neque enim secta falsa vlla vigeret, nisi Principes vellent. Volunt autem qui nullam putant esse veram. Propterea tandem hoc putant, quoniam pluris faciunt partem, quam Totum: & pluris se ipsos, quàm Genus humanum; & tandem pluris quàm Deum. Æstimatio hæc vilissima, proles inopiæ & Amoris proprij, assectantis copiam, vnde non est, non vnde est; incepit in Diabolo, incedit per diabolicos filios, & in inferno consummabitur. Arctat enim in modicum omnia magna, quasi vermis in ventre hominis positus, putans nihil esse hominem, ad se comparatum, sed vas inanime, ad sui vitam Fato datum: nec extrà ventrem extare Mundum, neque Deum: ac proinde licere sibi quidquid libet facere. Propterea que pauci satagunt conuersionem *Proverb. 28.*

Hominum ad Deum, sed ad seipsos. Ninus Rex in patris Beli honorem, Idololatriam primus statuæ illius adhibuit, quò Regnum sibi pararet super Nationes, debitum soli Deo. Ieroboam, vt partum contra Roboam retineret in Samaria. Mahometes astu Sergij, vt Imperium ad se traheret. Principes Protestantes Luthero fauerunt, vt bonis Ecclesiæ ditarentur. Batani & Angli, vt zelo conscientiæ libertatem à subiectione arriperent. Neque enim in Boreali regione fides aliqua apud illos reperitur Principes, qui decreto communi statuerunt, vt populus eam teneat Religionem, quam Princeps: & cùm mutat, mutet. Et quidem sectas in multas secti continuò mutant, atque permutant. Ex illis etiam exiit liber *De tribus Impostoribus*, nihil in Religione ponens, nisi astutiam, & deceptionem. Quapropter Hæresiarchas libenter audiunt, Tyrannum ipsis similem prædicantes Deum, qui alios Fato ad gehennam destinat, alios ad vitam, quam tamen omnibus promittit, vt maiorem partem decipiat: libertatémque arbitrij negantes pariter collaudant pseudopolitici, Caluini soboles, & Mahometani ipsorum patres; à quibus parum distant Iaponenses Proceres; quò super homines tanquã in bestias libertatis expertes, imperium exercere possint. Sic hominum, pro Diis cultorum, multitudo inter gentes. Papam contradicentem vocant Antichristum, à quo electionis imperiique Iura habent: ac consequenter fatentur se sequaces Antichristi; vt hinc videas, eos nec D. Papæ Religionem, nec hæresiarcharum credere veram esse vllam: quod iam Politici, & Libertini palàm profitentur. Omnis autem hæresis in Atheismum terminatur, sicut in epistola ad Vltramontanos Principes & Philosophos pro instauranda Religione ostendimus; & quotidiana ostendit experientia. Vtinam non serperet interiùs huiusmodi pestis, quam Macchiauellus seminauit: docens Religionem esse artem politicam, ad populos in officio spe Paradisi, & timore Infernorum, retinendos. Quapropter ad expediendam Nationũ conuersionem, statui hoc in Opus-

culo ostendere Religionem in communi esse non secundum artem astutorum, aut ignorantium, sed secundum naturam, à Deo nobis inditam, Philosophis, & Nationibus probatam, Prophetis reuelatam, & à Deo deinde supernaturaliter publicatam, illustratamque gratiis, miraculis veris, Prophetia, & Sanctitate. Ad id verò demonstrandum, oportuit incipere non à *Credo sanctam Ecclesiam*, sed à *Credo in Deum*. In quem si verè crederēt, illicò Deum ex prouidentia paternali Sholam indubitata fide dignam pro filiis suis, ne circumferamur omni vento doctrinæ, in Terris seruare intelligerent; & per suas quæsitā notas, in Romana Ecclesia ipsam inuenirent. Idcirco necesse habui prius demonstrare, quòd Deus sit (potest enim ex creaturis cognoscibiliter videri, Sap. 13. & Rom. 2.) & quòd curam omnium rerum gerat, maximè autē hominum: quòd Homo sit animo immortalis, aliaque vita illi conueniat; (veluti Platonici, Stoici, Pythagorici, Legislatores omnes, & inter nostros D. Thomas, & Augustinus, Clemēs, & Lactantius, & Cyrillus, & Arnobius, & Iustinus, & alij Patres disputando fecerunt, ex naturalibus, concessisque ab omnibus) & propterea Deum esse colendum non ficta, sed vera Religione. Item pseudopoliticos, aliter sentientes cum Epicuræis, & Peripateticis, conuincere ita fortiter me puto, vt propriis etiam ex malis, ne dum ex naturæ decretis, intelligāt, se se errare; & neminem hac opinione affectum, Principatum & vitam in se, vel in suis statim, non perditum iuisse. Et quoniam miraculis non mouentur, & inspirationibus diuinis resistunt, ad naturalia argumenta, quibus se credere profitentur, sicut Patres olim, & D. Tho. in tribus lib. cont. Gent. se feciſse testantur (nam in IV. ex autoritatibus sacræ Scripturæ procedit) me cōuerto. Quapropter transfiguraui me in ipsorum personam, sed in puris naturalibus positam, ne firmitatem fidei, quam profiteor, putantes esse obstinationem, ipsi quoque in sua opinione obstinentur. Qui enim in aliqua secta, aut in Atheismo ob-

ſtinatur, is meliora quærere ſit ineptus. Idcirco nullum ab ipſis vel aliundè excogitatum pro ipſorum opinione argumentum, quamuis irriſorium, omiſi, ne me imperitum, aut ſimilem ipſis diſſimulatorem putarent. Idcirco id, quod fecit Eccleſiaſtes in perſona impij non obſtinati, vt impietatem tolleret, & S. Iuſtinus, fidem veram quærens, veluti ipſemet teſtatur; ſic faciant ſectarij conſulens, & ego, & illi nudi, ſpoliatique omni opinione aſſertiua, quæramus opto veritatē; cuius habitum induamur tandem. cum ſimiliter non obſtinato quæritante Iuſtino. Solis rationibus pugnandum erat: Sacri tamen cenſores zelotypi coëgerunt me autoritates Patrum colligere, ſtylumque mutare ex philoſophico in Theologicum. Sed res puto benè ceſſit, quoniam Patres cōuenire cū decretis naturæ ſimul ex hoc Politici agnoſcent. Quapropter per Philoſophiam humanam, & cæleſtem, conatus ſum viam aperire: ſcio enim nullum in hoc ſæculo libri argumentum neceſſarium eſſe magis. Nec enim lucro vt plerique, nam ſemper vexatus: nec timore impulſus, cui nec animus, nec effugium poſt ternas, & quaternas vexationes defuit: at ſolo veritatis amore vrgente, certitudinem præſto omnibus, non indoctam, nec fictam de Religionis virtute, ac veracitate, partim experimento proprio agnitis, partim inueſtigatis ſagaciter in experimentis alienis, partim ea perceptis ſagacitate, qua olfacere incipit homo ea, quæ hominem ad illam transhumanant celſitudinem, ad quam non poteſt ſyllogiſmus extendi. Miſi hunc libellum amico, vt proficeret in Germania, anno Domini M. DC. VII. multoſque libros meos, quibus ad ſuorum compoſitionem profecit. Sed dummodo annuncietur Deus vndecunque, nobis placeat oportet. Fiat nunc publici Iuris, ſi fortè meliores fructus apud veritatis, & non propriæ gloriæ cultores nanciſcatur. Romæ 11. Iunij 1630.

INDEX

INDEX CAPITVM QVAE IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

MVltiplicitas credentium, & contrarietas diuersi generis, dubiam non orthodoxis reddentium Religionem. Vnde ego Intellectus humanus excitatus sum ad quęrendam veritatem eius, quantum attingere potest communis Ratio. Cap. 1. pag. 1.

Argumenta, quibus solet moueri quis contra Religionem communem Nationibus presenti sęculo, & contra Legislatores mundi; ac mox contra catholicam Fidem. Et ego Intellectus ad examen veritatis excitus sum. Cap. II. 6.

Appositio Responsiuncularum ibidem, jussu Superiorum.

Tutissima via perueniendi ad primam Rationem diuinam, eiusque mirabilem prouidentiam dignissimam honore: Quę est Religio, communissima cunctis Nationibus, ideóque naturalis: quoniam de iure naturę, & secundum naturam: vtque confestim increduli Politici conuincantur. Cap. III. 23

EXAMEN COMMVNE.

Deum, quia omnium entium curam gerit, pręcipuè autem hominum; Ergo illos visitasse, & legem docuisse. Et tandem factum esse hominem. Et hanc fidem esse rationabilissimam, & ita conuenire. Et testes huius veritatis non posse rationabiliter reprobari. Et quędam de sancta Monotriade argumenta. Cap. IV. 38

Entia omnia sub Dei prouidentia vniuersali contineri,

& intentioni eius, ac voluntati subesse. Nec locum esse Casui, Fortunæ, & Fato, nisi respectu particularium ordinum, & causarum. Itáque Deum Eminentissimum Vnum esse, & non plures: eiusque bonitatem supicione malitiæ vacuam esse. Cap. V. 42.

In rerum vniuersitate malum non reperiri, tanquam ens aliquod: nec Mortem, Vilitatem, essentialiter, sed respectiuè, & priuatiuè, & negatiuè: Falsámque esse opinionem de multitudine Deorum; & de impotentia, aut ignorantia, aut malitia, cum Fabri, tum Rectoris vniuersorum longè esse stultiorem. Cap. VI. 47.

Hominem animo diuino immortalique donatum esse: eique aliam post hanc, vitam conuenire: Ideóque Deum precipuam illius curam gerere: seseque illi manifestare, per rationes sensatas, ac credibilitatis euidentiam conuincentes, nouasque, Politici docentur: ac ad melius agnoscendum Religionem eleuantur. Cap. VII. 57.

Colloquium Rationis inferioris cum superiori, sagacissimum de vita præsenti; & futura, & de superis, & inferis. Et probatæ rationes causales de eo, quod fuit, est, & erit de nobis, & de Mundo: & solutiones argumentorum sacratiores. Cap. VIII. 80.

Religionem communem, potissimam Iustitiæ partem, non esse inuentum Politicorum: nec sola arte, aut non natura constare, vt dicunt Epicurei: sed esse naturalem: hanc verò, & illam positiuas, quas Nationes profitentur, esse secundùm fidem, quam præstant Legislatori quæque suo. Et quibus notis, & argumentis agnosci potest, quę verè sit à Deo tradita, & quę ab hominibus per Rationem; aut per fraudẽ. quiuè sint, qui veram fidem habent. Cap. IX. 94

Examen Christianæ Legis, cæterarúmque Nationum: quo demonstratur illam pro fundamento habere Charitatem, & Rationem primam; cæteras leges bonas, philosophicas, Iustitiam humanam, & rationes secundas: ac solius Christianæ solum præcepta moralia, & cæremonialia cum natura, quam perficiunt, prorsus congruere. Et quo pacto obligent. Inde necessario futurum, vt, si totus Mundus ad vnam legem reducendus est (quod nos firmissimè probabimus) aliam præter istam esse non possit. Et adduntur responsiones ad argumenta Iuliani, Luciani, & Macchiauelli. Cap. X. 104.

Examen secundum naturam credibilitatis eorum, quæ proponuntur tanquam supernaturalia, & fundamenta legum in quacumque Natione. Christianam præcellere omnes puritate, [redacted]te, & ratione, vtilitate, & congruentia cum natura. Cap. XI. 139.

Reparantur argumenta ad Responsiones. 144.

Examen Mahomettis. 149.

Examen Iudaicę. 152.

Examen Gentilismi. 154.

Appendix de causa Mali, ex Metaphys. 167.

Examen cultus Diuini exterioris secundum Religionem Christianorum, & aliarum Nationum, per indaginem certissimam, cum consonantia ad naturam bene institutam, & rectitutam, voluntatem rectam, & Sapientiam veram: ex quo probatur cultum, & sacrificium Christianum esse rationabile in summo gradu: & de Sapientię diuinę præstantia in Eucharistia. Cap. XII. 171.

Proponitur examen de persona Christi, aliorúmque Legislatorum Nationũ cæterarum: & inquirendas esse notas, quibus, quem Deus miserit, quem diabolus, quem ratio, aut astutia

propria, pernoſcatur. Cap. XIII. 182.

Ex certiſsimis notis examen particulare preſsius, ac rigidius, veritatis Prædicãtium noua in quocũque Sæculo dogmata; & co firmatio teſtimoniorum Apoſtolicæ doctrinæ, ad quamlibet inuictæ probationem. Cap. XIV. 188

Examen triumphi, & præcedentiæ, qua pollent teſtificãtes ſuper opinantes: vnde Calumniatores Apoſtolorum omnino ſtatim conuincuntur. Cap. XV. 196.

Examen Miraculorum: & autoritas ad conuincendum. Cap. XVI. 210

Epilogus, Reſponſio, & confirmatio huius libri. Cap. XVII. 216.

Appendix totius Libri. Macchiauellum omnium ſcientiarum fuiſſe ignorantiſsimum, excepta Hiſtoria humana: & Politicam ſuam non per ſcientias, ſed per aſtutiam, & peritiam practicam, examinaſſe: & quicunque ipſum ſectantur, præponuntque veræ philophiæ Sanctorum, eſſe pueros: cum coquum ſuauia exhibentem, Medico ſalubria iubenti præferunt; idcircò in ſe, vel in filiis ſubitò vitam, & Regnum amittere ſolere. Cap. XVIII. 226.

Reſponſio ad defenſorem Macchiauelli. Cap. XIX. 240.

Argumenta Admiratoris contra Reprehenſores Macchiauelliſmi. 241.

Reſponſio. 244.

Approbatio Adm. R. P. F. Ioannis Thomæ de Alaſsio Ord. Præd. ſacræ Theologiæ Magiſtri, Conſultoris ac Qualificatoris ſupremę vniuerſalis Inquiſitionis Romanæ, necnon Socij Reuerendiſſ. P. Magiſtri F. Hippolyti Marię Lancij de Aquanigra, eiuſdem Inquiſitionis Commiſsarij generalis.

EX commiſſione Reuerendiſſ. P. Fratris Nicolai Rodulphj Magiſtri Generalis totius noſtri ſacri Ordinis Prædicatorum, legi Opus Adm. R. P. Mag. F. Thomæ Campanellæ eiuſdem Ordinis, *Atheiſmus Triumphatus Contra Antichriſtianiſmum Achitophelliſticũ meritò nuncupatum*, quoniam in eo de Atheiſtis inſipienter Deum negantibus, efficaciſſimis rationibus ex naturæ arcanis depromptis, glorioſè triumphat, pſeudopoliticos Macchiavellizantes ſine vera ſtatus naturali, politica, aut Chriſtiana ratione viuere luce clarius demonſtrat. Opus certè aureum, tanto dignum Authore, antiquorum Philoſophorum ſtilum redolens, hiſce temporibus vel maximè neceſſarium. Ideò dignum cenſeo, quod ad totius Reipublicæ Chriſtianæ vtilitatem in lucem prodeat. Romæ in Palatio S. Officij die Sanctiſſimi Corporis Chriſti 1630.

Ita eſt. Fr. Ioannes Thomas de Alaſsio, qui ſuprà.

NOS Fr. Vincentius Bartolus Sac. Theol. Mag. & Prouincialis Trinacriæ Ord. Præd. Viſa ſupradicta atteſtatione concedimus facultatem ex ordine, & commiſſione Reuerendiſſ. Patris Fratris Nicolai Rodulphi Generalis Magiſtri Ordinis Noſtri, R. P. Fratri Thomæ Campanellæ imprimendi Librum attitulatum ATHEISMVS TRIVMPHATVS &c. ſeruatis tamen ſeruandis, & quantum in nobis eſt. In quorum fidem &c. Dat. in Conuentu S. Mariæ ſuper Mineruam de vrbe die tertia Iunij 1630.

Fr. Vincentius Bartolus qui ſupra, manu propria.

Regiſtr. fol. primo

F. Reginaldus Lucarinus Lector & Socius.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſſ. P. Mag. Sac. Palatij Apoſtol.

A. Epiſc. Bellicaſtr. Viceſg.

Imprimatur Fr. Nicolaus Riccardius Ordinis Prædicatorum, Sacri Apoſtolici Palatij Magiſter.

Publicetur Fr. Nicolaus Riccardius. S. A. P.

ATHEISMVS TRIVMPHATVS,

VEL

RECOGNITIO RELIGIONIS vniuerſalis.

Secundum communem Philoſophiam ex naturæ arcanis.

Multiplicitas credentium, & contrarietas diuerſi generis, dubiam non orthodoxis reddentium Religionem. Vnde ego intellectus humanus excitatus ſum ad quærendam veritatem eius, quantũ attingere poteſt communis ratio.

CHAP. I.

EGO Intellectus humanus omnes examinaui Religiones in rerum vniuerſitate, & proprias & rationales, & improprias & naturales apud homines, & belluas & plantas & apud Angelos, & ſtellas, & mundum, communi præeunte ratione, ſenſatiſque experimentis; vt meipſum certum redderem, atque alios, de fidei veræ dogmatum credulitate; vtque meum agnoſcerem locũ inter creaturas: in quibus diuinus relucet cultus, aliis magis, aliis minus, aliis permanens in ſuo principio, aliis deſciſcens à principio.

Vt conuincantur negantes Religionem, à teſtimonio omnium creaturarum exordiendum fuit.

Primus ordo credentium.

I. Inueni vt plurimùm hominum multitudinem in toto mundo ea credere, quæ sibi à lege, sub qua nascuntur, proponi solent; aliudque vltra inquirere nihil; eò quòd contraria argumenta non considerant, atque inter nationes controuersias; nec vident, quòd Philosophorum sectæ omnes fulcire profitentur opiniones quæque suam, rationibus & experimentis, & altera contra alteram obstinatur, ita quòd singulæ sibi videntur veritatem pro se habere. Nec vident, quòd lex omnis jactanter prædicat se habere, ad comprobationem dogmatum suorum, miracula, argumenta, prophetias, martyrium, concordantias veritatis; & quòd tot sunt accusantes, quot accusatæ: propterea nec cujus judicio standum est, examinant.

Catholici nuncupati cæteras gentes esse deceptas à falsis Prophetis, & à Principibus tyrannis, aut à fallacibus interpretibus legis, omnes vniformiter docent. Sic etiam ipsæ gentes omnes de Catholicis loquuntur; & quælibet fides irridetur ab omnibus simul aliis. Qui hæc non considerat, credit quicquid sibi proponitur in Religione & secta suâ: ita si natus est in Mahometismo, siue in judaismo, siue in Gentilitate, siue alibi. Itaque sors felix est (id est Dei beneficium nobis occultum) huiusmodi hominum generi (nam omne vulgus tale est) natum esse sub lege vera: nam per se, tanquam arbitrij penè expertes, aliud inquirunt nihil; magnumque infortunium ex occulto Dei judicio est eidem, natum esse sub lege peruersa, in qua obstinantur, nihil amplius indagando: nec mutant mutata rerum serie suarum.

Secundus Ordo.

II. Alij veritatem non quæritant, propterea quòd vtile est illis credere natiuæ Religioni, quoniam in ea est quis Princeps, vel Sacerdos, vel diues, aliasue voluptates, & emolumenta inde captat: quæ ita hominem obcæcant, quòd gratum habent errorem; eaque modò argumenta perquirunt, quæ possunt ostendere veram esse legem, ac fidem, in qua viuunt: alia verò contraria, nihil, aut parum examinant, sed extemplò reputant falsa esse. Profectò in his ratio est filia voluntatis, lucrum rationalitati præferentis contra jus, & fas naturæ. Voluntas enim, quasi fluuius ex principio, subsequitur ex Ratione in cælo & in terra. Vnde fit, vt huiusmodi homines mutata fortuna & imperio, repente opinionem & fidem mutent; vti sæpe hodiernis temporibus apud Vltramontanos: quoniam corruente vtilitate, quæ erat mater & fundamentum rationis fidei ipsorum, statim ratio illa vana apparet, ac similiter fides, quæ super illa sustentatur.

Tertius Ordo.

III. Inueni gentem plurimam rationes contrarias fidei suæ non inuestigare, propter timorem ab his, qui gladio, & tribunalibus ipsam defendunt. Idcircò facilè inhærere argumentis fauentibus, non autem contradicentibus: quoniam illa sunt sibi gaudio, & vacuitati malorum; hæc verò nocumento, vixque ad passionem.

Hæc sanè gens sæpè vtiliter timens, amisso timorè amittit legem & fidem: quoniam pater argumenti eius decidit, & filius ergo euanuit. At in libertate deinde paulatim librat, & perpendit omnia, si pollet iudicio. Maior pars hac in classe versatur, sicuti in Germaniæ, & Galliæ, & Angliæ, & Belgij, & Poloniæ Nationibus plurimo compertum est experimento.

IV. Alij autem nullam credunt esse Religionem secundùm naturam, sed secundùm artem tantùm regnandi, & conuiuendi; atque inuentionem astutorum, & prudentum; ac verè Deum non esse, vel res humanas nil curare; vel mundi partem aliam casu, aliam verò ratione regi: & vnumquemque debere seipsum exaltare quod potest per fas & nefas, sicuti & bestiis accidit: vt lupi deuorant oues, & aquilæ columbas innocentes. Atque Deum singulis permittere vt faciant quod possunt, aut volunt: post mortem verò, aliam non superesse vitam; vel si supereſt, omnibus æquè conuenire: Quandoquidem hic Deus sinit omnes iuxta proprium ingenium, & voluntatem operari. Qui etiam si concurrit (vt creditur) ad omnes entium operationes, non dari peccatum putant: quoniam & Deus peccaret, quia fieri permittit, & quia concurrit ad eius efficientiam, tanquam causa præpotentior. Ergo animi esse imbecillitatem, putare quòd peccatum sit. Sed tantummodo lege statui propter cònseruationem communitatis, vtque vulgus in obedientia retineatur. At quicunque potest quod placet operari, statim satisfacere sibi debere, & omnibus mundi perfrui voluptatibus, quoniam hęc est pars nostra. Quartus Ordo.

Hanc sententiam tuentur Macchiauellistę, & Libertini, & Caluinistæ ex parte, & plurimum serpit inter Principes, & Aulicos, & Gubernatores, & Iudices iniquos: vt enim Chrysost. monet, ter repetendo, *Impossibile est, impossibile est, impossibile est*, eum qui malè viuit, non vacillare tandem in fide: eius radix enim super proprio fundatur amore, idcircò difficillimè eradicatur, Estque pestis totius sæculi, & omnibus, licèt non in toto nec in omnibus grassetur; & personarum humanarum in communi; & singulatim ex participio opinionis, vel malorum exinde in alios deriuatorum. Quorum est et quartus ordo.

Hi veritatem adipisci intellectu nunquam serè possunt, nisi Dei brachio extento; quoniam existimant sese sapientissimos: Et aliud quærere, esse vanitatem pauperculæ gentis, quæ nescit viuere: Aut astutorum, vt nouam struant Religionem, quæ sit Dominatus, & Imperij concupiti fundamentum. Qui autem putat se ad sapientiam peruenisse, nil quæritat amplius.

Hi religionem (sed palam tantùm) defendunt armis per fas & nefas: quoniam glorioſum æstiment propriam sustentare sectam: aut quia vtile est ita facere. At deficiente vtilitate, vel gloria, deficit ratio apparentis fidei ipsorum.

Ideóque ex ratione politica (quam dicunt de statu) suo arbitratu religionem interpretantur, & mutant : sic etiam leges omnes, & foedera rumpunt per glossas fallaces, torquendo ea quocunque vtile fuerit; nec ad fidem veramque religionem absque fictione conuertuntur, nisi per miracula euidentissima (ipsi enim arbitrantur esse vel ignarorum illusionem, vel prudentum astutiam ; quodcunque miraculum scriptum, &c. ac sæpè obstinatè interpretantur miracula esse à casu.) Aut si vident Angelos, vel Dæmones, & sæpè, vnde cerri redduniur vitæ, quæ remanet post mortem, solent ad piam religionem redire in veritate, sed rarò nimis.

Ordo quintus, Philosophorum est quorundam.

V. Extant verò & Philosophi nonnulli, qui legi naturæ, prout ab eis percipi potest, inhærent : & existimant, vel omnem legem esse veram in suo sensu, omnesque à Deo autorizari miraculis, Prophetis, & Martyribus ad beneficium diuersarum gentium, quibus aliis aliæ conueniunt leges: & deceptionem permitti à Creatore, variis gubernante mundum ritibus, modisque, prout nationum mores varij requirunt. At naturæ legem omnibus communem esse, in qua est certitudo ipsis, & veritas indubitata. Circa supranaturalia verò aut nihil credunt, aut credunt, omnia ex omnibus legibus; aut suspensi, retinent assensum. Atque si post mortem alia nos manet vita, Philosophis illam magis conuenire, qui sese non obstinauerunt in sectis humanis, & in credulitate Deorum, sed primæ tantùm Causæ seruierunt pio affectu, honestis operibus, vtiliter benefici erga genus humanum.

Hi nulli, præterquam sibi, nocent, quoniam indoles, virtusque quam profiteri putant, non permittit; & quoniam non cupiunt honores, diuitias, & victum plusquam natura præscribit, ac proinde occasionem malefaciendi non habent : sed viuunt contenti paruo, fruuntur contemplatione, & reputant se plusquam Reges, & Papas, & Monarchas; tanquam ipsi, & non isti, sint veri boni cognitores, eiusqne fruitionis. Atqui hos ceteris aptiores ad præstandum supernaturalibus veritatibus fidem, minusque resistentes diuinæ gratiæ, considero.

Huiusce generis vix quatuor suspicacitate in sæculo præsenti deprehendi, & in historiis omnibus vix legi vigintiquinque. Ego enim nunquam Philosophorum in numero eos conscripsi, qui studio literarum dant operam, vt possint doctrinam in scholis, & in tribunalibus pro gloriola, & pecuniola vendere. Nam re vera sophistici sunt omnes eiusmodi scioli, cupidi apparere sapientes, contentiosi, auaritia, & ambitione pleni, oppressique, ne veritatem intelligant. Quin nec qui philosophantur libellos scribendi gratia, ambitione spoliari queunt, nec ergo ignorantia prorsus. Socratem laudaui supra philosophos omnes, eiusque consimiles.

Inueni etiam agmina hominum fragilium, qui consuetudine du-

Ordo sextus, Frugilium.

ti, & exemplo Sacerdotum ac Principum paruæ conſcientiæ, quæcunque deteriora ſciunt, operantur: & reputant ſe quidem ſceleratos: & in fide permanent ſtupidi, & quaſi aſſiderati: cogitant malum eſſe malum, & bonum bonum; ſed ignaui eſſe abiectique animi, minus quàm cæteri ſceleſtum eſſe, minuſque ſycophantam. A credulitate Creatoris, & legis natiuæ non recedunt, ſed magis' conſuetudini ſe conformant: ſin verò credulitatem exuerunt, efficacibus rationibus pro ipſorum emolumento, & appetitu ducti ſunt. Nihil ominus proximis benefaciunt, malignique non ſunt; propria, & aliena pandunt ſcelera; & cum abuſione ludunt iocanturque. Hac in claſſe ſunt Epicurei, Aretiniſtæ, Franchiſtæ, meretrices, & publicani. Qui etiam faciles, ac repentini interdum ſunt, præeunte gratia, ad conuerſionem in melius, ſi optima exempla, aut efficaces rationes eis offerantur. Quin perpetuò videntur ſceleribus notari minus quàm Phariſei, & Scribæ hypocritæ, & Sophiſtæ, adeò aſſueti obſtinatè ſimulare ſanctitatem, ac ſcientiam, quibus carent, quòd ſeplerique inter eos credunt & ſe ſanctos, ac ſapientes propterea eſſe, quòd ſophiſmata quatuor addidicere, & libellum vnum ab eis laudatum, & quæſtiunculas duas, & Deo per ſoluere inclinationes, & contorſiones corporis, & de tectiones capitis, & ſuſurros orationum, quas nec intelligunt nec attendunt, nec attendere ſatagunt. Hique putant ſeruire ſe Deo, dum ſibi ſeruiunt de Deo. Aſt ipſorum proceres probè norunt, quòd vtilem ſibi faciunt Deum, dum vtiles ſe oſtendunt Deo.

Quapropter cùm viderem, quod propria opinio, aut amicorum, aut anteceſſorum, aut communis ſectæ, propter aſſuetudinem in aliqua credulitate, & prauam natiuitatem, vel educationem, tantum malorum mundo afferret; ego hominum Intellectus, perſpicaci intelligentia à Deo me donatum intelligens, ac memoria promptiſſima, & tenaciſſima, recognoſcere decreui ea quæ credunt homines, quibus donatus ſum.

Ad hoc caput ſum, in quo ſectarum, & credulitatū & Religionis varietatem recenſui, ego, non vt ego, ſed vt humanus intellectus (ſicut Eccleſiaſtes, & S. Iuſtinus fecere) vnde ſuſpicantur Machiauelliſtæ Religionem eſſe aſtutiæ politicæ inuentionem; nequiritur reſpo..ſio. ſed ſcrupuli iſti eximuntur in cap. 3. 4. §. 6. vbi Deum eſſe, & prouidentiam, & religionem vnicā, & remunerationē, &c. probatum eſt.

Argumenta, quibus ſolet moueri quis contra Religionem communem Nationibus in præſenti ſæculo; & contra Legiſlatores mundi; ac mox contra catholicam Fidem. Et ego intellectus ad examen veritatis excitus ſum.

CAP. II.

S. Monotriadis effectus omnes ipſam repræſentant, & per ipſam ſunt, & ſeruãtur participio Potentiæ, Sapiẽtiæ, & Amoris.

EGO Intellectus contuens vndique naturam rerum vniuerſam, vidi quòd in Metaphyſica demonſtratur, Ens Primum eſſentiari Potentia, Sapientia, & Amore: ſecunda vero entia horum participio: ac in tantum eſſe, exiſtere, & viuere in ſuo quoque gradu, in quantum perſeuerant in eis Poteſtatis, Sapientiæ, & Amoris radij, ac participationes, cuique pro rata ſua. Cùm autem non amplius Poteſtas, aut Sapientia, aut Amor conſeruans, adſunt à conſeruante Deo, amittere illud. Nullum enim abſque tribus his primalitatibus ſeruari poteſt. Idque operatio docet omnium, ad quam omnium Eſſe habet analogiam. Cùm enim aut non poſſumus, aut neſcimus, aut nolumus operari, deſinit operatio.

Vita hominum eiſdem primalitatibus conteſtatur.

I. Idem agnoui in artibus viuendi, & vnumquemque viuere, aut tanquam Potentem, aut tanquam Sapientem, aut tanquam Amantem, & Bonum; & hoc plerumque. Nemo enim abſque his tribus principiis ſeruatur. Potentes ſunt Principes, & Domini: Sapientes ſunt Artifices, & Doctores, & Sacerdotes ex parte: Amantes ſunt iſtorum amici, vel ipſius Dei, & ſerui eorum, quibus vtiles ſunt, amatores, ſicut & gens imbellis, & iners apta pietati, & amabilitati humanæ. In qua ſeruiendo aliis ſeruatur & ipſa. Ita ſeruantur mulieres, mancipia, & fideles ſerui. Item qui, vt Deo vacarent, victum mendicant. Aſt illuſtres quidam ſunt in tribus, vel in duabus prædictarum primalitatum, ſeu præminentiarum; & quidem in vna. Item quò maior eſt ipſorum amor erga Rempublicam, & Legem, & Creatorem; eò meliores ſunt; ac ſæpe aſcendunt ad apicem Sacerdotij, & ad ſublimia, iuxta Dei iudicium, à quo in quadam amoris ſcientia fiunt magiſtri. Alij in exemplum & iuuamen aliorum naſcuntur.

Degeneratio à potentia eſt Tyrãnis: à ſapientia eſt ſophiſtica: ab amore boni eſt hypocri-

II. Vidi deinde in ſæculo potentiam veram in aliquibus non reperiri, & in pleriſque loco illius eminere Tyrannidem, vt Salomon inquit, quæ eſt poteſtas ficta; & nobilitatem ſanguinis, quæ eſt ſe-

cundùm opinionem, non ſecundùm veritatem. Arbores enim à fructibus, non à radicibus agnoſcuntur. Deinde vidi plerumque in loco Sapientiæ, Sophiſticam; Religionis verò Amoriſque loco, ſæpè Hypocriſim, & Impietatem; atque huiuſmodi gentem cuiuſlibet nationis, ſic ſibi vtiliter abuti Deo, & nomine Potentiæ repræſentantis Potentiam diuinam, & nomine Sapientiæ, repreſentantis Sapientiam diuinam, & nomine Bonitatis & Amoris, repræſentantis Amorem diuinum: at non ſeruire illis neque Deo altiſſimo, ſicuti prædicant, & profitentur, per optima argumenta perquiſiui, ne decipiar.

III. Deinde omnes profeſſiones, & artes, & dogmata mortalium, contemplatione, & examine perluſtrare conatus ſum. Et cùm examinarem Ariſtotelis philoſophiam, hodierno tempore apud multos regnantem, inueni eam non vna ex parte ſophiſticam (ſicut S. Auguſtinus, & Iuſtinus, & Ambr. & alij admonuerunt) Potentiæ, Sapientiæ, & Bonitati diuinæ aduerſantem, Et quòd res, quas ignorat, ſcire ſimulat, ſicut cæli motus & motores, & Animam, & Deum, & Mundi æternitatem, & ſimilia. Rerum verò, quas ſcit, notitiam exuit. Quippe qui non modò calorem Solis, ſed & lucem abnegat. 2. Cęl, tex. 42, *Lumen* (ait (*& calor non eſt in ſtellis, ſed ſit attritione aëris.* Ecquęnam clarior veritas? exclamat S. Ambr. in Ariſtotelem, & quod maius ſtudium impugnandę veritatis? Ecque nam ignorantia affectata magis?) Tranſcribit, & furatur aliorum ſententias & verba, venditando eas quaſi proprias. Inuiduſque (vt S. Thom. ex Gellij, & Euſtachij, & Simplicij, & S. Auguſt. teſtimonio in 4. *de reg. Princ.* 4. & alibi ſępè aduertit, ne dum alij Patres) calumniosè aliorum dicta refert. Et ex diuerſorum authorum libris componit proprium, vt ante me multi animaduerterunt: nec conſiderat inter illos repugnantias ingentes, qualis eſt inter Parmenidem, & Ocellum, dum ab illo principia duo, ab hoc verò elementa quatuor, quę duo eſſe debebant, ſi in eis principia diſtributa manent (loquor de realibus exiſtentibus, non de fictis poſtmodum à ſequacibus.) Ex quo comperi, rarò inueniri ſcientiam aliquam, certam, iuxta hominum verboſitatem: qui defenderunt illam, ſeu falſam, ſeu veram. Et quòd multi præponunt eam Scriptoribus ſanctis, & Bibliis, mille gloſſis phantaſticis adductis in concordiam diſſonantiæ: contra quos S. Auguſt. *lib. 1. in Gen. cap.* 18. *&* 19, & S. Thom. in *opuſc.* 9. *& ſuper Pſal.* 49. declamant, tanquam contra furtum & adulterium ſpirituale patrantes. Et ſectas fundari ſuper credulitate præſtigioſa, quam ſuo præceptori præſtant; & ſuper obſtinatione in verbis argutis ad defenſionem exco[illegible]: & tamen verba Dei fide tenenda, non credunt, friuoliſque dogmatis hominum, & ſuperſtitionibus, nulla fultis ſapientia, credunt.

Paulò meliores inueni Platonicos minuſque arrogantes, altioraque olfacientes. Stoicos verò, diſcretos, magis, ſeueros, & non impios. & in reſponſionibus patebit quod horum adulteratio arbitrij humani libertatem firmat: nec Dei prouidentiam tollit, vt in cap. 6. & 8 & 11. ſed mirificat.

Examen artium & profeſſionum ad quid.

Deiectio autoritatis Ariſtotelis, quatenus fundatur in eo Macchiauellismus, per manifeſtos errores, proponitur ſecundùm Patres, & ſacra Cõcilia. Similiter etiã Melchior Canus in 10. de locis Theolog. conſulit Ariſtotelis autoritatẽ minui oportere, ne ex eo errores, quos enumerat plures, contra Catholicam fidem, eius autoritas in animis firmet legentium. Narrat, eius ex doctrina ortum eſſe in Italia Macchiauellismum contra Dei prouidentiam, & contra animorum immortalitatem, & religionis veracitatem. Addim' errores Ariſtotelis, laudatiſſimi in philoſophia, vt innoteſcat, quãtos intuliterrores a theologicis ſuis ſuperquib' fundatur Macchiauelliſmus.

Propterea imbecillitatem humanæ sapientiæ mox aperiamus, vt intelligant dogmata Christiana in ipsorum dogmatis non fundari, ne ex falsitate philosophiæ quis suspicetur Theologiæ falsitatem. Ideo in cap. 10. n. 9. meliores philosophos, & Heroas Christianorum esse, quam gentilium,

Quid in scientiis desideratur, vt agnoscas, rectè Concilium [Later. sub Iulio. II. optasse ipsarum reformationem, vt in cap. 20. à Christianis deberi, & passim fieri.

Confusio sæculi dicitur Nox apud S. August. serm. 29. de tem.

probos. Pythagoricos autem pietatem redolentes, Religionis veræ saltem cupidos, & naturam super vagantes. Telesianos sensatos valdè, nimisque humiles: & hos omnes Deum Autorem, Doctorem, & iudicem quoquo pacto agnoscentes. Cynicos, inertes, & veridicos etiam aduersum seipsos: Scepticos, nihil certos, nec an sint: Democraticos, & Epicureos, nil altum super materialia, temporalia, & localia sapientes, & animo concretos. Parmenidis scholam emirentem, & cælestem propemodum, quantum natura datur. Bracmanos verè superstitiosos. Sectas ab Augustino & Clemente Alex. & Eusebio., & Iustino, examinatas sapienter agnoui: & electionem veracioris esse paucorum; & neminem, à Deo non edoctum, erroris expertem; propterea que omnes reuelatione indigere: ac neminem non appertere: licet multi desperent propter incredulitatem.

IV. Mox omnes scientias sigillatim perlustrare non destiti: inuenique eas diuinitate plenas in se, at malè tractatas propter auaritiam, & ambitionem, & acediam in nobis: horúmque vitiorum seruas iam redditas: miserabiliter miserabilius autem vbi tyrannides in nationibus grassantur. Praua etiam consuetudo, (vt notauit cum Platone & Varrone in 7. & 8. de Ciuit. Dei Augustinus) pernicioſior tyrrannide optimos etiam opprimit, fallitque falsatque.

NVM. V.

Inueni me in præsenti sæculo tenebricoso, vbi omnes nullam fidem habentibus, lucernámque in caliginoso relictam non iuuentibus vllam, videmur vnicolores: omnes enim Nationes ita defendere profitentur propriâ fectam, ac Christiani veram Religionem; sic & multos Principes, & sapientes, plerique enim illorum dominatum armis, istorum verò dogmata suis syllogismis, ad tuendam positionem potiùs, quàm veritatem concinnatis. Alii ii

Prima dubitatio, & eius causa.

Melius est dubitare quam in vna obstinari secta, cum tenebris veritatem.

Vidi etiam non rarò Religionis loco hypocrisim: & mundum plenum hæresibus, sectabus, & opinionibus, & legibus

APPOSITIO

Responsionum paruarum ad dubitationes huius capituli, quæ sunt indices magnarum post doctrinam, vt moris est, in cæteris positarum capitulis, ex iussu Superiorum, ne Lector vacillet argumentorum ictibus, ac vt præsentaneum antidotum habeat,

RESPONSIO AD V. NVMERVM.

Index magnarum.

Sectarum & Religionis varietas, non indicat nullas esse veras, vt patet ex cap. 9. 10. & 11. sed libertatem arbitrij, & animorum fluctuationem post peccatum Adæ, & post neglectam Dei doctrinam; esseque obfuscatum vitiositate lumen naturæ, & altiori ope indigere. Item aliquam Religionem

pugnantibus. Et dixi: Quis certum faceret hominem inter tot opinionum controuersias, fucatarum eodem colore? siquè ipse deprehendi tot manifestos errores in Philosophorum omnium scholis; Quis etiam, & quomodo discernet, quæ nam Theologorum schola inter tot discordantes in cunctis Nationibus expers erroris est? & quis fideiussionem, & certitudinem præstabit infidelibus, quod Christiana tantummodo vera sit; cæterarum verò orbis sectarum, falsæ? Dum recentiores contra Patrum sententiam, quibus sophista, hosisque fidei Arist. habetur (vt Origenes, Ambrosius, iustinus, Chrysostomus, Gregorius Nyssenus, Basilius, Epiphanius, Eusebius, aliique concorde perhibent testimonium) propterea tanti faciunt ipsum Aristotelem, quòd subtilitatibus logicis propria mendacia magis condire, & dulcia facere nouit, quàm alij veritatem rectè dicere: vtque de ipso Picus ait, quasi sæpia atramento eiecto, sese, dū insipiens deprehenditur, occultare. Si ergo Theologi neoterici cum veteribus pugnant, & aliis atque aliis cuncti secti pro Theologia communi inherent: ergo sunt vtrique deceptionibus obnoxii.

Religionem & doctrinā esse veram. Nec enim plurium hominum malorum malitia indicat nullum esse bonum. Præterea ex hoc innotescit, dogmata vera, non in poëtica, aut humana scientia fundari, sed in reuelatione diuina, per decem notas agnita: sicuti probamus in *cap. 5. num. 4.* & ex 9 *cap. vsque ad 16.* Et qui has notas habet, fideiubet pro dogmatis Christianis. quas cum in Gentilismo, & Hebraismo, & Mahomettismo deesse palam sit, vtique intelligendum est in his veritatem solidam minimè inueniri, à Deo propalatam; vt patet in *cap. 14.* & 15.

Præterea aliter iudicandum esse in naturalibus, & moralibus, quibus seruit syllogismus; aliter in diuinis arcanis, quorum est testimonium, & fides, non leuis: sed cum credibilitatis suæ euidentissimis notis.

Fide iubet etiam pro Christiana Religione omnis idiota zelo Dei percitus ac lumine: sicut Apostoli coram gentibus, & nostrates Sancti viri miraculis coruscantes, aliisque charismatis.

Porrò possunt Patres & Scholastici in his quorum non est reuelatio, errare: Sed non omnes; & in reddendo rationem dogmatum persuasionibus vtentes physicis, non autem in doctrina reuelatorū. Quòd Arist. sit solum testis contra suos in schola Christi, non autem doctor; similiter & alij Philosophi, in resp. ad vltim. patebit.

NVM. VI.

Si affers miracula, sanguinem Martyrum, autoritatem Ecclesiæ 1600. annis confirmatam; statim illud offertur è contra, quòd natio omnis miracula pro

AD. VI. NVM. RESP. Ad II.

Dico reponsum esse in *cap. 9.* & à *cap. 10. vsque ad 16. inclusiuè per totum.* vbi differentiam demonstramus inter testimonia, & rationes, & miracula, & martyrium Christianæ Religionis, & sectarum, contra Boccacium, & librum de tribus Impo- Secunda dubitatio.

se habere profitetur, martyrium, & autoritatem diuturnam. Religio iouis, & Apollinis 2000. annis perdurauit. Mahomettana 984. & adhuc crescit. Hebraica verò 3200. & pluribus; cui cæteræ innituntur, & contestantur ob mirabilia Moysis facinora; qui & alias prædixit, vel præfiguravit.

Tertia dubitatio.

Quod si dicat Christianus, mendacia esse: dicent & ipsi de Christianis idem, cum Iudæis. Nam & Gentiles Moysi miracula negarunt, & tribuerunt ea casui, vt legimus apud C. Tacitum, & justinum Historicos, & alibi: vel astutiæ & naturali magiæ, vt Plinius docet, & Auicenna. Hinc Boccacius in fabellis impiis probare contendit, non posse discerni, inter legem Christi, Moysis, & Mahomettis, quia eadem signa habent, vti tres annuli consimillimi. Item Masutius Salernitanus non minus impias contexuit fabellas: quarum primus autor Lucianus sophista.

Conclusio indocta impiaque Boccacij.

Ad III.

NVM. VII.

Sunt peculiaria argumenta contra fidem Christianam. Et primo.

I. Christus promisit se citò venturum ad Iudicium. *Eece venio* (ait) citò. & alibi. *Non præteribit generatio hæc*, &c. *Sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem donec videant regnũ Dei.* & tamen transiere 1600. anni, nec dum comparet.

II. Credulitas Eucharistiæ videtur palam impossibilis; & mul-

floribus, Macchiauellistis: quibus aliæ leges non videntur à Christiana differre; sicuti pueris indoctisque videtur idem aurum, & aurichalcum: Sophus & sophista. Item vaicolores videri vitio obtenebratis intellectibus, non autem illustratis virtute illa, quæ & in tenebris lucet. Ostendo etiam vnam esse ab initio Mundi veram Religionem, minus magisuè pro temporibus explicitam. cæteras verò superstitiones, in quo diuinæ Rationi, quæ Christus est aduersantur.

Præterea ibidem falsitates sectarum, & quibus deprehenduntur argumentis, patefacimus, & iactata miracula sectarum esse, vel ex mendacio historicorum, vel ex fallacia dæmonum, vel ex diuina dispensatione, & cur.

Præterea & qui negant Mosis, & Christi miracula, in *cap.* 13. 14 & 16. conuincuntur erroris; veluti Tacitus, & Trogus & qui ea stellis, aut casui, aut temperamento adscribunt, vt Auicen. & Pomponat. & Lucianus, ibidem refelluntur: id quod etiam fecimus in *Metaph. S par.* 3. Item in 4 *de sensu rerum*, atque in *Theologicis disceptationibus.*

AD VII. NVM. RESP.

Ad argumenta peculiaria, contra fidem Christianam pugnantia.

Ad I. Responsio habetur in fine *cap.* 8. & 17. quod ly *Citò* habet comparationem ad æternitatem: nam sæculum vnum mille annorum, est tanquam dies vna, teste Dauid. sic etiam respondet S. Petrus *epist.* 2.

Quod autem in proximo sit aduentus eius, declaratur in *cap* 8. *nu.* 19. & in fine Appendicis, & in *cap.* 10. *num.* 11. Quod viuentes multi viderint Iesum in maiestate, innuimus in *cap.* 5. *nu.* 7. similiter in *cap.* 14. viderunt enim Petrus, ac filij Zebedei in

ti experti sunt illudentes, præcipuè Caluinistæ: & quomodo in tot hostiis, simul corporaliter sit, seque comedi faciat.

Thabor.

Ad II. Respondemus: hoc dogma possibile non esse secundùm naturam: esse verò secundùm naturæ & supernaturalium Autorem: & quomodo qui non Caluinisticè, sed Catholicè experiuntur, inchoatiue beãtur, ecstases & diuina patiuntur: & quomodo mannaabsconditum nemo nouit nisi qui accipit Vide *cap.* 10. & 11. At veram esse fidem hanc ostendi *cap* 10. §. *de Cerimonialibus.* & *cap.* 11. *num.* 4. & diligentius *cap.* 12 *per totum.* & soluuntur omnia argumenta contrariorum. & cur adulteræ generationi non datur signum, &c.

III. Quòd mater eius sit virgo etiam in partu impossibile videtur Caluino, & multis: non autem tantopere ante, & post.

Ad III. Respondemus doctrinaliter in *cap.* 16. ex testimonio Matt. Luc. Isaiæ: quos nullo pacto reprobari posse ibidem ostendimus. Item ex aliis manifestis miraculis huius occulti veritatem expressimus. vt patet *cap.* 11. & *in eodem cap. num.* 5. & nasci de Virgine consequens rationabile esse ad Dei incarnationem, infertur.

IV. Quod Deus sit maximè Vnus, & tamen Trinus & incarnetur, & non totus.

Ad IV. Nihil repugnare, Deum esse Trinum in personis, & Vnum in essentia, declarauimus in *cap.* 4. ex Potentia, Sapientia, & Amore, primalitatibus essentiatiuis entium. Ostendimusque fortissimè, mysterium Trinitatis propter hoc esse euidenter credibile. Eisdem quasi fundamentis idem demostrant Ambr. *in exam. cap. ult.* & Magister in 1. *dist.* 3. & Diuus Thomas in *comment.* & Riccard. in *opusc.* ad D. Bern. Item testimonium habere persuasiuum in Natura, ne dum in sacris Litteris reuelatiuum, cerúmque. Et in *cap.* 11. probatur euidentia credibilitatis huius Fidei. Item posse incarnari vnam personarum, & de facto incarnatam esse, probatur euidentia credibilitatis, & persuasione credibilissimi mysterij in *cap.* 4. & 7. & *cap.* 11. *num.* 3. & 17. quoniam tota Trinitas cõcurrit actiue ad Incarnationem, Verbum autem terminatiuè. Ostendimus etiam contra Peripateticos, quod ipsi quotidie incarnant intellectum agentem, simili modo ad vnitatem personalem, argumento ad hominem; quod & D. Thomas, & Augustinus prius animaduerterunt.

V. Quòd se vilitet etiam vsque ad Incarnationem, vt saluet nos; & nihilominus adhuc plures damnantur, quàm saluantur.

Ad V. Respondebus in *cap.* 4. & 7. Item in 11. *num* 5. & 7. nil dignius Deo, nihilque vtilius hominibus, & iuxtà ipsorum desideriũ, quàm quod Deus incarnetur, condescendens nobis non potentibus ad ipsum ascendere, Nec propterea inanis Incarnatio, quia plures damnantur: latet enim hic consilium Dei, vt probatur *cap.* 11. sufficit nobis scire, quod Deus nihil agit frustra, nec nostris delectatur malis. Præterea damnationem ex abusu liberi arbitrij, peccato primorum parentum deteriorati, non ex Dei prædestinatione ad malum: aut ex impotentia ad salvandum, cùm sit contra peccatores non minus fortis ad puniendum. *cap.* 17. Item non per vim, sed per iustitiam faciendam fuisse redemptionem *cap.* 11. *num.* 8.

VI. Absurdum est prorsus, quod cùm mundus magnitudinem corporis humani (comparatiuè loquendo) Christianismus autem vnum) digitum referat: Deus tamen velit digitum solum vnum ex tanto corpore cunctorum operum suorum saluare, reliquum verò perdere. Quin etiam minimam partem huius digiti saluat, cùm pauciſſimi sint Christiani probi, salute digni.

Ad VI. Responsum est in *cap.* 8. *num.* 1. & 4. quod etiam si totus mundus nostræ telluris perderetur, esset quasi perditio nœui vnius in corpore magno: talis enim tantáque est tellus ad cœlorum, & stellarum, & mundi magnitudinem. Etenim omnis creatura liberabitur àseruitute corruptionis, teste Paulo: & in cœlestibus millia millium ministrant Deo, & decies millies centena millium assistunt, teste Daniele, & ratione.

Deinde ex eo, quod ex hominibus plures damnantur, quàm saluantur, nihil Dei potestatem minui, dicitur in *cap.* 17. Nam, & qui saluantur sunt Dei, vt Patris, & qui damnantur, vt iudicis. Diabolus autem eius est carcerarius, & carnifex, non antagonista. Hominis quidem fuisse culpam, vt caderet, Dei verò remedium, vt eriperetur. Idem *cap.* 11. *n* 29. vbi nec fuisse inutilem aduentum eius, nam verè liberauit homines de potestate Diaboli; sed pueros remedio non repugnantes, prouectos verò voluntarios, non inuitos: ne temeraret libertatem. Item dixi cum Esdra, plus valere montem vnum aureum, quàm mille lapideos: saluandi autem sunt Mons aureus &c. Præterea nec saluandorum numerum esse ad damnandos, vt digitum ad corpus, probatur in *cap.* 10. & 11. & 17. hoc enim verum esset, si soli baptizati in aqua, saluarentur, quoniam salus cœpit sic ab aduentu Christi. At verò in cunctis nationibus semper, & vbique, & omni ætati hominum dedit remedia Deus, vt dicit Bern. *epist.* 77. & allegat Ambr. August. & Cyprianum, idem sentientes. similiter D. Thomas in 4. *dist.* 4. *q.* 3. *ad* 1. & D. Greg. allegatus à Mag. in 4. *dist.* 1. §. *quaritur*; & cum eo Scholastici omnes. Et qui remedia non accipiunt, citra culpam, si possent viuere recta ratione, in puris naturalibus seruando legem naturæ, viuerent Christo summæ rationi, vt Autori naturæ, à quo sumus participio rationales; & non damnati essent ad pœnam sensus, [sicut modo infantes non baptizati; & olim non circumcisi, aut non Deo commendati illa commendatione, quæ erat baptismi loco inter Gentes, vt Circumcisio inter iudæos, secundùm D. Thom. & August. & Ambr. & Bernard. & fruentur bonis naturalibus, & Deo, vt fine naturali: ac solùm supernaturalibus, & beatifica visione carebunt; pro quo non dolebunt, quoniam se ad eam naturaliter non natos agnoscunt, vt nec coquus, quia non sit Rex: Vel quoniam *instaurati sunt in naturalibus ad perfectionem humana speciei per Christi humanationem: & ideo resurgent omnes in mensurâ ætatis plenitudinis Christi, & voluntate, & ratione diuina voluntati non obuiante,* vt docet S. Thom. 2. *sent dist* 33. *q.* 2. *art.* 1. *& 2. in argumentis contra.* & in *corp & in responsione ad* 5. & idem in *Quæst disput de pœn. peccat. orig. a.* 3. vbi non inordinatam esse illis rationem, & voluntatem contendit: & propterea non dolere: quia *licèt* (ait in *resp. ad* 5. *loco iam dicto in* 2. *sent*) *sint separati à Deo quò ad coniunctionem per gloriam, non tamen sunt penitùs separati imò sibi coniunguntur per participationem naturalium bonorum: & ita etiam de ipso gaudere poterunt, naturali cognitione, & dilectione.* Idem docent Scotus, Viguerius, Catherinus, D. Bonauentura, & alij, Nyssenus in *lib. de immaturè præceptis*, & Iustinus *quæst. ad Orthodox.*] At quia non possunt ita rectè, vt naturæ iubet lex, viuere, ob culpam originalem, quæ vires animi infecit, & debilitauit: Deus remedia dedit misericors, quæ iustus poterat negare. Ira quòd quibus circumcisio olim, & postea baptismus, datus non dum fuit citra ipsorum cul-

pam si vt tenentur conuertantur ad Deum, etiam supernaturalem gratiam acquirunt, vt docet S. Thomas in *eisdem locis*, & in *opusc. 61. cap. 17.* & *4. dist. 17.* & *1. dist 41. q. 3. ad 1.* non quia se disponunt; hoc enim efficax non est; sed quia Deus bonus: vnde plus habent in remedio diuino, quàm perdiderunt in protoplasti casu. Præterea S. Augustin. *lib. de ordine*, putat non esse modicum numerum saluandorum: quod alibi quasi negarat.

VII. Cur etiam super opera propria Deus maiorem Diabolo, quàm sibi finit potestatem? Numquid non potest? aut nescit? aut non vult? Ergo erit inualidus, flaccus, vel ignorans, vel piger, negligens, vel crudelis.

Vel existimandum est omnem Religionem esse à Deo, & bonam videri in oculis eius; vel ipsum nostri curam non gerere; vel non existere, & res cunctas casu euenire. Aut putandum est fabulam esse, quæ de Diabolo dicuntur, qui Deo repugnet, & habeat regnum in terra maius quam Deus, cùm tantis totque nationibus dicatur dominari. Etenim dedecet valdè, quod Deus factus sit homo, tot stratagematis, & astu! seipsum tegendo, vt vinceret Diabolum: ac deinde mortuus sit ob hoc ipsũ. Nihilominus autem plures homines, & Nationes remanent sub ditione, & deuotione Diaboli. Quandoquidem inter Christianos, qui minima pars sunt mundi, pauciſſimi sunt Deo subditi: omnes verò cæteræ nationes, & Christiani scelesti partinent ad Diaboli ditionem.

Ad VII. Respondemus in *cap. 11. nu. 27.* & in eius appendice de causa mali, Diabolum non esse ex æquo Deo antagonistam, sed lictorem carnificem carcerarium; vnde potius Dei potestas & iustitia commendatur, quàm id quod argumentum quærit. Ergo nec gloriam Diaboli ex eo, quod punit, esse vllam, sed iudicis. Mors autem Christi ars iustitiæ fuit, non astus, vt infra *cap. 11.* Nec omnem gentium religionem placere Deo, *cap. 10 & 11.* Quod autem reperiantur Diaboli vere, & non fabulosè, probaui in *cap. 8. num. 11* & in *cap. 11. num. 25.* rationibus, & experimentis multis peritissimorum, non decipientium, nec deceptorum, contra experimenta Plinij fabulam intrudentia, & deceptionem imperitorum contra veritatem: & quod non rectè Catarini, & Manichei habent Diabolum pro Deo, probaui *cap. 11.* De prouidentiæ veracitate dictum est in *cap. 6. 7.* deque Religionis in *9. & 11.* vt iustitia locum haberet citra violentiam, Deus celauit artem diabolo, quã redemit; & quia non per vim, idcircò non omnes, vel non plures saluantur ad regnum, nisi qui sponte sua, vel parentum, incorporantur Christo per sacramenta supernaturaliter. Cæteri verò non damnantur ad ignem? nisi propter actualia crimina, & impœnitentiam.

VIII. Item cur neglexit prouidere, salutemque afferre tot Gentibus antequam nasceretur in 3000. & pluribus annis? & cur hodierno etiam tempore tot Tartari, Iaponenses, Chinenses,

Ad VIII. Respondemus in *cap. 12.* & præcipuè in *11. num 7.* [sicuti respondet apud S. Clem. D. Petrus ad Simonem magum, quòd mundus nunquam extitit absque sapientia Dei, quæ regit omnia [& hæc est Christus] nec absque auxilio super-

Africani, & Populi Arctici, & Antarctici innumerabiles pereunt, sine Christo? Qua ratione ergo Deus est hominum pater bonus, & potest, & scit, & vult hominum salutem?

naturali externo, vel interno. Idem docet S. Chrysost. super illud *psal. 145. Non fecit taliter omni nationi*, & D. Thom. *4. dist.* 1. *q* 1. quoniam sacramentum Fidei, & Pœnitentiæ, etiam quantum ad gratiam, præstò fuerunt vbique ex instinctu Dei, Rationisque diuinæ creantis, & per gratiam liberantis. Incarnatam verò fuisse non ab initio, vt tolleret super[illegible] causam: nec in fine, vt multi non perderentur; at quando illi congru[illegible] sum est: nec posse nos exactam consiliorum Dei reddere rationem. Su[illegible] autem, quòd nunquã vlli defuit remediũ Christi, vel implicite, vel explicite.

Omnes diximus saluari in sanguine Christi, exceptis impœnitentibus adultis Infantes enim sola pœna priuatiua reprobantur, & plurimi per dicta remedia, etiam ab hac saluantur ad gloriam. Omnes enim antecedenter saluare vult Deus vt Pater, non omnes consequenter, & vt iudex; quemadmodum docet S. Thom. 1 *p q. 19. art. 6.* Salutem autem prædestinatorum esse decretam per redemptionem, & non aliter, stante peccato primorum parentum: de qua historia diximus in *cap.* 11. *num. 12.* quòd nulla historia, nullaque ratio philosophica soluit quæstionem de causis calamitatum humanarum, nisi hæc de peccato originali. Reprobatio enim non est à naturali fine, sed à supernaturali, qui non debetur vlli, vt docet S. Thom. 1. *p. q.* 23. haud tamen ad cruciatum, nisi in malitia decedentium. Bonitas autem Dei non excludit iustitiam, sed crudelitatem.

IX. Si mortuus est est solùm pro electis, quare elegit tam paucissimos? Præterea si iidem erant electi & prædestinati, profectò damnari non poterant: Ad quid ergo incarnat⁹, & mortuus est, si non saluauit reprobos, neque electos hac ratione?

Ad IX. Respondemus: quod omnes saluat ad bona naturalia per se, non omnes ad supranaturalia, & quod supposito peccato, iustitia exigit redemptionem omnium, non vanam, nisi vanis. Præterea prædestinatorũ salus erat ex prædestinatione Christi. & ideò verè saluauit electos. Reprobos autẽ nõ damnauit ad ignẽ, nisi qui peccata actualia cum impœnitẽtia adiungunt prædestinamur enim sine meritis, sed nõ reprobamur sine præuisis demeritis, & impœnitẽtia.

X. Item: Si erat alterum Hemisphæriũ noui orbis, cur Moyses, loquens de Gentium multiplicatione, de illo nullam facit mentionem; nec Christus? Nec vtrum à diluuio inundatus fuerit? nec scimus quà illuc gentes pertransierunt? ergo spontè nascuntur homines, sicut ranæ, vt dicebat Epicurus, Diodorus, & Auicennas. Item quam ipsorum curam gessit Deus vnquã, si dereliquit eos in perpetuis erroribus? & cur eis tunc subuenit,

Ad X. Respondemus in *cap.* 11: *n.* 17. non esse natos homines in altero hemisphærio, vt culices: sed transire potuisse ex nostro per Arzaret ad Quiviram: & per Grutland ad Estotilant; & per nauium procellosam asportationem, & esse de illis mentionem, quoniam Dedonim, Cethin, Elisa, & Tharsis in insulas perrexerunt: vt dicitur Gen. 10. & in nouo Christus: *Alias* (Io. 10. ait) *oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere* &c. & hoc explicuit 4. *Esdr. c.* 7. & S. Brigida, & Seneca in *Modea* doctus à Sybillis, & Plato in *Athl.* Nec propter tarditatem, accusetur Deus, cum remedia

quando erant facinorosiores, minusque meruere? An semper extitere deteriores?

non defuerint Americanis ex prouidentia Dei, & naturali instinctu ad cultum eius per supernaturales motiones eleuatum, vt dicitur 3. *cont. Gent* à D. Thæ. 119.

XI. Item quomodo Deus cuilibet permittit pessima vt libet operari? nec prouidit contra pestes, fames, & bella, hæreses, & schismata?

Ad XI. Respondemus in *cap. 6 nu. 6. & 7* & in *cap. 11 in Appendice de causa mali*, Deum permittere hominibus operari prout volunt, ne temerare libertatem, & quoniam scit eorum malis in bonum vti. Nec blasphemias nostras physicè tangere Deum summum bonum nostrum, & aliorum entium: Sed idæam falsam, quam peccator sibi fingit de Deo: & ex hoc innotescere libertatem humanam contra Mahometum, & Caluinum, & Japonis Bongos, adeò magnam, vt etiam Deo resistat blasphemiasque intentet. Mira res! Deus autem non potest blasphemare seipsum: ergò non mouet homines ad blasphemias, quas ipse vetat in omni lege.

Pestes, fames, & bella iudiciis Dei seruire mirificis, & esse sicut metaphoras in poëmate, & semitonos in Musica, vt in *cap. 5. & 6 & 8. & 11. & 17.* Nec præter peccatum reperiri ens malum, nisi respectiuè; & bene vtentibus nobis, bona & mala in bonum cedere: malè vtentibus etiam vtraque in malum.

XII. Adde mala, quæ mundo à noxiis animalibus insunt, & ab inutilibus muscis, culicibus, serpentibus, spinis, &c. & à tempestatibus, & inundationibus miseriarum, &c. Si Deus bonus est infinitè, & vbique est, vnde tantum malorum accedit? & cur bonum à malo superatur?

Ad XII. Respondemus in *cap. 6. 8. & 17.* non esse mala, quæ videntur nobis, nisi respectiuè, vel ex nostro abusu: & multa obtigisse in pœnam, & mox in medicinam peccati originalis & actualis. Vide in *cap. 11. nu. 11. & in Metaph.* Item omnia mala post periodũ huius sæculi cessatura, *cap 8. & 10. & cap 5. & 6 num. 10.* etiámque multa in mundi fine &c. & interim quæ videntur mala, esse vtilia, & ad quid. Nec Dei bonitatem, ex hoc minui, sed ampliari, sicut in variis instrumentis, & actionibus, & materiebus, probitas & sapientia opificis.

XIII. Si hoc accidit ex peccato, vt aiunt, originali: quid peccauimus nos, qui non consensimus? & qua culpa bestiæ agitantur malis?

Ad XIII. Respondemus in *cap. 11. nu. 12* ex peccato Adæ calamitates humanas venisse, rationabiliori fide teneri, quàm vnde philosophi eas deriuant, præsertim cùm physicam, non metaphysicam redolent, vt dicitur *cap. 8.* Item omnes peccasse radicaliter, nec tamen pœna sensus, sed priuatione supernaturalium bonorum hac culpa teneri: naturam enim instauratam à Christo &c. Animalia verò idem, quod nos, pati natura: vel quia omnis creatura subdita homini, eisdem sui domini subiacet passionibus, ex Apost. Rom. 8. *Omnis creatura ingemiscit &c. reuelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim subiecta est non volens* &c. similiter *cap. 6. num. 10.* respondemus bruta malis hominum, quorum sunt instrumenta & res, afficier.

XIV. Porrò si consimilia cupiunt, agunt, & patiuntur bestiæ nobiscum: ergo omnes eiusdem sumus naturæ: Et vt Salomon ait: *Quis nouit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus iumentorum descendat?* Sic nascimur, viuimus, spiramus nos, vti & bestiæ. Nec sensus inest nobis, qui in illis non reperiatur; & prophetiam habent ventorum, & tempestatum, & præliorum. Item & Religionem. Adorant namque Lunam Elephanti, vt Gentiles: baptizatur à coitu, vt Mahomettani. Herbæ multæ ad Solem conuertuntur, & Religione quadam ipsum colunt. Et quid homo iumento amplius?

Ad XIV. Respondemus in *cap. 6.* & in 7. quod bestiæ sunt similes homini in sensu, & morte, & passionibus tantùm; non in mente rationali, immortali: quam soli homini infusam probaui ibi, & in toto ferè libro; & Religionem veram, propriamque non esse brutorum, & aliorum entium, nisi metaphoricè, & analogicè, ex instinctu, & sensus passione; similiter præsagium pluuiarum &c. non autem veram prophetiam in secundis causis non præparatorum effectuum, sed soli præcognitorum Deo, qualis homini datur. Vide ibi & in *cap 9.*

XV. Videntur quoque homines casu regi. Nam *Vidi* (vt Ecclesiasticus ait) *neque velocium esse cursum, nec fortium bellum nec sapientum panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam. sed tempus, casumque in omnibus.* Hæc & alia argumenta subtiliùs infrà discutientur.

Ad XV. Respondemus in *cap. 5.* non repiriri in mundo Casum, & Fortunã respectu Totius, & Dei; sed solum ad ordines entium, Idem respectu Totius, & Dei; sed solum ad ordines entium. Idem respon. in *cap. 8. & 11. & 17.* Nec peccata hominum excludere Deum, aut prouidentiam, sed libertatem ostendere humanam, ac Dei potentiam, qua ex malis etiam facit bona. Et id in *cap 5. 6. 7. 11. & 17.* pluries declarauimus. Et ad id, quod obiiciebatur cur mala bonis potius quam malis eueniunt, in *cap. 8 & 11. & 17.* Mala huius mundi non tollere Religionem, sed confirmare dogma illud religionis, quod videlicet nos hand quaquam sumus in loco proprio, sed peregrinamur &c. & aliam post hanc vitam nobis conuenire, vt immensitas amoris, & intelligentiæ humanæ extra cælum porrecta, nos admonet. Item animas positas esse in agone, & certamine inter contraria entia, cælum & terram, vt dixi in *cap. 8. num. 5. & seq.* & in *cap. 11 num. 9. & seq.* vbi per meritum acquirant æterna bona. Item dixi in *cap. 6. num. 10. vsque in finem*, & in aliis iam citatis, mala huius sæculi esse correctiones, & hortamenta malorum hominum, & minaces ostensiones iustitiæ futuræ: & spectaculum spiritibus abstractis: Mala verò bonorum esse causam coronæ, sicut militibus præliam: certúmque indicium melioris vitæ; ex hoc enim Platonici etiam concludunt, extare pœnas, & præmia post mortem, vt Antenagoras Philosophus in *cap. 8. & 14.* præsertim *num. 10* hanc notam certam veritatis Christianæ Religionis, quoniam promittit ærumnas, & persecutiones in hac vita, & ita certos facit de altera, vt præsentem perdere, qui persuasi bene sunt, non dubitent. Item docui, quomodo hilariores sunt Christiani patientes mala sæculi, quàm alij fruentes bonis sæculi, *cap. 8.* subsque persequutores reddunt bonos, vel confundunt: & propter hoc non reperiri in Mundo verè beantia bona, quò summum bonum beans requireremus. Hoc autem

autem excedit omnia mirabilia, vt dicitur *cap. 14. & 17.* quod quibus tribulationes promissæ sunt, illi vicerint tribulatores; & firmi stabilèsque fuerint magis, quàm aliarum Asseclæ sectarum non icti. Scandalizari autem in hoc solum Epicuræos, pro fabula vitæ æternæ spem habentes. Item *cap. 8. & 10. num. 1. 10. & 11. & 12. & 13.* & *cap. 11. num. 16.* & in *cap.* 17. ad bonorum consolationem expectari ab ailquibus in terra felicitatis Regnũ sub vno Pastore, quasi cælestis præludium gloriæ. Sed feliciores esse in spe, & conscientiæ securitate Christianos in bonis, & in malis euentibus, quàm Epicuræos in bonis solùm exultantes; in malis verò vilissimè plorantes: non enim spem præmiorum, & victoriæ habent, nec Dei spiritum roborantem admittunt.

XVI. Vidi præterea eos (inquit, Politicus) qui defendunt Religionem martyrio, & miraculis primorum fundatorum, ineptos esse ad miracula facienda, multaque ficta inueniri. Nec promptos esse ad martyrium, sed inimicos Crucis; & terrena sibi cupere, sed laudare nobis cælestia. Idque in omni secta, ne dum in Religione Christiana, vt Cardanus obstrepit. Zingaris honoratis Sacerdotes comparantur, inuitantibus ad cæli suspectum, dum marsupia euacuant. Sic Bongi, & Marabuti, & Bracmani, & cæteri, persimiles Diogenis inspuentis in ferculum, vt sodalibus stomachantibus solus voraret. Sic videntur Politico Clerici nationum, vt olim Catoni Flamines, & Diogeni Hierophantæ: qui prædicantes contra libidinem, contra honores, eadem interim sibi adscisciunt; in tempore autem tribulationis fugiendo, calamitates ouibus suis relinquunt; & tamen pro Sanctis haberi volunt. Vnde suspicionem inducere conatur diabolus, quòd historiæ Sanctorum veterum falsæ saltem ex parte sint. Nam reuerà qui certus est prorsus in fide, ac penitus, & [illegible] omnia fiduciam habet in

Ad XVI Respondemus in *cap. 6. & 8. & 17. cap.* ex criminibus nostris, potius declarari veritatem fidei Catholicæ; quam nec Tyranni, & Principes totius Mundi euertere potuerunt à principio, vel sophistæ postmodum, & sapientes sæculi, & hæresiarchæ; & nunc vel sui sequaces, & professores eiusdem fidei. Etenim hostes interni domesticiq. sunt omnium periculosissimi, quoniam cauere non possumus, sicut ab externis: & hæc est vltima probatio fidei Christianæ etiam Boccacio impio; nedum pio sancto Bernardo, qui super Cant. serm. 30. *Ecclesiam*, ait, *in bello à Tyrannis sub martyribus amaram pertulisse amaritudinem: in bello ab hæreticis sub Doctoribus amariorem; at nunc à falsis filiis sub pace amarissimam.* Et ne scandalizetur Achitophel, diximus, hoc etiam prædictum fuisse à Christo, quod ante secundi aduentus præludium refrigesceret charitas, & deficiet multorum fides: similiter ab Apost. 1. Tim. 3. *Erunt in nouissimis diebus seipsos amantes &c.* vbi ad vnguem depingit Macchiauellisticè viuentes; ex quo intelligimus, sæculi renouationem esse in ianuis, sicut in diebus Noë, quandominus credebatur. Sicut ergo ex vita Christiana mala arguunt Fidei falsitatem Macchiauellistæ: ego è contra ex eâdem mala arguo Fidei veritatem. Probaui etiam, in multis sanctitatem vigere, & miracula; & in Ecclesia durare charismata, licet in multis sopita: nec transiuisse ad sectarios sicuti ex Iudæis ad Christianos. Itidem contra Iulianum, & Macchiauellum ostendi,

Deo, magnificere vitam, aut mundanas res alias, minimè poteſt. Si enim mulierbris amor cogit omnia relinquere, & diù noctuq. amſiam quæritare, longè plus afficere debet diuinus Amor ſummi boni, primæque pulchritudinis. Gens ergo, quæ mundanis inhiat rebus, ſuſpectam ſe facit, quòd non credat iis, quæ prædicat, quodque nos decipiat in vtilitatem ſuam: & quòd nos Religionem intrantes decepti exiſtimus. deinde verò euadamus deceptores: ac remaneamus propter conſuetudinem aliorum; & quia melius quid aggredi ignoramus; aut propter commoda noſtra, ex Religione comparata. Vnde Ariſt. ſaccerdotium militibus veteranis pro quiete ſcientias, nouum Orbem, & artes nouas, & mirincas, in Chriſtianis glorioſius vigere, quàm in gentibus: multáque alia addidi de manna abſcondito in noſtra fide; quod nemo nouit, niſi qui accipit; Macchiavelliſtæ autem ficti non accipiunt: propterea q. negant &c. At aliarum ſectarum Sacerdotes charismata non habent, ſed illuſiones, vt rectè Cato, & Diogenes murmurabant, Socrates tamen, & Plato, & Pythagoras, & Triſmegiſtus, & alij Philoſophi, quos Epicureis, & Ariſtoteliceis, præpoſuit antiquitas, Sacerdotium, & Religionem eſſe in cunctis nationibus de iure naturæ, & diuino inſtinctu, docuerunt, licet apud gentes labefactum: non autem de hominis veniſſe aſtutia, vt ociarentur, ſicut Ariſtoteli placet, cùm veteranis illud pro quiete à laboribus adiudicat. Vide *cap. 9. & ſeq.*

dat, ſub prætextu diuini cultus, quem vanum putauit. Et quia in nocte ſæculi ſumus (vt Auguſt. ait) vnicolores Mundo cuncti videmur.

XVII. Item bona ac mala præſentis vitæ, ſic piis, vt impiis cueniunt; nec poteſt impius agnoſci. *Omnia* (inquit Eccleſiaſtes) *in futurum ſeruantur incerta:* quin magis pij quam impij ſubiacent calumniis, & miſeriis, vt Plato ait in Apol. & Salomon: *Sunt*, inquit, *iuſti, quibus mala proueniunt, tanquam opera egerint impiorum: & ſunt impij, qui ſecuri ſunt, quaſi iuſtorum facta habeant. Sed & hoc vaniſſimum iudico.* Hinc fit (vt paulo ante dixerat) quòd corda filiorum hominum impleantur malitia; ita quod alij negant Deum, aut eius prouidentiam; & quòd abſurdum videtur quòd Deus optimus maximus relinquat amicos ſuos continuò affligi, inimicos verò lætari; quin in ſanguine amicorum culpas inimicorum graſſari, & lauari.

Ad XVII. Reſponſum eſt in eiſdem capitulis *de cauſa mali, & de præmiis, & pœnis bonorum, & malorum*, & quod huiuſmodi querimoniæ iuſtæ probant futurum iudicium, etiam Senecæ, qui alias negarat.

XVIII. Præterea aiunt Politici, Vel Deus eſt, vel nõ eſt, ſi nõ eſt, decipiamus mundũ, regne-

Ad XVIII. Probatum eſt, Deum eſſe; ac neminem prædeſtinaſſe ad malum culpæ, nec ad pœnam ſenſus, voluntate antecedenti peccatorum

mus. Si est, vel nos prædestinauit, vel reprobauit. Tunc ergo nec damnari possumus, nec saluari: nec altiorē gradum acquirere, nec minorem salutis, damnationisque: ergo quidquid lubet faciamus. Quod enim semel decreuit Deus, non potest rescindere; sed, vt Seneca ait: *Semel iussit, semper paret.*

præuisionem; & à naturalibus bonis neminem excludi, vel omnes exclusos reparari ex commercio cum Christo in naturalibus: non autem & ad supernaturalia traduci omnes, nisi ex commercio supernaturali: nec vlli fieri ex hoc iniuriam; & propterea Macchiauellistis esse benè viuendum; nam etiam si à gloria supernaturali ex peccato primorum parentum exciderunt, non autem à donis naturalibus, nisi addant actuales culpas, & insuper impœnitentiam, vt docet S. Thom. *q. de pœna pec. orig.* & 2 *sent. dist.* 33 *q.* 3. *art.* 2 Ad Secundum dicimus, quod Deus non paret neque quando fit quod iubet. Semper autem iubet, quoniam transcendit tempora actus iussionis æternus, & ambit. Nec dicitur iussisse, aut iussurus esse, nisi respectu effectorum, non sui, cui vnicus nutus præsens est, perpetuusque.

Seneca in lib. cur bonis mala &c. cap. 5.

XIX. Præterea Aristoteles (ait Politicus) inuictum contra Religoinem facit argumentum. Quem enim Christicolæ non modò quasi optimum philosophorum, sed tanquam secretarium naturæ nullibi errantem, colunt iis mundum æternum docet: Deum non esse factorem Mundi, neque hominum, neque doctorem, qui communicet nobiscum, vel in somno vel vigilia, (vt dicit in libro de somnis, & in Ethicis) nec beatorem ante, vel post mortem. Quippe qui vt docet in 8. *Ethic.* nobiscum nec habere potest commercium. Et in 12. *Metaph text.* 51. nec curat, nec intelligit inferiora. Item animas humanas esse corporum formas corruptibiles: vnam verò vniuersalem semper viuere, quia non est actus corporis, vt dicit in 2. *de Animat.* 11. iuxta expositionem Theophrasti, Alexandri, Themistii, Simplicij, Philoponi, Auerrois, Auicennæ, & aliorum Græcorum.

Ad XIX. Respond. quod verum vero non contradicit. Propterea quæ philosophia quæ Theologiæ contrariatur, non est verè philosophia, sed sophystica. Talis verò est Aristotelica, in quibus cum vera fide Pugnat. Demonstratur etiam in hoc libro, quod ex principiis naturalibus veris non eliciuntur conclusiones illæ Aristotelicæ, tam falsæ, sed ex malo suo genio. Nam Plato, aliique Philosophi contrarias deduxerunt, longè validioribus rationibus: propterea que contra errores subs pugnamus in toto libro hoc, præsertim *cap.* 3. 4. 5. 6. 9. 13. 14. 15. & 18. sicut & Patres olim pugnauerunt, atque Scholastici. Non ergo verum est, quod Christiani habent Aristotelem pro textu sacro nullibi errante. Hoc enim imperiti dicunt tantum, & Athei, & Auerroistæ: Vt olim hæretici Carpocratiani, & Theodosiani, qui Aristotelem pro Deo coluerunt, teste Baron. *tom.* 3. sic etiam Lucretius habet Epicurum pro Deo. At non modo Platonici, Stoici, aliæque sectæ confutant Aristotelis dogmata hæc, sed omnes etiam Patres, vt in opuse. de Philosophia gentilium non retinendo demonstrauimus, non modo in Theologicis, sed etiam in physicis & moralibus; quemadmodum Ambr. Euseb. Epiph. Augustin.

8. Phys. & 12. Metaph.

rum, Arabum, & Latinorum: quos verosimilius est (aiunt) intellexisse mentem Aristotelis, magis quàm Diuum Thomam non Græcũ, aliter exponẽtem libros de Anima Græcos; cui non Scotus modò, sed Caietanus etiam suus, contradicit. Præterea enim idem Aristoteles negat pœnas, & præmia post mortem in 1. *Ethic. cap.* 14. & 15. & in 12. *Metaph.* Fabulas vtiles legislatorum esse putat, quæ dicuntur de superis, & inferis; vnde Auerr. scripsit contra tres legislatores, Christum, Mosen, & Mahom. deditque materiam Scriptori impio de tribus Impostoribus. Præterea Aristot. in 7. & 8. *Polit.* religionem esse inuentionem politicam, non autem natura constare. Propterea que sacerdotium militibus dat veteranis, reuerà ad quietem, sub prætextu Diuini cultus, quem vanum putat. Amplius negat extare Dæmones, & Angelos, nisi eos, qui affixi cælo mouent orbes. Aliosque alij enumerant eius contra Christianam religionem, sententias. Quapropter videri debet in his etiam, in quibus à Christianis non acceptatur, acceptandus, cùm tantopere laudetur in cæteris dogmatis physicis, & moralibus, & metaphysicis, vt qui errare non possit: & sanctus Thomas super Aristotelem fundet scientiam Theologicam; ita quòd si allegas Basilium, Augustinum, & cæteros sacros Doctores, negant illos: si verò Aristotelem; tacent & venerantur. Porrò murmur Hieron Chrysost. Basil. Gregorius Nyssenus, Cyrill. Clemens Alexand. Iust. Martyr in *lib. confutationum Arist.* Item Concil. Vien. & Later & Synod. Paris. Scholastici tamen etsi eadem dogmata Aristotelica damnent: attamen cùm eius philosophia vtuntur, exposa à Patribus, haudquaquam & Patres damnant, quorum se discipulos profitentur. At quoniam post euersionem scholarum & librorum combustionem per Barbaros, Gothos, Hunnos, Erulos, Vandalos, Saracenos, &c. Carolus Magnus scholas aperiens, aliorum Philosophorum codices non inuenit, nisi Aristotelicos: hos legendos dedit. Cuius ex doctrina cùm errores effunderentur, surrexerunt Dominicani & Franciscani, & partem confutauerunt, partem ad bonum traxerunt sensum. Et vsi sunt illo ad Theologiam enucleandam mundo Aristotelizanti, sicut Patres aliis Philosophis, quando eorum vigebat auctoritas. Præterea nec Theologi maiores, Aristotelem magnificiunt, sed omnium vtuntur philosophia; quoniam omnis quatenus rationabilis est, à Christo Dei verbo, & Ratione est, vt inquit S. August. Non enim prædicamus Christum, vt sectariorum aliquem, sed vt Sapientiam seu Rationem Dei vniuersalem; à qua omnis creaturarum sapientia deriuatur, vt dicitur Eccle. 1. Platonici placent præ omnibus sancto Augustino in 8. *de Ciuit. Dei.* Stoici, Chrysostomo. Pythagoras, & Socrates reputantur apud S. Thomam cunctis philosophis meliores, ne dum supra Aristotelem, in 4. *de regim. princ.* 4. & in 3. *par.* At nemo ex Patribus; nec D. Thomas, prætulit Aristotelem Philosophis cæteris. Melchior Canus in 9. *de locis*, Philosophiam Theologo vtilem dotens, ait: *Non more vulgi doctrinam Stoicam, aut Platonicam, aut Aristotelicam, philosophiam appellamus, sed studium sapientiæ.* Idem Clem. Alex. 1. *stromat.* 3. & 4. Lullus in *lib. de Lament. philosophiæ*, ait: *Non ego philosophiam contradico Theolo-*

politicorum audiui in Italia, n Germania, in Gallia, quòd noſtra ex confeſſione, Ariſtotelem inthronizante, Religio vana ſit res. Quemadmodum enim Auerroës, Alfarabius, Almubaſſar, & alij Mahometani Philoſophi, Mahometem negauerunt pro Ariſtotele, ita etiam multi Chriſtiani Chriſtum. Nam Pomponatius, Ianduno, Antonius Miran, Cremoninus, Zimar, & alij dicunt ſe aliter credere in Theologia, metu religionis, & aliter ſentiendum in Philoſophia. Et de Ianduno, & de ſuis paribus dicit Niphus in com. lib. de Subſtan. orb. quòd plus credunt ſimplici verbo Auerrois, quam diuinis Scripturis. Et Melchior Canus zelo, & doctrina inſignis: *Habent* (inquit) *pro Chriſto Ariſtotelem: pro Petro Auerroëm pro Paulo Aphrodiſienſem.* Vnde gloriantur Politici ſe viciſſe, noſtrorum quoque teſtimonio.

gia, ſed Ariſtoteles, & Auerroës. S. Auguſt. in 8. *de Ciuit. Dei c.* 9. cùm prætuliſſet Platonem omnibus philoſophis in Phyſ. Logic, & Ethic. tandem, quid à philoſopho requiritur, vt ſit verè Philoſophus, & Theologis acceptandus, inquit: *Quicumque igitur philoſophi de ſummo, & vero Deo iſta ſenſerunt, quòd & rerum creatarum ſit efficior, & lumen cognoſcendarum, & bonum agendarum; quòd ab illo nobis ſit & principium natura, & veritas doctrina, & felicitas vita, ſiue Platonici accommodatius nuncupentur, ſiue quodlibet aliud ſecta ſua nomen imponant, ſiue tantummodo ionici generis, qui in eis præcipui fuerunt, iſta ſenſerint ſicut idem Plato, & qui eum bene intellexerunt: ſiue etiam Italici propter Pythagoram, & Pythagoraos, & ſi qui fortè alij eiuſdem ſententiæ indices fuerunt; ſiue aliarum quoque gentium, qui ſapientes vel philoſophi habiti ſunt, Athlantici, Lybici, Ægyptij, Indi, Perſæ, Chaldæi, Scythæ, Galli, Hiſpani, aliique reperiuntur, qui hæc viderint, ac docuerint: eos omnes cæteris anteponimus, eoſque nobis propinquiores fatemur &c.* Ex quibus Auguſtini verbis agnoſcimus, *Ariſtotelem, Epicurum, Democritum, & alios qui tria illa de Deo non nouere, à philoſophia Chriſtiana arcendos.* Item de Primalitatibus Metaphyſicam amplectendam, quibus illa tria correſpondent. Mirum ergo quod quidam ſcioli faciunt S. Thomam peripateticum, tamquam Ariſtotelis ſequacem; propterea quod Mundo peripatetizanti Theologiam ex Peripato enucleandam putauit, cùm eſſet Ariſtotele ipſo ingenioſior & doctior. Errant autem qui aſſerunt, Theologiam in Ariſtot. fundari, quæ in diuinarum reuelationum notis inhæret, vt in 10. & 11. *cap.* patefecimus, & D. Thom. in 1. *cont. Gentes.*

XX. Addit Lucretius huic argumento, quòd *Religio peperit ſcelerata atque impia facta:* Et ritè ab Epicuro exploſam eſſe.

Reſpondeo ad XX. Lucretij aſſertiones, & probationes in toto lib. reprobantur ſigillatim. Hic ſufficit ſcire, quòd ipſe non cognouit veram Religionem, ſed ſuperſtitiones tantùm: quæ impia peperunt facta. Contra impietatem indectam Auerrois in toto libro etiam pariter concertamus.

Hæc aliaque argumenta mouere poſſunt eum, qui veritatem amat, non ad deſperandum ſe, ſed pro ſe, & pro genere humano

Intellectus iis argumentis inhærere non

debet, sed semper inuestigare. Quærite faciem eius semper recto animo. Nam propè est Dominus omnibus inuocantibus se in veritate.

ad inuestigandum semper; nec desistendum in vita sua, donec falsitatem sectatum agnoscat, & in veritate vnica per Dei gratiam sibi oblata & ostensa quietem inueniat; & ad sperandum certò, quòd Deus non deerit quin auxilietur illi, & ostendat suam illi veritatem; quoniam amorosus est, beneficus, gratúsque his qui quærunt eum; non sicut Herodes, vt occidat; sed sicut Magi, vt seruiant, & adorent eum vero cultu, cùm agnouerint eum. Nec enim per patrem stat, quominus saluetur filius; ergo longè minus per Deum. Nec ergo vnquam diffidere debet, quòd Deus non condescendat sibi; eo quòd, vt Caluinistæ ajunt, non sit ad hoc prædestinatus, vtque Astrologi Arabes, non sit ad hoc fato vocatus: nam Deus nullatenus malefacere potest quærentibus bonum: siquè prædestinatus est quis inquirere puro corde, prædestinatus est & invenire. Nemo despondeat animum propter argumenta: sed sentiat semper de Domino in bonitate; nec notiones, & conceptiones ratas, de Deo omnipotenti, omniscio, omnivoloque optimo, deserat, propter argumentorum in peculiari materia difficultatem; sed inquirat faciem eius semper.

Notiones primæ & omnibus communes de Deo, non sunt deserendæ propter argumenta contraria. Sed horum solutio quærenda: quoniam affulgebit. *Sapient.* 1.

Id solum stude tu, ne alia vana cupiditas tuum impellat animum ad quærendum, sed tantummodo amor summi Boni, primæque amabilissimæ Pulchritudinis. Scriptum est enim: *Apparebit his, qui fidem habent in illum: sed pernersæ cogitationes separant à Deo.*

Et profectò hæc doctrina est vera, & vtilis per se, & non modò, quia habetur in Bibliis. Præterea si fieri & contingere posset, vt quærens Deum sicut oportet, vt ipsum inuenias, ipse tamen non inueniri se pateretur; quod quidem impossibile est; profecto per te non stetisset, quin inuenires, & propterea redderes securam animam tuam ab inferni cruciatibus, propter hanc causam, ex rationabili excusatione, & non per diabolicam præsumptionem: sicuti Machiauellistæ, & Epicuræi: qui neque hoc scientes, vtrum Sol quotidie renascatur ex ignibus, & extinguatur in Oceano (vt putat Epicurus) nec inuestigantes per omnes scientias Autorem Mundi, veramq. rationem vitæ, super proprio amore fundati, negant Deum, futuramque vitam; ac ita indurantur vt Pharao, & obcœcantur vt iudæi, quòd nunquam alicuius veritatis cognitores recti fieri possunt, & stultitiam, astutiamque habent pro vera sapientia; tanquam si quis aurichaleum esse aurum putaret, & hypocrisim sanctitatem, & tyrannidem nobilitatem, & pictos parietes homines viuos, & scortum coloribus fucatum, virginem venustam, &c.

Tutissima via perueniendi ad primam Rationem diuinam; eiusque mirabilem prouidentiam, dignissimam honore: Quæ est Religio, communissima cunctis Nationibus, ideoque naturalis: quoniam de iure naturæ, & secundùm naturam: vtque confestim increduli Politici conuincantur.

CAP. III.

DIXI in secreto animæ meæ. Si Venetiæ reguntur ratione, sapientia, & arte, Roma etiam ratione, Gallia & Hispania ratione, omnesque ac singuli homines, consilio, & arte viuunt, quamuis à ratione vera deflectant aliqui, nihilominus rationi credunt se inniti, vel particulari. Primum argumentum ex inductione. Prima inductio ex Politica.

Præterea non modò homines, sed etiam omnia, ratione vel impressa tantùm, vel impressa, expressaque, seu elicita stant, & viuunt; lapides quasi sentientes, nutrimentum attrahunt, crescunt, roborantur: Similiter, in aërem dissimilem abstracti, regrediuntur ad tellurem sibi consimilem, vel fulcimentum. Secunda ex impressa sensu, & ratione relucere in naturalibus: & hoc argumento vtitur Greg. Nyss. in exam. & Lact & Clem. Rom. Recog.

Plantæ quoque ratione, vel alicunde operante viuunt. Namque attrahunt ad se proficuum nutrimentum, renuunt noxium, vestiunt se corticibus, roborant ossibus, colligant se fibris, neruisque, & per venas distribuunt succum, earum sanguinem: fructus faciunt, & prolem, ne penitus moriantur, sed remaneat semen, in quo viuant, tanquam in simili portione ipsarum substantiali: emittunt folia in tegmentum eorum à frigore, & æstu nimio. Spinas verò contra feras, quæ ipsos deuorant. Castaneæ echinos contra glires, frumentum aristas contra passeres: bitum tribulos contra asinos, &c. & operantur omnia ratione quadam mirabili, & arte ducta, non casu temereque: & vt meliores physici ajunt, intelligentia non errante. Tertia pars à plantis.

Si mox animalia contemplaris, præter constructionem eorum admirandam, prælia artificiosè exercent. Alia viuunt in Republica populari, vt formicæ: alia in Monarchia, vt Apes: alia in Aristo- Quarta ab animalibus.

cratia, vt Grues: excubias habent, agmina, magistros militum, & ordines, & operum vices; & filios contra mortalitatem generant, & educant industriosè in nidis mirificè fabrefactis. Ergo vel sub Sapientia duce.

Cõclusio inductionis.

Igitur necessariò asserendum est, existere primam Sapientiam, ac Rationem, vnde omnis entium cognitio, omnesque artes deriuantur.

Occurrit obiectioni: non enim obstat huic argumento, esse Rationem inditam vel assistentem: dum sit:

Non ostat huic argumento, esse rationem inditam vel assistentem in cunctis; nec refert ad hanc demostrationem, quòd alia instinctu, alia verò ratione, proprioqne discursu moueantur. Nam instinctus est impulsus causæ cognoscentis: sique ratione fit propter finem, est causæ rationalis. Quapropter siue participent entia rationem propriæ essentiæ inditam, siue ab alio rationabiliter regantur, vtroque modo est ad primam Rationem, primámque Artem, Sapientiamque fontalem perueniendum; sicuti omnes ignes, & calores, à primo veniunt calore, qui est Sol; & omnia frigora à primo frigore telluris, & omnis multitudo ab vnitate: sic cogitationes ab origine & fonte primo ipsarum emanant.

Secundum argumẽtum ex partibus ad totum,

Præterea stultum est arbitrari homines sensu, & ratione donatos esse, atque gubernari, similiter animalia, & alias Mundi partes plurimas; deinde verò Sensum Rationemque curantem Totius conseruationem negare. Est ergo prima Sapientia, quæ vniuersum totum regit Mundum: & sapientiæ particulares regunt entia particularia, influxum accipientes à prima, & illius participationem, quæ omnia ad suum ordinat consensum.

Tertium ex contradictione negantium primam Sapientiã, ratione, qua simul affirmare cogitur. Seneca.

II. Dixi deinde intra me. Stultè Democritus, & Epicurus primam tollunt Rationem, quam Stoici rebus cunctis dominantem præficiunt: quamque Deum vocant gentes. Si enim Democritus hoc dogma probat ratione, cogitur fateri, Rationem reperiri in Mundo: Quandoquidem ex nihilo sui nihil fit, vt ipse plusquam alij asserit. Ergo extat prima ratio. Si autem dicat, se hoc dogma probare absque ratione, cogitur fateri, se indignum cui ab aliquo credatur. Quanto potius Seneca duo principia rerum statuit, Rationem, atque Materiam?

A principio maximo philosophorũ, Ex nihilo nihil, probari Sapientiã primam.

In libro de Sensu rerum, & in Metaph.

III. Hinc stultissimus visus est mihi Lucretius fautor Epicuri, qui neque calorem, neque frigus, neque colorem, neque sensum, neque rationem ponit in atomis principiis Democriticis: At has qualitates euenire illis ex congressu, & mistura. Si enim atomi corpora sunt, nec extra se extenduntur: Ratiò verò, incorporea, & calor, & lux incorporeæ sunt naturæ, licet corporatæ, & actiuæ, & operantes; & Animæ vis extra Mundum etiam cogitatione & appetitu extenditur: id, quòd corpori, aut formæ corporali euenire potest nulli, multoque minus atomis passiuis, inertibusque: vtique ab atomis has egredi virtutes, falsum est prorsus. At sententiam istam demon-

demonstrationibus plurimis ex Naturæ decretis, desumptis, alibi examinabimus, expugnabimusque.

IV. Contemplatus subinde Mundi constructionem, vidi cælum tenue, calidum, mobile, lucidum, circumdare tellurem frigidam, crassam, stabilem, nigramque, magna quidem ratione, ab eis non intellecta. Non enim tellus à proprio inimico circomplecti vellet, nec cœlum inimicum vellet intra propria viscera contrarium suum habere, ideóque mutuo sese oppugnare. Atque ex calore, à Sole effuso, in terra relicto, & ex partibus terræ transmutatis, fieri secunda entia, casu quodam, si elementa respicias: frigus namque, ac calor intendunt solummodo facere, illud terram, hic cœlum: at dum ob hoc pugnant, affliguntur alter ab altero, modificantur, & concinnantur ita, quòd efficiunt res quasdam ab alia Causa intentas, id est lapides, plantas, aquas, metalla, vapores, ventos, pluuias, cometas, maria, fontes. Ex quo innotescit, quòd illa Causa, nobis inuisibilis, vtitur huiusmodi principiis elementaribus, sicut aurifaber, aut horologiorum, aut ferrarius, vtitur ferro, igne, malleis, incude, aqua, lima, ferro: omnia namque isthæc instrumenta efficiunt secundum propriam naturam, ac formas, id quod eis conforme est: ignis videlicet calefacit, malleus grauat, & contundit, aqua refrigerat, & temperat ignem, serra facit sectionem, similem propriæ formæ intranti in dissectam rem. Hinc palam est quòd natura omnis agit, & patitur iuxta propriam impressionem sensus: & quòd a sapientia imprimente longè præstantiori ducuntur, & reguntur ad efficientiam secundorum entium; & sicuti ignis nescit horologia formare, nec malleus gladium, nec serra tabulas; sic elementa formare, efficereque nostra entia de se nescirent, ac nequirent, nisi colligata fuissent adhibitaque ad operandum mensura & arte. Quicquid autem efficiunt, videtur necessitate fieri, & ex concursu tot mistionum, & causarum agentium, & patientium simul ad fines certos, quod dicitur Fatum. Deinde patefacta harmonia inueniuntur propter melius omnia euenire: Ideóque scripsi, Necessitatem, Fatum, & Harmoniam, esse influentias primæ Potentiæ, primæ Sapientiæ, & primi Amoris: & non à se ipsis, & supra Deos, vt Poëtæ, & Physiologi gentiles arbitrantur. Et ostendi fines rerum omnium: & euerti Empedoclem, & Democritum, asserentes entia, qualia, quanta, & quomodo sunt, ex sola necessitate materiali euenire. Ergo, aiunt, dentes anteriores non fuere acuti gratia secandi: nec oculus ita, gratia videndi; sed vt sic fiant, materiam esse in causa, quæ in aliam partem concurrit multa, & per planum, in aliam vero per iter strictum in acumen, sicuti & lapides crassiores ponuntur in fundamento domus; quoniam sunt grauiores, ergò causa materiæ: graciliores verò iuxtà tectum, quoniam leuiores ex ma-

Quartum argumentum à constructione systematis mundi, & à partibus & toto constructis.

Fatum a fante Deo recipitur à D. August.

Occurritur physiologorum obiectioni.

teria parua. Proculdubio verum est, quod aiunt, sed deficit in doctrina. Nam addendum erat, quod faber mundi ipse liberè fecit per necessitatem, suum influxum, concurrere materiam illo, vel altero modo: sed propter finem, qui sequitur; lapidem quoque crassum poni in fundamento ab arte, vt sit sustentamentum, & ne supernè cadat. Et per necessitatem admoneri artem ad sic faciendum. At ars intranea, quæ est natura, de industria variauit producendo corpulentos, & graciles, & omniformes lapides. Ars autem Dei in natura hoc consilium seminauit.

Contra Epic. & alios.

Stultum quoque est cogitare, artem efficere senestram, vt per eam videamus foras, & intus: Naturam verò non feciſſe oculum, vt videamus. Profectò ars, naturæ est filia, & imitatrix. Sicut ergo propter finem operatur ars, sic & magis natura, vt mox de animalis constructione disputantes ostendemus.

Ex fabrica sequente constructionem.

Deinde si mundi fabricam intueare, quomodocumque eam spectes, siue cum Aristotele, siue cum Platone, siue cum Ptolemæo, siue cum Copernico, siue cum Pythagoræis, aut per te ipsum, inuenies mirabilem, dignamque mirifico supra modum artifice. Et si ego scripserim contra eos: dixi intra me: Hoc opificium adeo magnificum, plenúmque sapientia, & pulchritudine, & virtute, est, quod stuporem, & extasim affert, quacunque via oculus ipsum adspectet. At indoctus Epicurus negauit artificium eius ineptissimè dicens; quòd singulis diebus mane Sol nouus fiat ex vaporibus terreis accensis, vesperi verò moritur in Occano extinctus. Idem putat de stellis. Quod nisi adhuc alterum hemisphærium esset inuentum, & gyratio siderum aperta, nondum cessassent stolidi sequaces ab insana opinione isthac. Hunc Ducem habent Macchiauelliste &c.

Indignus fide in magnis, qui in paruis excutit.

3. Argumentum ex artificiosa generatione; & causarum non rationalium rationali causatione opificem sapientissimum probans.

Vidi hinc Solem variis Zonis circumcingere terram, & in die ipsam ingrauidare seminali calore: Noctem verò succedere, vt, ipsa concipiat melius, semen stringente frigore; Solem quoque ipsam inuadere diuersis viis excurrendo ab altero in alterum tropicum; Noctis verò frigus instaurare quod in die calor aufert: In hyeme verò, quod in estate; & quomodo Sol paulatim descendit deorsum, nunc velociter, nunc tardior; & quomodo obliquitatem excursionis suæ minuit. Et dixi, hoc opus sapientiæ summæ esse. Tot etiam stationes, velocitates, tardationes, retrogressiones, eleuationes, depressionésque planetarum, & variæ facies, & luces variabilis Lunæ, & distinctio, ac variatio virium constellationum, aspectuum, virtutum, temporum, & commoditatum, ac actionum, manifestè ostendunt qualiter æternus Opifex vtitur eis ad secunda entia gignenda artificiosè ea ratione, qua faber eleuat malleum, deprimit, sistit, obliquat, miscet, temperat, æquat, soluit, indurat, vt prodeat affabrè elaboratum opus suum;

Primus Artifex.

vtque vitarum mensuras in eisdem agentibus virtutibus apposuerit, palam fit.

Deus intimior creaturis, quam ipsæ creaturæ sibi ipsis, ex Aug. de verb. Apost.

6. Et vidi, qualiter Deus cum sit intrinsecus ipsis rebus, non autem extrinsecus, sicut Faber, hos actus edit, non manibus & violentia, sed virtute quam influit rebus, quibus internus est. Mouetque omnia maiori intimitate, & magisterio, & virtute, quàm anima mouet pedem nostrum, & brachium, & totam humanam statuam; & omnis creatura naturaliter obedit Deo. Formæque essentiales, quæ in physica sunt principales causæ agentes, in Metaph. sunt post modum Instrumenta primæ Mentis. Rectè S. Hier in Matth. *Omnes creaturæ sentiunt creatorem.* Et Eccl. 42. *Omnia viuunt; & in necessitate obediunt ei.*

Attendite, & videte, ô miseri mortales, quod Deus est: & hoc negare stultius, & imprudentius est, quàm dicere opus carere anima; & Venetias Consilio prudentum Rectorum; & Romam Senatu Cardinalium; & res omnes sensu eius.

Arg. septimum ex distinctione elemẽtorum &c.

7. Deinde exclamaui. Hem. miseri. Quis distinxit chaos, semperque distinguit? Non ne videtis entia cuncta donata esse participio potentiæ essendi, sapore essendi; & amore essendi, ergò se se conseruandi, fugiendique sectandique ergo notum illis (in se, vel in causa ipsorum diuinissima) amicum, & inimicum; & propterea cuncta sectari simile cognatúmque, declinaréque contrarium, inimicumque: & ab eo comprehensum vniri, resistere, pugnare, tanquam si arte ducerentur mirifica, etiam si careant arte: & omnia ad propria ferri loca, propriúmque amare esse, seu vitam, quoniam bona est, similis Ideæ, ac formæ, quam participant à summo Bono, eis intimo; *cuius Maiestati sunt sensibilia, & obtemper... facientiáque Verbum eius*, teste Dauid (inquit S. Hier. & Greg. Nyss.) quæ *nobis videntur insensibilia, stupidáque?* Nec solum impelluntur extrinsecus, sed propriis etiam formis ab impressione idearum (vt S. Thomas 3. cont. Gent. c. 36.) cumque sit, prima Causa immortalis, omnes illam imitari, cupientes æternari & vitam conseruare in se, vel in sua posteritate per generationem: & sicuti immensa est prima Causa, & infinita, sic omnes optare innato appetitu, vt D. Thom. aduertit, & omnis schola philosophorum, fieri & ipsas immensas, & infinitas: Idcirco dilatare se se, & multiplicare, & effundere, & amplificare: quoniam in hoc æmulantur pro modulo quæque suo Causam primam, & ad cuius similitudinem semper magis aspirant, quantum possunt, vt optimè S. Thom. 3. *cont. Gent. cap.* 19. nedum philosophi probauerunt. Profectò si sensu carerent proprio, vel improprio, casus temerarius regnaret: similiter etiamsi essendi appetitu porentiáque carerent (quod vel ipsi etiam Epicurei, nedum omnis schola, coacti sæpè fatentur) tunc vbi primò calor positus esset, ibi stu-

D. Thom. omnia entia affectant similitudinem diuinam, quoniam participationes eius sunt.

pidus remaneret immotus, nec contra frigus inimicum pugnaret; si ipsum tanquam inimicum nullo sentit pacto; neque repugnarent; nec essent generatio, neque corruptio. Lapis vbi poneretur in aëre, ibi remaneret, similiter & ignis in terra, nec ascenderet sursum. Prosensus ergo ab prima intelligentia non errante inditus distinguit, & regit: quoniam ens omne percipit similia, & contraria, amatque proprium esse, vt dicit D. Thomas, idcircò odit inimicum; omnes autem hæ cognitiones inditæ, vel additæ proculdubio à prima Sapientia Deo deriuantur, qui effudit illam super omnia opera sua, vt Eccles. 1. ait. Et propterea reperitur, alibi clarius, & obscurius, ad regimen vniuersorum. Vnde Eccles. 43. de cunctis prænarratis entibus inquit, *Omnia hæc viuunt, & necessitate obediunt ei*, scilicet pro participio, & rata entitatis, vt & celeberrimi Patres, & philosophi monuerunt. Clemens Rom. Athanasius, Gregorius Nyssen. Magnus Basilius. Anaxagoras, & Arist. in 3. de gen. anim. cap. 11. *Generantur in terra humoréque* (ait) *Animalia & Plantæ, quoniam humor in terra, spiritus in humore, color animalis in vniuerso inest, vt quodammodo sint plena Animæ omnia.* Rectè sanè: neque enim potuit generare animalia & plantas Aristoteles, nisi in toto Mundo agnouisset vim animasticam. Et de hoc sensu nos loquebamur: non de Animatione rerum per Animam Diuinam rationalem, corporatam & irretitam vi pugnæ Mali Dei cum Bono, vt docent Manichæi. Nos autem inepti, non agnoscimus sensum naturæ impressum, vel prosensum ab eo qui in sapientia omnia fecit, nisi in animalibus, quibus intercluſus est spiritus sensitiuus, & seipsum ostentat per fenestras, & foramina. Dicere ergo quòd ventus non sentiat impresso sensu, vel prosentiat, eo quod caret oculis, naribus, aliisque sensoriis, idem est, ac si dicas ipsum non moueri, quia caret pedibus: & hoc est cæcutire in multiplici sapientiæ Dei participatione. De hoc scripsi in libro de Sensu Rerum. At etiam si non sentirent, opus est res omnes impelli à cognoscente causa, tam sapienter. Ergo datur prima Cognitio diuina, cuius participes fiunt omnes. Vide lib. de sensu rer. & Apolog. pro illo.

Arg. 8. Primæ Sapientiæ ex fuga vacui.

8. Vidi eandem ob rationem res omnes concludi, & copulari vltrò inter se, ne vacuum intercipiatur. Quod nimirum est destructiuum vnitatis in machina vniuersali, & vitæ Vniuersi, sicut nobis destructiua est diuisio brachij à corpore, alteriusue membri. Quapropter siue à proprio sensu, siue à communi res ita colligantur; necesse est ex his actibus primam Sapientiam vniuersalem agnoscere. Sed de hoc alibi.

In quo Beatitas.

Quas ob res intelligo vitam beatam consistere in cognitione huius primæ Causæ, & in assimilari ei, eaque frui; omnesque principatus humanos sine illa inanes esse, sicuti Epicuri philosophia est inanis ob idem.

9. Vidi & fabricam animalium cunctorum, quæ cogit exclamare eos, qui ipsam intuentur cum Galeno, in laudem & agnitionem Conditoris. Qui nimirum substrauit ossa tanquam fundamentum fabricæ, vt possit & erecta manere: vtque possit flecti vsquequaque distinxit ossa in iuncturas multas, & vertebras, processibus, & sinubus complicatas; & colligauit ligaminibus, complexibus, anfractuosis. Neruosque superextendit, vt funes qui contineant partes, & per eos possit dilatari, expandi, flecti, constringique ad motus, transmittendo spiritus inter neruos ex capite, vbi eorum est vniuersitas: idcircò effinxit in capite aulas duas anteriores, in quibus spiritus inhabiteti & interius cubiculum, vbi contemplatur; & cœnaculum inferius, vbi est mensa retiformis; muniuitque caput membranis, vt peristomatis, & ossea circumdedit mœnia; quæ & pelle operuit, & pilis: interius verò constrauit quasi anaclinterium molli cerebro; in cuius cauitatibus tenuis spiritus illæsus à duris ossibus spatiatur, & operatur. Toti autem machinæ circumappositi carnem, ne ossa offendentia in res duras, rumperentur: nec nerui à calore externo arescerent, nec à frigore contraherentur; nec ab aliis rebus offenderentur: vtque super tenero cedente inniteretur machina, absque læsione. Deinde verò quoniam calor continuò exhalat, minuitque corpus, eius instaurationi consuluit, trahendo per venas, toto conspersas, sanguinem crassiusculum, & per arterias subtiliorem ad viuificandam nutritionem: vtque continuò sanguis adgeneretur, cibos deforis creauit, ex similibus vnicuique nutribili: vtque præparetur, dedit animali dentes ad incidendum cibum: molares verò ad molendum, osophagum ad transglutiendum, contextum quidem fibris rectis, obliquis, transuersisque, adstringendum, dilatandum trahendum, transferendumque aptissimis. Cui subterposuit ventriculum tanquam ollam ad coquendum: cui apposuit Iecur, quod coctioni calorem subministret; deinde consimilium fibrarum ope educit cibum ad spiras, & anfractus plurimos intestini: primò angusti, vbi radices venarum adhærentes exugunt, trahuntque succum meliorem in iecur; quod sanguinis est fons, & officina: inferiùs deinde dilatati, vt cibus iam succo priuatus, incrassatusque, transire queat eidem apposuit cœcum, vbi retineatur, succoq; reliquo spolietur. Tandem intestinum addidit rectum retrò inter nates effluens, vt fœces expellerentur ibi longè à naso per valles carnositatibus occlusas; effectis quoque sedendi gratia tanquam in puluinari, & alios ob vsus. Iecur autem coquit sanguinem: spumam cholericam sequestrat in vesicam felleam, etiam trahentem per sympathiam: fœces autem melancholicas in lienem, cineres in renes: serum in vesicam vrinariam: sanguinem partim per venas ad nutritionem Totius, partim ad duos cordis fontes, qui hic inflantur deforis per folles pulmoneos à [illegible]nto intrante satis artificiosè per buccam: accenditurque

9. Arg. ex constructione animalium quod Deus est, & ex vsu partium.

Gal. 17. de vsu par. & in defor. fœcus.

calor impulsus intrà cor; & calefacit, attenuatque sanguinẽ in spiritum, expellitque fuligines. Qui verò non attenuatur in spiritus instaurationem, excurrit per arterias ad viuificandum statuam, & ad opera nutritionis partialia: partim in caput ascendit in cænaculo, vbi nutrit spirituum vniuersitatem, continuò exhalantem ac deficientem, proprio motu, caloreque attenuatam, & transpirantem. Sanguis deinde concoctior, factusque albus à calore blando intermanente, nutrit neruositatẽ; albus verò, ac pinguis, ossa: rubeus carnes: & particula omnis minutissima ad suas cõsimiles tẽdit per secretos artificiosos alembicos, sponte sua, & à simili attracta, & vivacui.

vsus excrementorum etiam mirus.

Vtitur deinde Melancholia ad excitandam contemplationem, & timorem: ad pungendum ventriculum, vt appetitus repletionis, quæ dicitur fames, ingeneretur, & refectionis memoria. Cholera vtitur ad excitandam iram contra noxia, inimicaque entia: & ad pungendum intestina, inuitandumque ad expulsionem fœcum, dum stringuntur contra pungentem humorem. Ex cinere nutrit renes, decolat vrinam, & ardorem in testiculos demittit, vbi coquatur semen, & memoria excitetur generandæ prolis. Quod in pueris non fit, in quibus quasi nullus fit cinis, nec supersit alimentum. Ex vapore nutrit spiritus; pluuiam in capite efficit: humectat inde neruos, & ossa, vt vngantur ad motum: sputum in lingua efficit, vt possit loqui absque afflictione, & mollificare cibum ad gustandum, transglutire vnctum sine fastidio.

Ex multiplicatione vsus partium.

Sed quis enarrat omnia? Omnitto etiam qualiter particula omnis in corpore non ad vnum modò vsum, sed quasi ad innumerabiles facta est, ignotos etiam nobis Anatomistis.

Foraminum vsus multiplex.

Taceo & oculorum mitificam formationem, & aurium, & aliorum foraminum formatorum sentiendi gratia, & purgandi, & instaurandi animalis, alibi à nobis declarata.

Conclusio ex anatome quòd datur Opifex rerum.

Dicite nunc quæso, quis tantum opus moliri nouit? Non quidem elementa Empedoclis, & Aristotelis, cùm sint ipsis expertia sensus, & rationis, & artis. Nec calor sentiens Telesij; hic enim intendit solummodo ignem cælumque facere, & propriam amplificationem: & palam videtur calor, quando animal non manducat, occidere & ipsum animal, in vaporem ipsum attenuando, & arefaciendo: & quamuis ipse format statuam animatam, non tamen dici potest ipse ab initio id facere intendisse, sed coactus in corpulentia intercludi, modificatur, diuersificatur, temperaturque tot modis, modulis, & vijs ab aliquo excellentissimo Artifice, qui vtitur ipso ad opus eiusmodi.

Confirmatio quòd nec anima nec qualitas vlla potest organicum constituere corpus de

Equidem probè noui, animal nullum, nullumque hominem posse scire efformare animal, & viuificare: nec eius opificium subtilissimasque texturas intelligere. At si anima est complexio elementorum, vt Medici, & Physiologi quidam volunt, aut ipse spiritus cali-

dus, vt quidam alii: cur hoc opificium ignorat, & attonitus inspicit anatomiam, tanquam rem sibi ignotissimam? Si respondes, animam iam oblitam esse operis à se iam constructi, propterea quod nutrimento vario operam appulit: Tunc percunctor; cur denuo ipse spiritus, decisus in semine scit animal efformare in fœminæ vtero? & in putridis? Ecquis in memoriã reducit? Item si fabricã es oblitus, dic tu mihi sapiés spiritus, qua ratione corpus nutris nunc, quãdo nulla in te cadit obliuio, sed actu operaris? Quomodo comminuis alimentũ? quomodo nec cogitando illud coquis, & distribuis in partes omnes, pro ipsarũ conueniẽtia? quomodo sentis? quomodo dormis? quomodo vigilas? quomodo spiritus interambulat neruos intus & foras? de qua tu substãtia es cõstitutus? cur quæritas per anatomẽ scire opera, quæ tu ipse plasmasti, quasi aliena; exploras à Philosophis, num anima sit mortalis, vel immortalis? num visio fiat intramittendo, vel extramittendo? Num sentire sit mutatio tantum, an informatio à sensibili? Et ad quem vsum factũ est hepar, & renes, aliaque vasa? Item ipsi Philosophi cur hæc ignorant post tantum studium? & profectò absque studio scire deberent: Quippe cùm ipsimet sint spiritus animales operantes hæc opera intra prædicta vasa; nec spiritus ignorare putandus est ea, quæ tanto cum magisterio facit. Quin etiam bestia omnis scire quo pacto ista fiant deberet, si spiritus earum operatur eadem, scitque operari per se: veluti & ego scio, qua ratione scribo, eo quod ego sum qui per me scribo; omnisque artifex intelligit quæcunque secundùm artem suam facit. Alius ergo Opifex longè abstractior, longè sapientior, longè potentior asserẽdus est, si anima ignorat corporis sui artificiosam fabricã.

Reuera peritus Musicus Cytharam ex arte pulsat, nil cogitando quam chordam, & qnomodo mouere debet, nunc hanc, nunc illam. Sic videtur operari anima hominis, & belluæ, & plantæ in eis: sed oportet aliquod fuisse tempus, in quo didicere artem mouendi, nuttiendi, & regendi propria corpora, sicuti & Musicus didicit. At quando didicere spiritus hi, nisi à principio? Et quomodo obliti sunt, si nullo Deo operante ipsa operantur?

Hem cœca Gens, inspice attentius: Ecce anima in tenebris opaci corporis manet: hasque operationes operatur, ducta ab aliquo manente in luce: & per varias necessitates, timores, dolores, amores attractiones, repulsiones, ad opera sua perducitur, excitata à diuina arte, Mundo insita; vocata Natura, seminata à Causa prima sapientissima, quæ continet in se intus & foris rerum vniuersitatem. Ars est auriga: Amor vero & odium ex sensu proficui & nociui, sunt stimuli ad omnes actiones, & frenum, & calcar simul: omnisque agens causa particularis percipit, vel sentit, vel intelligit suum actum particularem pro modulo suo. Sed actus omnes simul sola Sapientia prima nouit, quæ indidit sensum proprij boni, propriique

se, organaque suis donare vsibus: sed solus opifex sapientissimus.

Ex operibus animæ citra eius sapientiam probatur diuina sapientia, assistens & inoperans, & dans esse, & operari.

D Thom. 2. phys. lect. 14. Natura est ratio diuinæ artis indita rebus perducens eas ad suos fines; idcirco omnes naturales actiones videntur propter finem & artificiosæ. Idem Greg. Nyss. in Hexa.

mali, & conseruationis amorem cunctis rebus intrinsecum; (nec enim vi mouentur, vt vult Epicurus, & casu; neque à solo Deo sine propriis formis, vt volunt in schola Mahometis.) Sicut super triremi quilibet proprium intelligit actum: remigans scilicet proprium remum mouere, non alienum: gubernator gubernaculum operatur, & sapit; alij verò alios actus: sed omnes simul, & quò eunt, & finem nauigationis, solus dux nauis intelligit? qui officia, muneraque distribuit: & alios flagello, alios stipendio, alios cupiditate perueniendi ad proprios lares, alios mercaturæ cupidine, mouet, & conducit ad communem finem. Propterea ergo & Anima nec, quæ ipsa in vita naturali & vegetatiua operatur, nouit, nec corpora fabricari scit per se, sed regitur in his ab alio Sapientissimo.

Inſinuatio ab exẽplo.

Confirmatio ab exemplo.

Et veluti qui in tenebris quidpiam agit, non videt seipsum, neque opus quod agit, & per feneſtram prospicit, & alios percontatur de seipso, & de opere suo: & quis intruserit se: & num hoc acciderit, quando ipse dormiebat, quia iam oblitus est: Sic anima proprias operatur fabricas, & actiones naturales circa corpus, & non videt se, & hæc opera propria intra opacum corpus: de hinc egreditur ad oculos, quæ sola foramina habet translucida, & explorat in aliorum similium anatomia, & inquirit, quid est ipsamet anima: quis posuit eam in tenebris, & quomodo ipsa proprium elaborat opus.

Confirmatur ex altera ſimilitudine

X. Idem existimandum est in toto Vniuerso; vbi calor, & frigus variis contentionibus castigati, efficiunt tot entia varia, & dum cupiunt se dilatare, mutuò expugnare, exuperare, & timent perdi, itaque mouentur, & agitantur: sic omnis stella, sol, & luna propria peragunt itinera, & actiones, singuli tanquam scirent quod faciunt, quodam timore amoreque impelluntur. At finem totius magni negotij, ille modò intelligit, qui largitus est eis potentiam, amorem, sensumque operandi, & essendi eum in modum, in quo sunt & operantur ad idæam causæ largitricis, cuius (ait S. Thomas) similitudinem affectant omnia.

Totus planè mundus est instar pistrini animati; omne autem animal mundo est simile: Deus autem faber, & gubernator totius est, sed inuisibilis, sicuti & anima inuisibilis est; sed per se notissimus in quantulauis re, vt Trimegistus ait: sed Anima in corpore opaco clausa, vbi duo tantum foramina transparentia insunt, nimirum oculi, qui etiam constituti sunt ex tunicis, cornea, vuea, & humoribus aqueo, & chrystallino, ita quòd nequeunt ad videntem spiritum ingredi nisi res corpulentæ: idcircò nec Angelos, nec aërem Anima videre potest, nec Dæmones: qui singulis momentis penè præter volant in conspectu nostrorum oculorum innumerabiles, & illudunt nobis: prosunt, nocentque, afficiendo aërem, nostrasque partes, vnde afficitur spiritus noster aëreus, & proinde mens à Deo

indita

indita in illo inuoluta; itaque longè minus possumus Deum videre. Quid autem possemus videre, nisi oculi essent panniculis, vitroque constructi, disputatur in Metaphys.

XI. Hæ sensatæ rationes, aliæque plurimæ, Deum physicè mihi demonstrarunt, non autem illæ Aristotelicæ: Quòd videlicet omne quod mouetur, ab alio mouetur; ergo & cælum, & ne in infinitum abeamus, deueniendum est ad motorem primum immobilem &c. Profectò fallax Scoto, Alberto, Senecæ, Telesio, & Greg. Arim. & aliis fundamentum hoc videtur. Nam palam ignis à se mouetur sursum, & lapis deorsum & non à distincto mortuoque generante. Item Angelus, & anima de loco in locum quocumque vadant. Et principium in physicis destruxerunt Philosophi, & ipsemet Aristoteles. Nam, quæ violenter mouentur, & ab arte, mouentur Aristoteli ab alio; non autem quæ natura: quæ etiam Aristoteli *est principium intrinsecum eius, in quo est primum, per se, & non secundum accidens.* Et dato quod ita sit, non tamen motus est æternus, vnde probat Arist. Deum esse: & D. Thom. 12. Met. lec. 5. agnouit hanc stultitiam. Et quòd, perempta motus æternitate, per Arist. non datur Deus, neque Angeli; cuius contrarium concludere ex nouitate debebat. Sed de his in in Metaphys. 2. Phys.

Conclusio iteratur

Quid Rationis primæ nomine intelligunt Sancti Patres

Quod Plato, Plut. & Seneca, & Cicero, & Stoici omnes scripserunt.

Ergo ratione per vniuersum sparsa, reperi primam Rationem primum. Verum, primam Sapientiam: & sic voco ipsam non quasi rationem humani discursus, sed quasi discurrentem causam æternam in omnibus, & per omnia, & semper: & ab effectibus causam nomino prout possum. Quod & Sancti Doctores Hieron. & August. & Bas. & Greg. Nyss. & Iustinus fecere. Vidi hinc vitam, beatam esse in huius primæ causæ notitia, & assimilatione ad ipsam, & fruitione ipsius; & Principatus humanos absque ipsa esse cadauera fœtentia, cuiusmodi est Epicuri philosophia: & hoc doctè Plato probauit.

XII. Eamdem per viam ex omnibus potestatibus rerum argumentando perueni ad Primam Potentiam, & ex omnibus appetitibus, & amoribus ad primum Amorem, sicut ad primam Sapientiam. Ac Deum esse Ens primum sapientissimum, potentissimum, amorosissimum, factorem, ac gubernatorem omnium. Et nullas alias reperi Primalitates. Et de hoc scripsi plurima, non vulgariter, quæ conuincunt Peripateticos, sophistas, Epicuræosque inertes. Sic primum Bonum, primum Verum, & Vnum inuenitur. Alias ergo hic rationes taceo, quoniam ad Principes nostræ ætatis propero eos, qui dominantur per rationem (vt aiunt) de statu: & primam Rationem non agnoscunt, & de hac intendo eos certo reddere, sicut reddidi meipsum inter tenebras.

Sicut necesse est esse primam Sapientiá, sic & primam Potentiam, & primum Amorem, ac primum Bonum & Verum, & Ens primum.

Descriptioo Dei e argumentis præactis.

XIII. De hins vidi, cogi nos ex his fateri, Deum incorporeum

Quid non sit Deus ex eisdem agumentis elicitur.

esse contra Mahometem: & non esse Mundi animam contra Varronem; neque primi Cæli, contra Aristotelicos: quoniam corpus per se non agit nisi per virtutes actiuas. Ergo vis actiua est prima potestas agens quia potest, scit, & vult, ergo incorporea. Item si esset mista, & forma rerum, non posset architectari, & distinguere ordines rerum diuersarum, quæ factæ sunt, ac fiunt; nec dominari, ait Anax. nec intelligere omnia, ait Arist. Fatigaretur etiam à corpulentia, sicut & nostra anima, nec mundus Auctorem haberet, sed esset æternus, veluti est sua forma. At cum operetur Sapientia prima, vt probatum est, non modo in Cælo, sed etiam in cunctis rebus ergo vbique est, & non solùm in Cælo. Et quia omnia particularia ab ipsa fiunt sapienter, multo magis mundus, cuius constructio mirificam supra modum ostentat sapientiam.

Quod mundi autor Sapientia Dei.

Item necessariò affirmandum est, ab hac Mente potentissima productum esse Mundum, cum & ab ipsa nunc gubernetur Totus, & omnis particula eius etiam vilissima.

Item Mundus compositus est ex contrariis, partes autem componentes natura præcedunt compositum, & tempore, si contrariæ sunt. Indigentque ordinante Causa, quæ colliget eas ad compositionem mirabilem tam pulchri Animalis; quoniam per se altera, alteram fugientes, numquam ad hunc ordinem, & compositionem artificiosissimam peruenissent. Nec quispiam doceat, quomodo contrarium intra suum contrarium positum fuerit, eo præsertim artificio, quo se potius seruent, quàm interimant, vtrisque repugnantibus ita conglutinari: ergo ab opifice longè potentissimo, longè sapientissimo, longeqne optimo ita factum esse oportet.

Quod non ab æterno creatus sit mundus.

XIV. Ridiculosè profectò (dixi) Lucretius Mundum casu generat ex atomis in vacuo agitatis; & casu ad congressum adactis in constructionem Mundi. Quomodo enim casus temerarius tantum ordinem rationabilem effecisset? Nec recedendo ab exemplo illius, dicentis, quòd sicuti literæ vario ordine aggregatæ tot libros componunt, sic ex Atomis vario modo casu congregatis plures construantur Mundi: Ego inquam hæ literæ, quas Ego hic ordino, si casu iactarentur, peruenirent ad hunc ordinem, quo componitur hic liber à me, operante secundùm artem: nec millies millium iactatæ literæ eò peruenirent, vt Virgilij Eneidam construant: sed Virgilij ars paucis in annis eas ordinauit ad constructionem illius Poëmatis. Quapropter negare Mundi Architectum, est quasi dicere, quòd atramentum, casu cadens super cartham, formauit omnes literas huius libri. Et quòd lapides, calx, & ligna, casu congressi sunt ad formandam hanc domum. Hem stultitiam stolidissimam, si Casus potest ea facere, quæ facit ars: ergo ipse est ars, aut melius est eam appellare casum.

Quod casu nec Mundus, nec res intra Mundum fieri queant.

Et quidem Lucretius coactè dixit deinde, *quod certis in rebus inſit ſecreta facultas* &c. vbi patet ſecreta facultas, id eſt Potentia prima, Sapiens Architectrix. Quam ſi ipſe negat ratione, fatetur Rationem primam; ſin verò abſque ratione; tunc fatetur ſe temere loqui, & caſu: ergo fide ſe indignum eſſe. Quis autem det homini, & formicæ ſenſum, & artem, neget autem per hæc adminiſtrari & conditum eſſe Mundum? Numquid melior eſt pars toto? aut diuiniorem conſtructionem inuenies in partibus, quàm in toto?

Ex Epicuræis argumenti confirmatio.

XV. Et dixi, ô Macchiauelliſtæ Epicurei, ſi vos arte regitis ſtatum, & dominium, cur negatis primam Artem? Numquid vos feciſtis voſmetipſos? ſcitis nè facere homines? ſcimus (inquiunt) mulieres amplexando. En (inquam) indocti, dicite quomodo coniungitis oſſa, ſuperextenditis neruos, fabricamini viſcera? Aiunt: neſcimus, ſed ſemen hæc facit. Ajo: ſi vos tanta peritia, & philoſophia educati, neſcitis; quomodo ſemen, ſtupidum per Ariſtotelem, vel minus doctum per Teleſium, & alios, quàm eſtis vos, tam mirificum ſcit ædificare opificium? Non ne videtis, vos trahi quodam impetu amoris ad coitum, & ignorare quid ſuſcitandum ſit; ſicuti hæc penna ignorat, quæ ego per ipſam ſcribo documenta: & quomodo ad ſpeciei conſtitutionem voluptatis inſtillatione, vos commouet rerum Conditor ex ſemine veſtro formans hominem, ſicut alibi docuimus? Nec enim vos ſcitis ex albo capillo nigrũ facere: quomodo ergo tam magna intelligetis?

Ad Macchiauelliſtas qui in mundo negant Deum, & artem quam omnia reguntur? ſeipſos verò arte regere rationémque contradictorio ſermone dicunt.

Sit ergo, ſit prima Ars, & ex ea ſtudete veſtram originem agnoſcere, & illi vos in gubernatione conformate. At mitto vos ad Metaph. vbi prolixis ſermonibus efficacibuſque hæc diſcatis: & quomodo ex nihilo fecit Ars prima Mundum; ſicut Sol non ex aliquo, ſed ex ſe emanat lucem. huic enim diſputationi ſatis eſt noſſe, Deum feciſſe, ac regere mundum. Inde videbitis, non ſolos vos arte præditos eſſe, ſed totum mundum, & cælum, & ſydera Dei arte regi. Vnde enim artem accepiſtis, niſi vnde & alia, quæ habetis? Voſque eſſe fœces mundi, adeò captos amore veſtræ puerilis aſtutiæ, quòd vos obcæcat, credereque facit, non reperiri ſenſum, & artem aliam in mundo, quàm quæ in vobis eſt, & partem eſſe toto meliorem, & infantiam antiquitate ſapientiorem. Et quidem ſimiles eſtis vermibus in ventre humano natis, qui putant hominem eſſe materiam ſine animo, & pungunt eum & rodunt, quos cogitur homo allio necare, & expellere. Sic mundus ſenſu plenus & vita & joue, intra cuius ventrem eſtis, & breue iudicium habetis, quo putatis Mundum carere ſenſu, & mentem diuinam non eſſe in eo, necabit vos, & expellet vos allio damnationis æternæ.

Concluſio agnitionis primæ Sapientiæ.

Deus in Ier. Cælum & Terram, ait, ego impleo.

Ad has rationes reclamauit quiſpiam dicens, concedo ſenſum

Contra replicãtes.

potentiam & amorem & artem ſingulis ineſſe rebus: at non propterea dtaur ſapientia communis, quæ varroni eſt mundi anima; & dato hoc non propterea datur ſapientia abſtracta, qui eſt intellectus, Deus Anaxagoræ, conſtituens omnia. vnde Plinius cogitat quod Deus eſt ipſa rerum natura concreta, ideſt totus mundus: cui mala accidunt ſicut & nobis, alij dicunt fato teneri Deum, nec poſſe facere quidquid vult, vt ex malorum copia argumentari licet. Non ergo datur numen prorſus beatum curis & doloribus vacuum, omnia potens ſciens & volens: vt peccata moris & naturæ probant. At hi non uidentur perpendiſſe rationes iam dictas, ſi enim dantur multa participantia eandem naturam, datur & id quod per eſſentiam eſt tale vnde alia participent ſintque talia: ſicut in calidorum ſerie, & frigidorum, ac luminoſorum, ad primum Calidum & primum frigidum, & primum luminoſum procedimus. Ergo in ſapientū, & potentum, & amantium ordinibus ad primam ſapientiam, primam potentiam, & amorem primum. Primalitates enim ſunt eſſentialitates, nō accidentia, niſi cum reſpectum ad exteriora induunt, vt hic & in Metap. amplius. Corpora cū ſint inertia & vndique à Cauſis actiuis mutabilia, faciunt vnum genus entis concretum ignobile non totū. Formæ porum quæ mouent, & decorant corpora, non ſunt à ſeipſis, cum ſint in corpore participante ipſas. Ergo datur ens per ſe corporum, & formarū cauſa & regens. Preterea entia omnia particularem eſſendi modum habent, & non totalem, ſemper enim aliquid ſunt & aliquid non ſunt. Deus autem debet eſſe totum ens, à quo omnia, igitur neceſſe eſt ſit ens ſimpliciter, à quo hæc ſunt aliquid & aliquo modo non omni. Negat conſequētiam. Totum enim ens eſt rerum vniuerſitas, in qua omnis entitas: abſtractum autem Ens quod ſit omnia non datur apud Ariſtot. ſicuti apud Platon. Sed contra longè plus eſt in toto quàm in parte; ſed anima humana, quæ eſt pars mundi concipit Ens abſtractum, omnipotens, omniſcium, omniuolum Ens perſe eminenter habens omnium rerum entitates ideſt, vnitius, vniuerſalius, & plenius: ſicuti ſol habet omnia lumina, & omnes colores, qui ſunt lux opacata miſtione tenebrarum; ſic primum ens continet omnia Entia ſecunda ſeu finita & partialia; que non ſunt quaſi lux, ſed quaſi colores, opacata. Nihili participio vnum enim habent ſingula Eſſe & infinita non eſſe: homo enim habet eſſe hominis & non eſſe lapidis & Cœli &c. Infinitorum. Datur ergo ens infinitum & ſimpliciter, abſque nihilitatis participio & opacatione. Hoc autem intelligit animus oportet igitur ſit plus quam intelligit ipſe. Præterea ſicut in Corpore humano ſunt plures eſſendi & ſapiendi modi in ſuis particulis partiales: aliud enim & aliter ſentit. Oculus: ideſt, colores per illuſtrationem: aliud auris & aliter: ideſt ſonos per commotionē; aliud guſtus. Sed ſentiens ſpiritus communis percipit iſta omnia, & confert. Pes quoque ſentit modulo ſuo, & iecur, & manus, & aliæ partes, ſed ſpiritus horum

omnium percipit passiones & obiecta: sic & in mundo ex multiplici rerum partiali sensatione, potestatione, & amatione, & entitatione, absque fallacia argumentamur Ens primum omnipotens omniscium omnivolum: cui nulla natura accidens est sicut particularibus rebus: sed per essentiam eminenter est omnia. Præterea enim nedum sensus communis in spiritu animali de omnibus particularibus iudicans, reperitur in nostro Microcosmo: sed insuper Intellectus altissimus, qui percipit ea, quæ sunt intra mundum, & extra, & præterita & præsentia & futura; & quæ excedunt omnem corporeum essendi modum hic & nunc & sic: item ipsum quoque primum Ens apprehendit, & declarat. Ergo in Macrocosmo datur, primum abstractum à particularitatibus curans omnia, neque enim pars melior toto: neque curat ipsa totum.

Præterea anima nostra nescit Fabricam proprij corporis nec seipsam quid sit & vnde, quoniam corpori commista, à sui notitia ergò alienata percussionibus obiectorum est: ergo datur virtus abstracta quæ has compositiones & fabricas curet, ipsamque animam faciat, noscat, & omnia regat. concreta enim si esset non posset. Non fatigari hanc virtutem primamsequens caput de prouidentia pandit. Præterea res omnes arte gubernantur, & aliæ aliarum artem & vires ignorant; at colligatæ sunt, sicut partes corporis nostri, in mundo, quarum altera ignorat alteras propter Concretionem. ergo datur Ens abstractum intelligens hæc omnia, curansque. Preterea nec homo nec Sol nec cœlum, nec aliud particulare Ens potest omnes mũdi partes intelligere omnésque partículas, præsertim atomas intrà & Extra mundum, easque curare. Videmus autẽ omnes simul arte summa regi: datur ergo artifex qui omnia scit, regit, & curat: alioquin casu fierent & regerentur omnia; imo ob hoc ipsum non fierent nec regerentur, vt præsens & sequens declarat Sermo. Præterea tandem quæ fiunt supra naturam declarant primum Ens supra naturam omnem esse abstractũ; & qui copulat cælestia cum terrestribus, & præterita cum futuris si non esset, nec ista essent, nec ordo rerum. Prouidentiam vniuersalem in seq. declarauimus Et quod mala Deo non accidunt, nec Fato ligatur cum ipse homo intelligat Ens primum absolutum omni ligamine, labore, lege, & egestate potentiæ Sapientiæ & bonitatis. Quomodo autem nos imaginari possumus, nisi Etiam sit plus quàm intelligere possumus? Non enim de aliqua re particulari est Imaginatio ista, quæ res particularis potest aliter esse quàm nos Imaginamur, sed de primo & de Toto infinito, summo Ente, bono, Vero, inquod non cadit error, nisi diminuamus intelligentiam de eo, & coarctemus ad vnum esse, & modum. Sed cum de primò agitur, & toto vniuersali, quanto plus cogitas, minus deciperis: & quantò minus, magis, vt in metap. Datur ergò quod

anima pars imaginatur de Toto Supra omnia, vel anima esset illud Totum, & Deus, vel plusquam Deus, si plus potest Imaginatia anima quam potest esse Deus. Hoc autem falsum est. Est ergò Deus primum Ens super omnia omnipotens, omniscium omniuolum, ante omnia in omnibus post omnia: & quidquid plus cogitas: & supra quam cogitas.

EXAMEN COMMVNE.

Deum, quia omnium entium curam gerit, Præcipuè autem hominum, Ergo illos visitasse, & legem docuisse: Et tandem factum esse hominem. Et hanc fidem esse rationabilissimam, & ita conuenire. Et testes huius veritatis non posse rationabiliter reprobari. Et quædam de sancta Monotriade argumenta.

CAP. IV.

Ex creatione probatur prouidentia: totius, & partium.

VLTERIVS discurrendo, dixi. Si Deus prima Sapientia, & Ars, fecit Mundum, regitque: cuiuslibet rei vel minutissimæ curam gerere putandus. Quando præterea non minor ars informatione, & regimine formicæ, quàm Elephantis, & totius mundi cernitur. Quin in magis exigua materia plus artificij relucet proportionaliter, sicut qui comœdiam Dantis ità subtiliter scripsit in exiguo libello, qui intrà nucem claudebatur. In faba autem, & palea, & pilo, vbi minima ars nobis videtur esse, maximam reperiri in Metaph. ostenditur. Deus ergo omnium curam gerit: maiorem autem nobiliorum, quam ignobilium. Hoc naturale est in quolibet Principe sapiente, scire velle quæcunque fiunt in Regno suo, & absque suo consensu posse fieri nihil, vtque meliores homines, & res, melius tractentur. Si igitur Deus longè sapientissimus est Rex, res nulla quantulauis eius effugit prouidentiam, ergo maiorem curam hominum gerit, quàm aliorum animalium, & secundorum entium (vt omittam disputare de cæli, & terræ gubernatu maiori cum Origene.) Nobilitas autem hominis ex sensu patet, & infrà declarabitur. Quia autem humanus animus corporeo, quasi secum pugnante interclu-

sus ergastulo, multa incidit dectimenta: & palam est ipsi naturale esse, inquirere Deum, & opera eius nosse, eumque adorare: At quia in hac Dei cognitione, & adoratione grauissimos patitur errores: Rationabiliter conuenit asserere, Deum amorosum instruxisse homines, & legem eis dedisse, ac docuisse ea, quæ tanta quærunt, non vana, anxietate; quoniam benignissimus est. Id autem Deo vilitas non est, sed sublimitas est suis condescendere creaturis cum etiam sublimitas fuerit ex nihiloeas creasse, & tot res minutissimas architectari arte tam mirifica. Quoniam verò ipse in se lucentissimus, & potentissimus, & inaccessibilis, longè magis quam sol oculis nostris, conuenit affimare non vanam esse fidem, quod apparuerit in aliqua forma nobis accessibili, vt in forma Angeli, & hominis ad Abraam, & ignis ad Moysen, & lucis ad alios &c. (Non quod finiatur infinitum, in his formis, sed manifestatur quasi finitum, vel finitè, creaturis finitis) Et quoniam beneficium nullum vtilius homini fieri potest quàm ei legem dare: rationabile est credere, id fecisse nobis Deum. Cúmque tot tribulationes hominem errantem nimis à lege primæ Rationis diuinæ mox comprehendissent, conueniisse, ac pertinuisse ad eundem Autorem illius amorosum, bonúmque, reficere hominem, & sibi reconciliare, & auxilio iuuare, sicuti faber omnis propria reficit opificia, vbi perfracta fuerint. Item quoniam adhuc inaccessibilis remanebat diuinitas: Homo autem natura rebus finitis inhæret, & visibilibus, à quibus sensibile recipit beneficium: quam ob causam alij Solem, & stellas & elementa adorauerunt; alij animalia, & plantas, & statuas lapideas, & ligneas: Nec modo res, ex quibus accepere beneficium, vel paruum, sed etiam à quibus timebant, hinc Dracones, Serpentes, Cocodrilos, aliáque vilissima, coluere: Idcirco conuenientissimum erat Creatori, suas creaturas ab hac vilissima, impiaque Religione abducere, vt etiam Plato in libro de Voto, & Trismegistus, & alij benè philosophantes, bono hoc ducti argumento, sperabant. Nec per legem Moysis tam rectè fieri poterat, quoniam adhuc Deus remanebat innaccessibilis, & sensui ignotus, vnde Hebræi sæpe in Idolatriam sensibilium relabebantur. Quapropter conuenientissimum videbatur, quod Deus fieret homo, adorabilis sensibiliter, humano ritui congruenter.

Si Deus curat inferiora, magis autem hominem; non irrationabile est, apparuisse hominibus, legémque dedisse.

Conuenientis Incarnationis.

Hoc suppositio, euidentis credibilitatis ratio suadet, Deum, sicuti prædicatur, deinde si opus erat, etiam mori voluisse gratia defendendæ veritatis, & rationis: Quoniam nobis factus est homo. Ergo totam eius vitam fuisse legem viuam, exemplum nobis, sic ergo & mortem, qua instruuntur, sectari diuinam rationem, quæ totum pluris, quàm partem, æstimat: & pluris bonum maius, quàm minus. Non autem humanam rationem, de statu vulgò vocatam, carnalem stultam; ex qua videbimus inferius ortas esse sectas, idolatrias, bella, pestes, penurias, omniaque orbis mala.

Nec poteſt fides hæc argumentis maculari: omnia namque ſoluuntur per eam diſtinctionem, quatenus Deus, & quatenus homo.

Igitur primo articulo poſito: Quod ſcilicet Deus per ſuam artem mundum gubernet, niſi eius prouidentia, potentiáque negetur: Tunc non relinquitur dubium, quin poſſibile ſit, ipſum per eandem ſui Artem comparuiſſe hominibus, ſibi cariorib⁹, & ſimilioribus, qui ſunt poſſeſſio ipſius. Homo enim homini qui velit cedere præſertim ingenio, vt Poëta ait, nullus erit: ſicut nec caper cedit capro: cedit autem paſtori, quia ſuperioris eſt ſpeciei. Soli ergo Deo tamquam potentiſſimo, ac ſapientiſſimo ſupra ſe cedit, creditque homo vltroneus. Hanc enim ob rem legislator vnuſquiſque (ait Varro) conatus eſt oſtendere, ſe Deum eſſe, vel verba, & mandata à Deo accepiſſe, ſeu verè, ſeu falsò, quò leges ſuæ libentius, & obedientius acceptarentur. De hinc ergo ſequitur, quod eadem Ars diuina, quæ & proles, & verbum, & ſapientia Dei, dicitur ſummis Theologis, aſſumens ad ſe humanitatem humanata ſit.

Ex conceſſis idem probatur.

Hoc autem nil abſurditatis habet. Si enim Nationes omnes fatentur, Deum aliquando in aliqua forma piis ſapientibusque apparuiſſe, multiſque in forma humana, ſicut Abrahæ: per hoc idem conuincitur, quòd ſicut apprehendit formam humanam apparenter: ita poſſit eam verè ideſt in perſonæ vnitate apprehendiſſe; quandoquidem ſuæ poſſibilitati non obſtat.

III. Hinc, ex incarnatione ſimiliter illuxit diſtinctio perſonalis in Deo. ſi enim Deus omnia per ſuam Artem ſibi conſubſtantialem facit, Ergo Ars illa, quæ appropriatur proli conſubſtantiali, ex qua mundus, proles non conſubſtantialis, eſſe accepit, & ideo cunctis in effectibus eius relucet; illamet incarnata eſt, & filius Dei, eſt ab æterno, & in tempore etiam hominis: quia per illam reſarcienda erant opera eius confracta. Igitur ars illa (quam Theologi omnes Verbum, cum D. Ioanne appellant) aliquam habet diſtinctionem cum ſuo principio, cui eſt vnum; & hæc vocatur (vt melius poſſumus balbutire) diſtinctio perſonalis: & ponitur paternitas, & filiatio in eis, quoniam alius ab alio vitaliter procedit, naſciturque. Nec homines doceri poſſunt melioribus vocabulis hanc duorum diſtinctionem; ac ſubinde Trinitatem: quæ perficitur Amore, ex mutua amatione alius ab alio, ideſt intelligentis, & intellectæ expreſſæque Artis, emanante, hoc eſt (aiunt) Patris, & Filij. Quis enim ſe non amat? quoniam ex nobis ad ipſum argumentamur, & ſic etiam nominamus. Tum quia Trinitas, quæ completur ex Amore, difficilius cognita fuit. Plato enim, & Stoici cognouerunt Deum, & Verbum eius exemplar. Triſmegiſtus autem addit Mentem Tertiam ab vtriſque procedentem in Pimandro.

Diſtinctio perſonalis quomodo innotuit.

Et Sap. 18. dicitur, *Sermo. & logos* apud Athan. de paſſ. *Virtus, & Sapiētia Dei.* 1. *Cor.* 1. *Splendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ* Heb. 1. *Vapor omnipotentis, ſpeculum ſine macula, emanatio claritatis,* Sap. 7. *Ars Dei apud*

mandro; expressisque verbis; vocatque Spiritum: at forte diuinitus afflatus, aut à Prophetis bibens.

Ego autem rerum naturas in vestigans, quasi vltro oblatas, inueni in Deo essentialiter, & omni in re participialiter, Potentiam, Sapientiam, & Amorē, esse proprincipia constitutiua metaphysicalia. Et potentiam esse, quia est, ergo non procedit. Sapientiam verò esse, quia potest esse; ergo procedit à Potentia; quæ enim impossibilia sunt scitu, nescimus: Amorem autem esse, quia potest, & scit esse non enim amamus quod ignoramus, nec quod non potest sciri, aut amari. Amor in omnibus entibus procedit à Potentia, & Sapientia. Hinc palam esse exclamaui, quòd hæc Trinitas sciri numquam potuisset in Deo, non dum reuelante, nisi Sapientia incarnata fuisset, ostendendo, quòd si potuit ipsi incarnatio conuenire, aliis verò Primalitatibus duabus minimè: Erat ergo inter eas distinctio aliqua: quam Sacra doctrina deinde vocauit Personalem. Hoc autem mysterium, eandem ob causam ignotum fuit Philosophis priscis: in Prophetis verò confusè insinuatum. Cum hoc deinde stat, quòd sit Sapientia, & Potestas, & Amor omnis diuina Persona, si hæc vocabula essentialiter, & non personaliter accipiantur.

IV. Si hæc omnia rationabilia, ac non impossibilia apparent; igitur homo sapiens dubitare non debet, cùm Theologia Rationabilis fidem exigit. Nam præterea testes, qui scripserunt, viderunt, & probauerunt has veritates, non fuere Poëtæ, neque Philosophi, neque astuti legis latores, sed gens rustica, illiterata, simplex, animo pulchro, puroque prædita, ipsi nimirum Apostoli. Nec propter diuitias, aut honores ita testati sunt, sed vitam amittere voluerunt prædicando inter tot persequutiones, afflictiones, ludibria, carceres, ærumnas: minas, & blanditias spernentes, inuictique, comprobando dicta sua miraculis innumeris, & supra naturam, & Spiritu visibiliter de cælo descendente ad eos, & testimoniis Prophetarum antiquorum, & signis, conuincendo Philosophos, & Tyrannos, non aliis armis, aut sapientia, quam patientiæ, & veritatis; martyrio, & miraculis contestantibus.

Et vidi, quòd non credere ipsorum dictis, & testimonio, impudentia est peruersæ animæ; & longè magis, quàm quamcunque alteram historiam negare. Si quis diceret non fuisse Cæsarem in mundo, neque belligerasse cum Pompeio, & vicisse: Aut non reperiri Romam in Mundo: aut alterum Hemispherium inuentum à Columbo; ob hoc quod nos non vidimus illa; is homo esset belluinus, ac risu dignus. Quanto nam (quæso) ridiculiores illi sunt, qui negant miracula, & virtutes Apostolorum, & Prophetarum, & Moysis & reuelationem S. Ioannis, & tot, tantorumque testium, qui nulla præposita sibi huius mundi vtilitate, per-

S. Aug. super Ioān. *Idem entis, & boni,* apud Plat. & S. Aug. de Ciuit. Dei Et idcircò Ars, vt respicit exteriora factibilia, ergo Ratio ex definitione D. Thom. 1. p. q. 22. 2. & ex assertis super Dyon de diuin. nom. cap. 7. & Iust. 1. & 2. Apol. dicitur Ratio, à quo per naturam sumus rationales participio: & per gratiam diuini. Idem Gregor. Nyss. orat Cathec. c. 5. & Cyprian. serm. vlt. cōtra Idolatras & D. Hier. in epi. ad Gal. & ad Eph.

Insinuatio S. Monotriadis qua vtitur S. Amb. de dignit. ho. & M. in 1. sen. d. 3. & D. Thom. in comm. & Richar. in opusc. ad S. Bet.

sequutionibus afflicti vicerunt, & fundauerunt tot Episcopatus & dignitates Sacerdotales per totum mundum: quæ adhuc stant, & retinent eosdem libros Euangelicos, quorum litera omnis constat quasi mare sanguinis, & Mundo miraculorum, & cælo virtutum illustrissimarum. Nimis affectat ignorantiam, qui hanc negat ueritatem.

V Nunc mihi respondendum esset ad prætensa miracula, martyria, & prophetias aliarum Religionum, quæ fuerunt, ac sunt in mundo. Sed prius mihi corroborandum est præcedens argumentum: In quo assumpsimus, rem nullam effugere prouidentiam Dei, & hominem esse nobilissimum, atque talem, quòd digno iure Deus curam adeò particularem illius habet. Dehinc videndum esse hominem immortalem vnde sequatur fidei euidentia in cordibus dubitantium quòd illi Deus apparuerit iuxta Religionis piæ dogmata. Ergo ei cultum, & propter excellentiam suam, & propter beneficia erga nos tanta debeamus.

Entia omnia sub Dei Prouidentia Vniuersali contineri, & intentioni eius, ac voluntati subesse. Nec locum esse Casui, Fortunæ, & Fato, nisi respectu particularium ordinum, & causarum. Itáque Deum Eminentissimum Vnum esse, & non plures: eiusque bonitatem suspicione malitiæ vacuam prorsus esse.

CAP. V.

Propositio. Nihil effugit causationẽ, nec prouidentiam Dei.

PROCVL DVBIO existimandum est in Creatoris Regno, vel Domo (sic appello ipsum Mundum, & statuam Dei, & imaginem, & theatrum gloriarum suarum, & tropheum visibile) non fieri operationem, passionem, actionem, figuram, relationem, substantiam, similitudinem, contrarietatem, bonum, aut malum, aliamue entitatem vllam existere, quæ non cognoscatur, intendatur, & fiat etiam ab ipso Mundi Auctore.

Secus enim oporteret, vel alteram esse causam primam, à qua res ille dependeant, quæ Dei prouidentiæ, & operationi non subiacẽt, & sicut Cataini affirmant, alterũ esse Deum cœli & alterũ terræ, sequendo Manichæũ Aut sicuti Gẽtiles posuere plures Deos, quodam fato colligatos, ita vt Iuppiter Cælum regeret, Pluto tellurem, Neptunus aquam, alij alia mundi corpora, & sæpè in regendo discordes esse: & fato (vt Homerus, & Ouidius canunt) subiacere. Aut affirmandum esset, Deum esse Vnum, sed fato subditum, idcircò non omnia euenire posse iuxtà eius votum, quia ipse resistere legibus fati non potest, vt Ouidius, & Homerus: aut, vt Plinius ait tot negotiis implicitus, singulis semper præstò esse non potest, aut si potest, res multas, quæ casu eueniunt ignorare, aut nolle eas gubernare, aliqua negligentia tactum, vt Horat. interdum canit. Hinc Simon Magus etiam syllogizauit, Deum Mundi huius gubernatorem non esse eum, quem intelligmius Deum optimum, alioquin non permitteret tot mala: sed fabricatum esse mundum, vt ipse potuit; & regere, vt scit, defectibili quidem sapientia.

Secus sentientes quibus erroribus implicãtur Cataini Manichæi.

Symon Magus & Valentinus.

Astrologi.

Alij verò asseruerunt, quòd cùm mundus semper deterior fieri cernatur, & antiquiores meliores quàm recentiores, & mala, quæ hominibus accidunt: vnde omnes scriptores conqueruntur de peruersitate seculi, in quo quisque vixit; & hic laberinthus ignorantiæ, impietatis, idolatriæ, malitiæ, tyrannidisque, sint argumento quòd Deus fecerit quidem mundum, vt mirabilis constructio admonet, sed posteà alicui minus potenti, minusque sapienti Deo, regendum tradiderit; & Valentinus, quidamque Philosophi, ac Poëte hoc innuunt: sed verè est Astrologorum inuentio. Quòd scilicet Mundus primò gubernatus fuerit à Saturnæ stella Sacerdotali sapientissima, altissima in seculo aureo; Deinde regendum acceperit Iuppiter, minus bonus, qui fecerit ætatem argenteam. Deinde Mars dirus sub Nino &c. Quòdque cùm perveniet ad Lunam variabilem, reuersurus sit ad primum ordinem, & regimen primum. Plato in lib. de Regno hanc tueri videtur sententiam. Et addit, quòd Cælum primo tempore voluebatur ab Occasu in Ortum, nunc autem videtur mutasse cursum iuxtà refluxus seculorum, & systematum exorbitantias. Nos autem quid nam dicemus?

III. Si mundi, & partium fabrica, & particularum, & partium istarum, & vsus, & officia, & actiones, & constructio, & opificium admirabile, tot in fines varios mirificè ordinatum, ostendunt nobis, vt patuit, Auctorem mundi sapientissimum, ac potentissimum, quippè cùm nulla particula in eius opificio frustrà appareat; necessariò quoque asserendum est, eumdem esse mundi gubernatorem. Non enim conuenit tantæ Sapientiæ, ac

Verum dogma; quod idem sit conditor, ac gubernator.

Virtuti, opera, quæ optimè fecit, negligere, tanquam si praue ea feciſſet; nec curam Rectori inerti, ignauóque committere: tum quia ipſe ſuo Vicario ſimilis appareret, tum quia aſſerendum eſſet, quòd vel ex impotentia, vel ignorantia, vel negligentia regimen pulchrorum operum ſuorum omittat. Quoniam verò ex mundi conſtructione, & partium, aliam ſententiam meliorem de ipſo accepimus, illa verò aſſertio non ſolum blaſphemia eſt contra Deum, ſed contra omnem prudentem humanum rectorem: Et ſicut Plato ait, quanto melior artifex, tanto exquiſitiùs vna & eadem arte magna ſimul, & parua curat in eodem opificio. Deus ergo, qui curare vult, ac poteſt, & ſcit, negligens erit in operibus ſuis, vt ſucus Apum, dignuſque odio, ac vituperio? abſit. Ergo Plato alibi loquutus eſt ex fabulis Poëtarum, & hic ex propria ſapientia: vnde nec angelis prouidẽtiam ſed exequutionem prouidentiæ tribuit. vide in Metaphyſ.

In dialog. de leg.

Superioribus in ſermonibus viſum eſt in omni re Deum operari. Quòd autem non viliter, vt arguit Aphrod. inferius patebit, & in Metaphyſ.

Reſpectu Dei non dari Caſum, & Fortunam: ſed reſpectu ſecundarum cauſarum.

IV. Dixi ergo. In mundo non eſt Caſus; neque Fortuna per ſe abſolutè reſpectu Dei, ac totius, ſed ſolùm per accidens, & reſpectu partium ignararum totalitatis rerum. Nos verò ignorantes multarum rerum vſum, & exiſtentiæ ipſarum rationem, putamus exiſtere Caſum, Malum, & Negligentiam in magna Vniuerſitate. Si quis mittat ſeruum in plateam, & rurſus alium ſeruum per viam obuiantem illi: Tunc ſerui caſu in mutuum occurſum incident, quoniam ignorabant: at reſpectu mittentis, & ſcientis, & volentis, non caſu, ſed prouidentia. Si quis currens in foſſam, quam non videbat, illabitur, caſu cecidiſſe dicitur; at ſi induſtriosè ob aliquem finem eò ſe præcipitem dedit, videbitur aliis caſu, ſibi autem ratione: Et mihi iaculanti in belluam, occidero hominem, non viſum, caſus eſt, non autem videnti aliunde. Sic hortanti, vt feriam belluam, quam ſcit eſſe hominem, aſtutia eſt, non caſus. Contra Aphrodiſienſem, & Ariſt. in Metaph. diſputaui, contingenti ã, ac caſum relationes eſſe, & accidentalitates.

Quid Caſus.

Et Fortuna.

V. Caſus ergò eſt euentus præter cognitionem, aut voluntatem, aut intentionem cauſæ particularis. Sed tamen eſt prouiſio cauſæ vniuerſalis, quæ omnia videt, omniaque vult ob finem, & ſi ſæpiſſimè nobis ignotum; ſic & Fortuna, quæ idem eſt, quod Caſus quamquam dicitur de euentibus humanis magis, quam aliorũ entiũ, fortuna bona, & mala, quãdo nimirũ peruenium ad bonum, vel malum, non præuiſum, nec ſperatum. Sed non propterea Fortuna, & Sors, & Caſus, cauſæ aliquæ ſunt ſubſiſtentes; ſed ordo primæ cauſæ, ignotus particularibus cauſis. Fatum verò eſt concurſus omnium cauſarum agentium, & patientium in virtute, & permiſſione primæ

Et Fatum.

Causæ (vt etiam Seneca fatetur 4. de benef. 7.) quæ omnes ad proprios fines ordinauit particulares; ex quibus resultat finis totalis prouisus. Sicut lima, incus, ignis, folles, aqua, malleus, discipulus, operantur in virtute fabri, quisque actum suum ad finem suum: Sed ex finibus eorum, hoc est ex ignis calefactione, ex mallei contusione, ex aquæ temperatione, ex discipuli labore, vt discat, ex follium inflatione, ne detur vacuum, elicit ferrarius formam gladij, quam ipse solus intendit. Contueare simul Ciuitatem, vbi tot artifices, agricolæ, milites, rectores, iudices, sacerdotes, emptores, venditores, loquentes, tacentes, ambulantes, sedentes, operantes, dormientes, ridentes, plangentes. &c. colligati sunt ad vnius Ciuitatis vitam vnam: & horum ordo ad hoc ipsum, christianis, & philosophis optimis est, Fatum. Porrò hæc colligatio varios parturit affectus, & actus in variis hominibus, ac proinde in tota Republica; aliquando bellum, interdum pacem, alias famem, alias ludos, aliquando abundantiam: prout cursus omnium simul affert. Et hoc dicitur fatum: licet ex cunctis (vt S. August. contra Cic. respondet) causis liberis, ac necessariis, & violentis, & naturalibus simul contextum: cuius effectus causa particularis dicitur fortuna, sors, & casus. At supremo rerum Rectori, qui intelligit agricolarum ob culpam suboriri famem, & mercatorum cupiditate, argenti penuriam; & lasciuia filij Principis, ludos inhonestos: & alios effectus, ob alias causas, quatenus concausationem in toto habent, puta ex ordine, commoditate, incommoditate, & concursu tali concausarum præcedentium ex præiactis aliis causis, & dispositionibus: Et his ex aliis, & his ex aliis, & iterum, donec perueniatur ad principium, & Principem Mundi: Necessariò sequitur, quod illi (inquam) supremo Rectori, & Cognitori, & Prouisori, non dicatur casus quicunque fatalis effectus, cum in suis causis sit præuisus, prouisusque. Sæpe etiam minimum atomum magnorum effectuum causa esse videretur, vt si moueret oculum Principis, ita quod retrò voluatur, & videat rem, vnde mutat propositum, & statum Reipub. Clauus quoque vnus in bello pungit Equum signiferi: Signifer vacillat cum vexillo: labascit animus militum eo viso, cladem exercitus accipit, euertitur Principatus Ducis, mutatur status, & dominium, omnesque res vnius Regni. Clauus ergo vnus tantam intulit mutationem casu, & fato: sed Deus, qui ordinauerat per clauum illum has mutationes, non subditur, sed præest fato (vt Seneca Stoicus fatetur; quidquid alij dicant.) Et clauus enim, & res omnis minutissima, præcognita est illi ab æterno, qui etiam ordinat per longam euentuum seriem euentum hunc hac ratione, & sic cæteros omnes. Id circo in Metaph. scripsi, rem omnem minimam vsum habere in Mundo, non minus ac maximam, ad finem tamen suum. Mundumque temperatum esse industriori ordine, quàm horo elogium artifi-

Exemplum.

cioſiſſimum: cui ſi addas, aut ſubtrahas quid minimum, totum ruit magiſterium. Et oſtendi vſum atomorum: & quantæ ſunt vtilitates, etiam telluris inciſuræ, & rimæ, foſſiculæ, & monticuli inuiſibiles, ad variandam lucem, & concipiendam in variis gradibus, vt fiant herbæ variæ, & colores, & ſapores, & temperies, aliaque, quæ nos intelligere non ſufficimus. Nec poſſe Fatum reſcindi, vt putat Ariſt.

Agnitio fortunæ in ludo Taxillorum.

VI. In talis & aleis, apparet fortuna, & caſus: vbi vtentibus arte aſtuta proueniunt, vti cupiunt; non vtentibus verò aliquando ſic, aliquando non, prout prima cauſa prouidit. Nunc dices, ergo aſtutia lucrum pariet ſceleſto, prouidentia verò Dei innocenti, ac pio, damnum pecuniarum. Deinde addes, non intereſſe Deum, ſed Lunam ad faciem illius ſpectantem, dare lucrum; ac Iouem in poſituram victoris. Ego verò nunc ſuper huiuſmodi alibi diſputatis, diſputare nolo. Sed ſit Iuppiter, aut Luna, aut alia diſpoſitio, vel affectus proprius, ſi adſit, qui faciat te iacere talos eo modo currentes, qui tibi eſt vtilis; aut ſit induſtria: palam eſt, quòd omnes cauſæ iſtæ partiales ſunt ſubditæ ipſi primæ, ab æterno ordinatæ, ac præuiſæ ad faciendum huiuſmodi effectum: & Deus ordinauit etiam, vt fur ſceleſtus pecuniam à modeſto viro lucretur, vtque alius moriatur, alius viuat, alius naſcatur, alius ſit diues, alius pauper: quoniam hoc nouit conducentius eſſe ad magnum finem, ad quem fines omnes particulares ordinauit; & quod iuſtè ita ordinet, & propter melius ordinatarum rerum, in Metaph. docui, & mox ex parte videbimus.

12. Met. t. 51. & 52. Ariſt. non recte cæleſtibus tantum aufert Caſum Fortunamque.

Hic caue ab Ariſt. & Auer. qui dicunt in cælo tantum non reperiri Caſum, & Fortunam, quoniam ibi regit Deus; at in Mundo Inferiori, maximè; quia Deus aliud, iuxtà ipſorum dogmata, non operatur, niſi motum primę ſpherę fortaſſe; nec aliud intelligit: *quoniam vileſceret, ſi inferiora reſpiceret.* &c. Ita dicunt, quoniam non agnouere Deum vt Mundi cauſam, ſed vt animam primæ ſpheræ æternæ. Quapropter ſi non fecit Deus Mundum, nec entia illius, neque ſciat oportet: ſed æterno fato alligatus fuit ille, ſicut cæterę animæ ad eiuſmodi actiones. Et quoniam Idęa rerum factarum eſt in mente factoris, in qua ſcientia conſiſtit, idcircò ipſe Ariſtoteles negat Idæas etiam rerum inferiorum. Ergo Caſum admittit, & reſciſſionem diuini ordinis, vt alibi diſputauimus. Quapropter aſſero, nec apud nos extare Caſum reſpectu Dei, ſed omnem minimam ipſi notam eſſe rem, & ipſa non entia, quibus vtitur ad entium diſtinctionem, vt videbimus, & ad ordinem fatalem, ſed per Idæas entium. Profectò, ſi Deus à rebus ſcientiam acciperet, ſicut nos, eius ſcientia eſſet paſſio, vel ex paſſione, ſicut noſtra, & vilitas quædam. Sed Deus habet in ſe ſcientiam rerum, & intelligendo ſe ſuamq; artem conſubſtantialem, omnia intelligit, tanquam inuentor, & non vt

imitator: Ego non addiſco ex hoc, quem ſcribo nunc, libro; ſed ſcio quæ in eo ſunt, antequam ſcribam, quia artifex, inuentorq; eius ſum. At alij addiſcunt ab hoc libro; quæ ex mea Idæali arte in ipſum manant. Sic & longè melius ſcit Deus ab æterno omnia: & non vi leſcit, intuendo, & operando in rebus inferioribus, quoniam ad nutum obediunt illi omnia, vt pendentia ab eius ſapientia in eſſe, & operari. Preterea Deus, quoniam rebus intrinſecus eſt, intelligendo ſe facit, vt intelligentes omnes intelligant, & ſentientes ſentiant: & exprimendo ſcientiam ſuam idæalem facit vt ſint; & amando ſe, facit vt omnes ament proprium eſſe; quod à Deo pendet; & ergo magis Deum. A quo, per quem, & in quo ſunt omnia. Quod autem Deo nihil vile ſit, ſed tantum nobis inſipientibus, conſequenter demonſtrabo.

In rerum Vniuerſitate malum non reperiri, tanquam ens aliquod; nec Mortem, nec Vilitatem, eſſentialiter, ſed reſpectiuè, & priuatiuè, & negatiuè: Falſamque eſſe opinionem de multitudine Deorum, de impotentia, aut ignorantia, aut malitia, cùm Fabri, tùm Rectoris Vniuerſorum, longe eſſe ſtultiorem.

CAP. VI.

RES nulla vilis eſt, ſi mala non eſt: res omnes à Deo factæ, ſunt valdè bonæ, cùm ipſe ſit ſummum bonum, à quo non poteſt proinde niſi bonum oriri. In Mundo ergo Malum non extat ſecundùm entis veritatem, ſed ſolum reſpectiuè in phyſicis, priuatiuè in Moralibus, negatiuè in Metaphyſicis. Ignis malus eſt, odioſuſque terræ; terraque igni. Sed per ſe vterque bonus. Idem dices de cunctis malis. Nobis fœtet, vileſcitque ſtercus noſtrũ; herbis verò, & porcis olet; eſtque nutrimentum. Zipetium excrementum eſt animalis, ſimilis cato, eique fœtet, & vilis eſt; nobis autem olet, eſtque nobiles delitiæ: ſtercus bouis olet; ipſi verò fœtet. Mors vitulæ placet nobis, manducaturis: ipſi verò eſt vltimum terribilium. Geniſta nobis amara, capris dulciſſima eſca eſt. Serpens ſerpenti pulcher, nobis verò turpis, & horridus eſt. Ergo non datur ens aliquod malum phyſicè per ſe, niſi in

Non datur Malum niſi reſpectiuum in Phyſicis, & priuatiuum in Moralibus, & negatiuum in Metaphyſicis: nec vllam entitatem habet formaliter à Deo. Sed ſolum ordinatur ad Eſſe, & ad Bonum.

respectu, non autem totius, idest Mundi: multò autem minus Dei, cui omnia bona sunt, cùm vel ex parte eius idæam repræsenten. Igni labor est emollire ferrum: ferro autem afflictio, malumque; malleo percurere est consumptio, sic & limę limare: sed fabro, qui ex huiusmodi afflictionibus instrumentorum elicit formam ensis, & armaturæ, secundùm idæam artis, aptæ ad militis bonum, omnes præfati actus, & dolores, & destructiones, sunt, ratio, gloria, & bonum. Sic Deo elementorum bella, & passiones entium, & transmutationes, & dolores, & mortes: quoniam omnia Ideæ artis diuinæ seruiunt.

Non datur Mors quæ sit Ens, sed solum transmutatio; & respectu Entis particularis est Mors, non Dei, cui omnia viuunt: nec mundi, à quo non recedunt, sed in alias sui partes cedunt.

II. Et penitus introspiciens vidi, in Mundo non reperiri ens, quod appellamus Mortem, sed tantummodo dissolutionem, ac transmutationem entium: sed propter incertitudinem esse sequentis, in quod mutatur esse præsens, vnde videtur annihilari, dolet sentientibus talis transmutatio: quæ Mors dicitur cunctis creaturis, timentibus penitus amittere esse dum esse quod habent, videntur amittere, quod eis bonum videbatur, cùm sit sapor Ideæ summi Boni, primi Entis. Quando lignum crematur, quasi dolore afficitur, eo quod nollet ignis fieri, sicuti ens nullum, vt Philosophi, & Theologi fatentur, vellet in aliud mutari, quamuis melius se. at postquam factum est ignis, se habet quasi obliuiscatur fuisse lignum, nec ampliùs cupit esse lignum, sed pro modulo suo gaudet esse ignem: & ipsum vult esse. Hominis corpus fuit terra, lactuca, frumentum, caro bouina, plurimæque res aliæ; nunc autem non displicet ei non esse quod fuit, sed gaudet præsenti esse, & odit mori, & fieri vermis; sed deinde placebit esse vermem, & displicebit mutari in hominis carnes.

Entia omnia ad sui esse conservationem necessariò propotentiam essendi, & prosensum, & proamorem, à Deo, cuius perfecta sunt opera, ergo ipsum repræsentant Trinum, & Vnum perfectissimum, acteperunt.

Hic admiratus sum vehementer Sapientiam æternam, quæ Entibus cunctis, vt conseruari studeant, quanto tempore opus habet eis ad suum finem præordinatum, largita est omnibus prosensum proprij esse, & amorem esse partialis proprijque; in qua proprietate insertam reliquit quasi per accidens ignorantiam illorum esse, ad quæ mutamur: ac proinde eorundem odium. Si enim non ita esset factum, tunc ens omne corporeum, quasi cuperet fieri ignis, quoniam ignis est nobilissima corporearum creaturarum, viuidissima, lucidissima, & tamquam maximè sensitiua, efficax, potens, diffusiua: & cùm sit symbolum Dei, qui, teste Mose, *ignis consumens est*, vocatur patribus gloriosa & sacra profectò natura. Hinc Ambr. in exam. Aug. 3. super Gen. ab igne ducunt vim sensitiuam; & motiuam.

Omnis sensus, & vis ex igne secundum Phy. etiamque Arist 2. de gen. an. c. 3 & Aug. & Amb. super Gen.

III. Non oportet ergo, Deum Mali assignare alterum, cum non extet Malum, neque Mors in Mundo, nisi respectu Entis particularis, aut priuatiuè; sed omnes Mortes sunt vita aliarum rerum nascentium; & omnis corruptio est simul generatio; Et omnes mortes

tes & vitæ integrant totalem Mundi vitam. Ego manduco panem. panis moritur quasi dolens, iuxtâ modum suum; & ex eo nascitur chilus; chilus moritur, & fit sanguis; sanguis moritur, & conuertitur in carnem neruum, os, spiritum &c. Spiritus autem & caro continuo exhalant in aërem. Ergo intra corpus nostrum contnuò fiunt plurimæ mortes, ac vitæ, generationes, corruptiones, alterationes. Nihilominus nobis, & corpori non sentiuntur, sed placent, & integrant vitam totalem. Idem fit in Mundo: omnesque Mundi partes mutant formas: at non annihilantur; sed ad primi Fabri nutum in res alias transmutantur: Omnes quippe sunt res in manu Dei, sicut lutum in manu figuli.

Physica causa mali effectiua, nec Deus Bonus nobis reuelatus, nec alius Dei autor malorum malus reperiri potest.

IV. Sed cur edixit, vt tantopere dolerent, quæ moriuntur? Nemori vellent, aut procurarent quacumque ex causa, vsque ad tempus præscriptum ad eius magnum finem. Et cur morientes in tempore præscripto, etiam dolent? ob eandem causam, videlicet, vt mortem exhorrescerent; & exemplo essent viuentibus, ne illam cupiant, procurentque: & vt repugnarent: si enim alterum contrariorum alteri non repugnaret, nec calor frigori, nec vita morti, Mundus esset chaos, non fieret pugna, neque generatio, neque corruptio, nec res in tot formas verterentur: quæ Idæam glorioſam Primæ Causæ, repræsentant: ideoque iucundæ sunt; sed quia infinitè participabilis infinitis modis est prima Idæa earum, res semper mutantur, quousque res (forte) omnis materialis mutabilis in omnem mutetur speciem formis succedentibus.

Ad quid dolor.

Et vidi, melius contemplatus, Dolorem fieri non ex transmutatione in aliud esse; sed ex amissione antecedentis esse; quoniam res omnis ex nihilo facta (fuit enim postquam non erat) per se ipsam semper reuertitur ad non esse illud suum originale: Deus autem bonus non sinit eas annihilari; sed largitur eis nouum esse.

Vnde dolor. Quod Deus non concurrit ad non esse, ergo nec ad passiones, nisi efficienter; nec ad defectus & culpas: nec ad mala Physica, nec ad Moralia nisi permissiuè, &c. *Author permissionem intelligit, non reclusionem voluntatis: Sed negationem efficientiæ directa, ita vt Mors sit terminus actionis tanquam positiuum aliquid, cum ipsa sit nonens.*

Vidi deinde, quòd Deus non concurrit nisi efficienter ad passiones, ad non esse, ad mortem, ad calefieri, ad pati. Quoniam pati est fieri aliud, vel in parte, quod est alteratio: vel totaliter, quod est corruptio, & perditio esse antecedentis. Quoniam autem Deus summum Ens est, & nihili non est particeps vllo modo, alioquin finitum esset: propterea non concurrit ad non esse, & mori, & pati perditiuum per se; sed solum ad illud esse, quod res est, & quod posteà recipit, & fit. Ergo concurrit ad mortem, & corruptionem, non quatenus mortem, & corruptionem rei antecedentis, nisi permissiuè, quia finit, permittitque fieri ipsum corrumpi, & mori, & pati; Sed in quantum est vita, & generatio rei consequentis, concurrit actiuè operando & largiendo esse. Ergo quando calor occidit frigus, Deus concurrit ad calefacere; & calor cum Deo nihil facit

aliud nisi calefactionem, & diffusionem sui esse; & factionem alius numero caloris, & rei calidæ, sicut ipse est calor. Et ad hunc actum concurrit Deus, quoniam Entitas est, & diffusio entitatis caloris, & hanc entitatem Deus dat; nam absque primo Ente nullum potest esse ens, nec dare proprium esse. Sed ad hanc calefactionem, quæ est Entitas caloris, sequitur non esse, & mors frigoris: quia frigus, cùm non sit calor, eique opponatur, non potest cum calore coexistere: at deficit esse, quantum calor crescit in esse. Hanc autem defectionem frigoris Deus per omnipotentiam, & entitatem suam non dat quasi efficiendo, sed subtrahendo, vel non conseruando esse frigoris, deficiens. Mors ergo frigoris sequitur per accidens, imò per accidens est volita à calore: qui non intendit frigus occidere per se, sed dilatare proprium esse, & in tuto ponere. Sic etiam quando calor à frigore occiditur, concurrit Deus ad frigefactionem, sed non ad perditionem caloris, nisi permissiuè; & quidem propter melius, vt nimirum fiat frigus ad vsum naturæ, ab ipso Deo intentum. Deus ergo non fecit Mortem, vt sanctè & sapienter dicit Salomon Sap. 1. sed neque malum. Sed ex nihilo, vnde Deus nos elicuit, ac fecit, quando nihil eramus, consequuta nos sunt (vt Anselmus ex Augustino exponit.) Ex quo Nihilo adhuc impotentiam, insipientiam, & odium participamus, sicut ex summo Ente Deo, Potentiam, Sapientiam, & Amorem habemus. Permittit ergo Deus, relinquitque, ex nihilo nos contrahere mortem, malum, passionem, in quantum sunt alicrum vita, bonum, & generatio, & actio.

Anſel. in lib. de libero arbitrio.

VI. Hinc palam fit, quòd etiam in moralibus Malis non est Deus causa peccati, nisi permissiua permissione Physica. Nam moraliter vetat in omni lege. Peccatum enim est defectus entitatis, ordinis, rationisque melioris, & fundatur super actu operantis per electionem prauam illius, qui potius eligit Bonum minus, & apparens, quam maius, & verum, Vel in omissione boni debiti. Deus autem causa defectiua esse non potest. Quando igitur nos furamur, aut occidimus innocentem, aut adulteramus vxorem alienam, eligimus quidem pecuniam, vel vindictam, quæ bona sunt, & voluptatem, quæ etiam bona est: non proinde peccamus in quantum bona sunt electa; sed peccamus in quantum non est bona voluptas cum vxore aliena, quia contra iustitiam. Nec mors innocentis, in quantum innocentis bona est. Sed cùm mistum sit malum bono, nos eligimus exiguum bonum cum magno malo & hoc est peccatũ, ad quod, vt sic, homo se determinat, vetante Deo. Quod autem naturaliter idem sit bonum, & malum respectiuè, patuit quoniam ignis blandus nos fouet, & tunc est nobis bonus, vehemens nos destruit, & tunc dicitur malus. Et ita, vel ita operari, in rebus, rationem peccati, & meriti constituit in moralibus, sicut

Deus non potest esse causa mali Moralis effectiua.

ita, vel ita vti igne; vtilitatem, vel damnum parit in Physicis. Deus ergo concurrit ad omnes eiusmodi actus, hoc est ad impellere ensem mortiferum: ad pungere: ad perforare: ad coitum generatiuum, sed non ad defectum ordinis, & iustitiæ, (qui in talibus miscetur actibus, & vocatur præuaricatio, & deordinatio, & à regula exorbitatio,) nisi permissiuè, quia ipse ex tali malo elicere habet quid melius, seu notum, seu ignotum nobis. Sicuti permittitur Vestiario incidere pannum, quoniam inde facturus est vestem: Aratori verò terram scindere, vt seratur frumentum: & Iudæ tradere Christum, vt redimatur Mundus: & Tarquinio adulterare Lucretiam, vt redimatur Roma. Si hanc Philosophiam introspexisset Caluinus, non dixisset, Deum esse actiuam causam mali in quantum Malum, sed permissiuam: in quantum Malum, & actiuam in quantum Bonum physicum ordinatumvè.

VII. Falso igitur opinamur, plus esse Mali quam Boni in Mundo inferiori: quandoquidem Entia omnia bona sunt per se, & toti, & malum physice est tantummodo respectiuum: Moraliter verò est defectus maioris boni in eligendo, vel abusus boni. Sed iste defectus abususque peccanti imputatur, id est particulari causæ deficienti ab ordine vniuersalis quæ mouet sensus ad bonum in communi, homo verò vtitur motione illa ad malum: sic Deus mouet Pharaonem ad defensionem regni sui (ait S. Thom.) ipse verò vsus est motione illa ad vexandum Hebreos. Deus autem vsus deinde vexatione illa ad gloriam Israëlis & Moysis, nec tamen Deus propter illam gloriam permisit peccatum: non enim peccatum habet causam finalem cùm sit inordinatio ergo non est ordinabile de se ad bonum vniuersi nec ad gloriam Dei (inquit S. Thom.) nec effectiuam sed defectiuam in suo fieri: non est volitum à Deo neq; per se nec per accidens: sed post factum esse vtitur Deus, non ex ratione peccati sed ex sua omnipotenti bonitate in bonum. & ideò causa particularis peccat quia saltem per accidens vult peccatum: vniuersalis autem laudatur, quia vtitur illo in bonum, quod nec per se nec per accidens voluit. Quinimò neque particulares causæ sectantur malum, in quantum malum, nisi quatenus mistum est alicui bono, aut delectabili, aut vtili, aut honorifico: malum enim, quatenus malum, creatura nulla potest eligere. Omnes enim Dei Boni summi Entitatis facturæ sunt, nec proinde spoliari amore Boni, & Entis possunt: possunt tamen non facere vel desistere ab actu illo cui annexum est malum, & ideò culpantur, ait S. Thom.

Nec Creator, nec creatura potest eligere malum sub ratione mali, sed quatenus mistum bono solum potest creatura, quoniam Nihili est particeps.

Diaboli autem, & facinorosi peccatores Deo inimici, cum blasphemant Deum, obloquuntur atque contra eum, putant, licèt falsò, se benefacere, & vlcisci contra Deum: quem cogitatu apprehendunt tanquam iudicem malum, crudelem, & iniustum, vt D. Tho.

Malitia peccatoris & blasphemia nocet peccatori, & non Deo.

& alii Doctores admonent. Qua propter non vere lædunt physicè Deum in se, sed illud ens, quod sibi fingunt in mente esse Deum malum, & hæc falsa persuasio est illis pœna maior, vnde Iob. 35. *Si peccaueris, quid nocebis ei?*

3. contra Gent. c. 118. & p p q 60 art. 5. Et Senec. in libro Quod insapientem non cadit iniuriam.

Hic ego risi, quando in tam sublimem cogitationem ascendi & sensatam, & veram, & solui argumenta, quæ me dubium tenebant, quomodo Deus tot blasphematores contra se obloqui sinit, qui sine ipso loqui non possunt. Profectò si Seneca rectè dixit: *Quod in sapientem non cadit iniuria*; quando enim quis iniuriam facit sapienti, putat se iniuriam facere cuipiam tali in sua cognitione ficto aliter quàm sapiens est, & decipitur, veluti qui percutit vmbram, putans esse corpus: & longè minus potest creatura iniuriam facere Creatori. Illæque blasphemiæ resultant ex hoc in gloriam Creatoris? Quoniam eas dicunt, & faciunt Deo, tanquam malo, putantque benefacere se vindicando, ergo eas faciunt amãdo bonũ, & omnis bonitatis etiã illius bonitatis apparentis, fontẽ: at passione decepti, & errore capti odio habent semetipsos: quoniã odio habent illa, quæ in creatore non est, specié malam Creatoris, sed in sua cogitatione fictã, prauamque imaginem: Quæ cum non sit in Creatore, sed in ipsismet eisdem blasphemantibus; & osoribus: Ergo semetipsos oderunt, vt Dauid admonet, *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam*; & se ipsos blasphemant; & hoc videtur eis bonum: & mouentur, tanquã à bono ad bonum. Bonum autem à Creatore dependet, ergo & ad Creatoris gloriam resultat odium illud mali, sed per accidens, & casu respectu peccantium. Idcircò non merentur, sed demerentur propter spontaneum prauum conceptum animi, qui in eis est, & facit formaliter eos prauos, malosque, & retinentes speciem prauam, & malam imaginem de re bona, propter defectum, quem participant à Nihilo, cui magis adhærere volunt, quàm Enti. Auscultate igitur, ô stulti, & intelligetis, quantopere à veritate aberratis, putantes Deum esse vilem propter peccata vestra, cum iam videatis omnia resultare in gloriam eius, velint, nolint.

Omnis peccans ignorans, quoniam sibi sponte malefacit, & non Deo, cui se putat malefacere Omnia mala resultant in Dei gloriã.

Vnde S. Anselmus peccatum non esse à libero arbitrio in quantum Ens est, sed inquantum defectium est, & Nihilitatis particeps.

VIII. Ponderosum argumentum soluendum remanet, quod, cum contraria sint Cælum & Terra, calor & frigus, lux tenebræ; non videntur potuisse nasci ab eodem Deo. Si enim effectus causæ similis est, & alter ipsorum similis est Deo, alter verò dissimilis, quoniam contrarius est illi simili: Ergo Duo Dii, si duo sunt prima contraria Elemẽta; vel quatuor, si quatuor sunt elemẽta. Respõdeo, quòd vera & omnino dissimilitudo in mundo nõ est, nisi inter Ens & Non ens: contrarietas autem non est inter dissimilia, sed inter similia. Calor & frigus similia sunt inuicem: ambo enim actiui sunt, incorporei, & diffusiui sui ipsius; sunt autem magis materiæ dissimiles, quæ iners est, & corporea. Nihilominus cum materia non præliantur, neque cum linea, neque cum circulo, sed inter se. Rex cum Rege pugnat,

Qui contrarietas ab vno sibi non cõtrario Deo esse possit.

non cum plebeo; & omne simile habet suũ simile pro contrario, vt figulus figulum, inquantum ex eo, quòd similia sunt, appetunt eandem rem, & contendunt pro possessione illius rei communis: quæ non est sufficiens amborum appetitui. Ergo in Deo contraria non sunt, cum sit ipse sufficiens Bonum omnibus, & Ens Entium: sed contraria sunt in materia, quam vterque occupare vellet, propriumque regnum, & sedem facere. Sed vterque simul & materia cum conueniant in esse, ab vno primo Ente omnes deriuari possunt.

Deus concurrit ad agere effectiue, sed non ad pati, nisi permissiuè & ordinatiuè.

Sed inquies. Quoniam calor, & frigus mutuò se se oppugnant: Si Deus concurrit adactiones eorum contrarias, erit in seipso contrarius, faciens, volens que contraria: Quod impossibile est. Ergò melius est duos ponere Deos. Respondeo; quòd ambo contraria idem volunt, quæritantque, & consimili ambo agunt modo, & appetitu: & diffusione propriæ naturæ, ergo Deus concurrit ad calefacere, & ad frigefacere, quatenus vnum, idémque faciunt, hoc est, diffusionem sui ipsorum esse: non autem ad calefieri, & frigefieri: quoniam alter patitur calorem, alter frigus, & in vtroquo est deficientia ipsorum esse quatenus patiuntur, non quatenus agunt, vnde non esse illud non est efficientiæ terminus, nisi per accidens, licet ex virtute maxima efficientiæ procedat. Sed & ordinat Deus passionem propter generationem secundorum entium, & plus auxilij præstat alteri contrario, & minus alteri, in quantum auxilium; facti, præstitique; in quantum minus; permissi. De quo vide metaph. Propterea D. Thomas ait, quod Deus potest velle per accidẽs malũ physicum, quoniã est contra bonũ particulare & potest ordinari ad maius bonũ: sed non potest velle per accidens Malum morale, quia est contra vniuersale bonum, quo nil maius & damnatio animæ non potest recompensari maiori bono.

Odium esse amoris vmbram etiam S. Augustt docuit & S Thom. 1. secundæ & Hic. in symp. Plat

Ignorantiam, & mendacium non habere entitatẽ, sed carentiam entitatis formaliter.

IX. Hic vidi, in Mundo non extare odium, neque ignorantiam, neque impotentiam essentialiter, & per se tanquam Entia. Neque enim calori odit frigus, quatenus frigus est, sed quatenus frigus non est calor, similis sibi; ergo odium est quasi vmbra amoris. Nos odimus inimicum, quoniam amamus nos ipsos, proindeque nolumus ab illo destrui; qui etiam quærit nos destruere, non propter odium nostri per se; sed propter amorem sui, scilicet viuendi amplius, & tutius. Ignorantia quoque non est esse, sed non esse. Scire enim est fieri similem rei scitæ. Mendacium est non esse, quod dicitur; Veritas est esse, quod dicitur; Duo ergo tantum contra stant, & radices omnis oppositionis sunt in mundo, Ens, & Non ens. Omnis autem res quatenus participat Ens, bona est physice, in quantum Non ens, mala physicè. Sed necesse est, quod participet Non ens ad mundi distinctionem; aliter Sol esset Luna, & Stellæ, & Tellus, & omnia, si nullum non esse

participaret. Sic & calor esset frigus, & omnis res, omnis res. Sed hoc tantummodo verum est in primo Ente. Homo ita est homo, quod non est lapis, nec ligum, nec cælum, nec linea, nec res plurimæ, infinitæque. Ergo constituitur ex finito Ente, & circumdatur infinito Nihilo. Idem dico de rebus cunctis. Deus autem è conuerso ita est res vna; quod seclusis imperfectionibus, & nihilitatibus, est omnes aliæ res infinitim infinitus. Est enim Deus absque impefectione lapis: sed ergo non ita lapis, quin non sit, & Homo, & Cælum, Terra, Linea, & res alia omnis infinitè; & taliter est vna, quod est omnes. Et eius natura est omnis natura, sed eminenter, & causaliter, & seclusis imperfectionibus, quæ sunt ex participio Nonentis. & eius nomen est omne nomen, sed infinitè. Ergo ipse non participat non esse, nullamque secum compatitur nihilitatem, vt in Metaphis. luculenter docemur, quoniam illimitatus est prorsus. Quod verè est, & omninò, infinitum est Ens, nec participat Nihilitatem: quod Aliquid est, & aliquo modo, finitum est, participatque Ens, & Nihilitatem.

Deus ergo Entia creando, largitus est cunctis gradum participationis propriæ ideæ, non tamen totam idealem participationem. remanereque fecit alia ab alia distincta Entia propter non esse hoc illud. Huiusmodi autèm non esse Deus non fecit, sed permisit in eis remanere ex illo Nihilo, ex quo fecit ea, & vsus est Nihilo ad distinctionem Entium. Alioquin cum ipse sit maximè vnum, Entia omnia essent vnum. Et re vera sunt vnum omnia intra ipsum Esse, vt altè intellexit Parmenides (teste Platone) non autem sophisticus Aristoteles. Extra vero Esse sunt distincta, & multa; quia hoc non est illud. At etiam correspondent in Deo distinctæ participabilitates, alia enim est idæalitas hominis, alia asini. Attamen vna idæa sola est Dei, in qua omnes relucent ideæ: quæ & est ipse Deus essentialiter; sed quatenus representat respectus ad exteriora, dicitur distinctionem habere. Qui hæc scire cupit, quantum nobis datur, in Metaph. scrutetur.

Plato in lib. intitulato Parmenides, de Vno & de Idæis. Arist. ipse concedit 1. phys. t. 42. & 1. de gen. & cat. t. 18. quod Parmen. qui omnia posuit vnũ, fecit duo principia, & duo elementa, Ignem, & Terram, ergo vnum omnia posuit in primo Ente tantum, vt Plato testatur contra mẽdacem Arist.

X. Sed argumentabamur in principio, cur Deus permittit peccatores, & pulices, & serpentes, tot sectas, & hæreses, & mala: quæ principibus humanis permittere, nedum facere, imputatur ad impietatem, & nequitiam maximam? Et quare eas creat res, quas prænoscit fore malas, & damnandas, præsertim animas Inferis puniendas? Ite ad Metaph. & hoc agnoscetis. Hic videsse sufficit, quòd mala phỹsica non sunt respectu Dei, & totius: & quòd malum essentiam non habet, sed respectum, & quòd proles est Nihili, non autem Dei summi Entis; qui vtitur his, quæ non sunt, tanquam iis, quæ sunt, ad rerum distinctionem, & melius. Et quòd muscæ, vespæ, serpentes, aliáque huiusmodi sunt ad mouendum aërem, & ad exercendum nos, vt simus vigiles, & sagaces, nec stertamus in

Cur & ad quod noxia animalia, aliaque vocata mala.

ocio aliósque ob vsus. Profectò palàm est, quòd nisi molestiæ, fastidiaque essent in Mundo, semper dormiremus, & ociaremur, & ignorantes fieremus: Omnis enim indigentia, ac necessitas, schola virtutis est. Ecce nisi sterilitas, & fames euenirent, non discurrerent homines per mundum ad quærendum victum, aliaque necessaria, nec proinde agnoscerent Deum in tot mirabilibus effectibus illius: scientiaque esset exilis, modicaque: quæquidem post noui Orbis inuentionem mirificè multiplicata est. Si bella non euenirent, essemus ociosi, stolidi, pigri: morbis in iuncturis, aliisque membris tumidi: Tyrannides prævalerent: peccatores non punirentur: Virtus non exerceretur. Si discepationes, & hæreses non essent, nunquam subtiliter Veritas examinata pateseeret. Ergo quoniam pigri sumus ad opera Dei contemplanda, & Veritates diuinas percipiendas, permittit Deus hæreses, vt inquit Apost. cur autem per hæc mala animus humanus ad probitatem euehitur, & non sponte, in Metaph. dicitur: & eius conditio admonet. Præterea multis animalia, quæ vocamus noxia, & inutilia, seruiunt vsibus, partim notis, partim ignotis; & quæ non sunt ad hominis vsus, vtilia sunt equo, & asino, aut auibus, aut nido. &c. nobis autem ad considerationem conferunt. Videntur autem noxia, & mala entia multa, quoniam noxia sunt ex parte corporibus, non animis, ex hoc proficientibus. At si totum contemplere, plus nobis prosunt, quàm obsunt: si autem Mundum consideres; longè magis prosunt. Nos autem iniusti sumus iudices, propterea quòd putamus, omnia facta esse ad nostram tantummodo vtilitatem; & quæ nostris vsibus non palàm seruiunt, frustra esse dicimus, & vana: quæ autem nocent nobis, appellamus mala prorsus; sed profectò res nulla nobis alicui non est vsui, sed nos modum ignoramus. sicuti nos ignari intrantes in Apothecam Aromatariorum, & Pharmacopolarum, res multas videmus, quæ nobis videntur nulli esse apta vsui: & ibi esse quodam casu; Sic & aliorum artificum officinis: At cum posteà artificis vsus, & opera spectabis, ad multas vtilitates extare eas intelliges. Vngulæ, & pili videntur superfluitates: at si Ipectes vsum eorum, obstupesces admirando. Idem dicemus de vniuerso, quòd est officina Dei: vbi si oscitanter contueris, nihil sapis, intelligisue. Sin vero philosophari cæptes, inuenies valde à proposito ob vsus mirificos esse, ea, quæ videntur casu fieri; sed non omnium rationem reddere poteras. Nam & Angeli, qui etiam vident Creatoris opera magis intrinsecùs, vix omnium rationem reddere norunt. Ergo æstimare debemus omnia ista hæc mala, physicè respectiua, ac malorum moralium permissiones, odij, mendacij, mortis, insidiarum, magnos pluriniosque esse in vsus; Denique Statuæ, quæ Mundus est, seruire loco vmbrarum, & intermallorum: aut sicut semitoni, & metaphoræ Musicis, atque Poëtis; qui per se sunt vitia, sed cer-

tis coapri locis sunt ad magnam venustatem. Poëna quoque mendacium & iniquorum, iustitiam manifestam reddit: hortatur gentes ad bonum, & est spectaculum spiritibus abstractis. Pœna verò, & afflictio bonorum, est causa coronæ, & gloriæ, sicut militibus prælium ærumnosum.

Vsus Impiorum & animalium; ipsorumque pœnæ.

Quod animæ ad prælium, non ad pœnam, ac meritorum comparandorum gratia, corporibus, dum creantur, imittuntur, inferius docebimus. Impij seruiunt piis ad exercitium, & gloriam; & quæ accidere ex peccato antiquo, & quòd bruta participant mala nostra, quoniam nostra sunt instrumenta, & res.

Non igitur extant in Mundo mala ex negligentia, aut inertia, aut ignorantia, vel impotentia, vel crudelitate Dei: sed propter fines altissimos, partim nobis cognitos declaratosque in Metaph. sed plurimum ignoratos. Tandem qui sapientior est Deo, & meliora facere potest, Deum emendare potest. Audi tu Achitofel, qui neque culicem formare scis, neque ad quid sit nosse: sufficere debet Politico vito scire, quòd Deus est, & non æmulari prauos, & malignantes; alioquin te facis vas iræ Dei, & seruies pro contumelia, & excremento, & carnifice, & satellite, & scandalo: necessario, vt dicit Euangelium: ad magnum vniuersitatis opificium; tibi vero exitiali.

Necesse est vt veniant scandala.

Nequitia, & inertia est Principis, permittere mala, ex quibus nescitur, nec potest elici bonum: vnde permittere mortem innocentis, peccatum est illi; non autem mortem vitulæ, quoniam hinc relicit nutrimentum hominum. Deo autem, qui scit, ac potest ex malis bona semper elicere, virtus est; & quidem Lucretiæ iniuria, & mors Decij, & persequtio Dauidis, docere possunt, omnes euentus malos esse occasionem boni; & vbi Princeps potest, & scit hoc, itidem facit quando lex, sapientior illo, contrarium non iubet.

Cur permissio mali non detrahit Deo quippiam; hominem verò constituit iniustum.

Nec te moueat, quod Deus concurrit ad actus peccaminosos, vnde Caluinus Deum blasphemare seipsum, cum homo blasphemat, dicere cogitur. Nam Deus dat physicè virtutem agendi, & actionem, & determinationem, citra coactionem, ad actum pium: non autem determinat ad peccaminosum: non enim impellit, ait. Eccl. 15. nec tentat, ait S. Iacob. 1. (idem D. Thom. in 2. dist. 25 q. 3. ad 3. & D. August. in Resp. ad ar. sibi impos.) licet posteà ordinet peccatum ab bonum. Non enim vult peccatum per se nec per accidens: neque peccatum fieri, nec esse. Sed ex quo est iam vult vt sit occasio boni & ad bonum, acceptant sic à Deo, non data à creatura propter bonum. Vide centonem Thomisticum.

Nota.

HOMI-

Hominem animo diuino immortalique donatum esse : eique aliam post hanc vitam conuenire : ideóque Deum præcipuam illius curam gerere : seseque illi manifestare, per rationes sensatas, ac credibilitatis euidentiam conuincentes, nouasque, Politici docentur : ac ad melius agnoscendum Religionem eleuantur.

CAP. VII.

EQVIDEM vnquam hominem meliorem Sole & Stellis & Cælo, si animata sunt, vt Cæli, nedum Virtutes cælorum, laudare nomen Domini dicantur, existimare audeam, vt Philosophorum vulgus credit. Nam ex ratione, & Scripturis, vt etiam Caiet. optimè concludit, pro comperto habemus, Mundi partes omnes tanto præditas esse sensu, vel infuso, vel assistente, quantus cuiusque sufficit conseruationi. Corpora autem Cælestia etiam intellectiua viuere anima assistente, ac mouente, non informante ; (quod sufficit ad animam Platonice acceptam, vt doctè S. Thomas obseruauit,) quæ melius sic viuificare potest corpora illa nobilia, lucida, permanentia, quàm nostra opaca, vilia, ac moribunda. Itaque corpora illa fœlicia esse : propter animos, qui ibi inhabitant, vt Peripatetici multi cum Aristotele opinantur, & Angelicis intellectibus cælestia sic animari, & informari : Origenes, & Philo, & Plato, & D. Hieronymus, aliique multi fortiter asserunt. Et quamquam seruiant cælestia homini sicut tectum, & signa, & influant lucem, & vitam, & motum inferioribus rebus cuctis, hoc non ostendit, ea esse nobis seruos, sed Dei administratoriorum spirituum organa, & nobis beneficas causas. Quos autem vsus nobis præstant, Deo seruiendo præstant ; nec nobis modò, sed cunctis rebus inferioribus itidem seruiunt, influuntque. Et licet res omnis nostri gratia facta sit, tamen omnium aliarum gratia extat. de quo inferius. Et profecto conuenit Solio Dei, domicilioque Angelorum sic viuum esse, non autem mortuum ; vt quidam opinantur. Idcirco, inquam, Deum illorum curam habere maximam, ibique eius

Si cælum, & stellæ sunt animatæ, nobiliores sũt homine sed homo omnibus præstat cæteris creaturis corporeis.

familiam habitare, ipsumque seipsum, & gloriam suam manifestare Intellectibus abstractis in lucidissimis mansionibus non ineptè

Psal. 113. credunt cunctæ Nationes, vt Arist. 1. Cæli testatur, & Psaltes canit. *Deus autem noster in Cælo &c.*

II. At vidi inter Creaturas, quæ super terram, & aquas, & aërem incolunt, hominem esse nobilissimum; animoque ferè diuino, immortalique pollere. Nec Deo vilitatem esse, sed gloriam, & virtutem, quòd se manifestat homini, eiusque peculiarem habet curam, sicuti sacræ historiæ innumeræ testantur indubitanter.

Et dixi, homo non superat viribus potestate que cætera animalia, cum equus, & leo, & elephas, & bos, & aper, & canes multi aliaque animalia sint eo robustiora, viribusque vincant. Nec sensibus exterioribus, cum Aquila acutius videat, & longius, & validius; quippe quæ Solem intueri potens est: & Lynceus, & Capra. Canis longius, & melius odoratur venationem, distinguitque odorem hominis, & belluæ. Lupus & sagaciori, & distantiori præstat auditu, sic & mus, multaque animalia. De Gustu autem, ac Tactu, concretioribus sensibus, certitudo non extat: Quamquam Aristot. affirmet, hominem tactu cætera animantia superare: Vidimus enim Araneam mirabili dexteritate, & gracillimo tactu contrectare, ac texere retia sua ad captandas muscas. Apes vero mel, & ceram tractare subtilitate multa, distinguentes ea, ac cellas fabricantes mirificè. In gustu vero præpollerè illa videntur, quæ rerum sapores discernunt non appositio sale, & igne, alterantibus natiuos sapores. Multa autem videntur illis dulcia, nobis vero amara; & multa nobis fœtent, odoratu stupido præditis, quæ canibus, sagacissimè odorantibus, olent. Quapropter in obstinatione quis persistens pro brutis, conuinci non potest, quòd nos tactu meliores simus, nec gustu. Tactu præterea scientiarum sensus non habetur apud omnes Philosophos: quamuis ipse demonstrauerim, sensum omnem esse quoquo modo tactum, diuersis actum modis in organis diuersis. Nec tactu molliores, vt dicunt Peripatetici, licet parum sibi constantes, semper videas sapientiores: sed eos, qui cerebri cellas mellius formatas habent, spiritúmque tenuiorem, ac puriorem, facilem pati, ac moueri omni motione: quæ non interrumpatur à fuliginibus interuolantibus, nec à celerrima Spiritus deficientia, eiusdem exhalatione subita euenient continuo, sicut accidit prauè reminiscentibus, tenuissimisque hominibus.

Prima ratio pro diuinitat. hominis. A præstantia supercuncta animalia, & corporeas res, quàm maxima.

Minor propositio, ab arte mirifica hominis.

Sed è contra inuenio in homine tantam sane Diuinitatem: quòd cùm neque pilis, neque plumis, neque squammis coopertus sit, nec armatus cornibus, & dentibus, & rostris, & vngulis, sicuti belluæ; ac nascatur imbecillimus, ita vt nec moueri

possit; nec mammillas prensare: sed iners, vilis, plorans, nudus nil sibi auxiliari valens, neque moueri, sicut cætera animantia: modico tamen post tempore tanta sapientia donatus euadit, quòd domat omnia animalia, seipso potentiora vincit; imperat leonibus, elephantis, auibus, piscibus; omnibusque vtitur: & de eis sibi seruit, & nullis ipse seruit: efficit ex illis ouilia, greges, armenta, ea consumit, vescitur, vtitur carnibus, fructu, pellibus, cornibus, ossibus, & viribus eorum, & motu, equitando, venando, currus ducendo, pistrinosque. Et quidquid libet facit de illis, deque toto inferiori Mundo; ita, quod eorum quasi Deus apparet. Domat enim metalla, efficit arma ex eis, & instrumenta vincendi lapides, montes, terram, arbores; & ex eis efficit domos, ciuitates, arces, viridiaria, syluas, & hortos ex arboribus, & herbis; fruitur cunctis rebus adeò mirificè, quòd animal nullum rem minimam ex his vnam facere nouit.

Pressius argumentum ab arte,

Ars autem hominis sic mirabilis est, quòd benè ostendit Diuinitatem in nobis. Ambulat homo per mare, sicut per terram; domat Oceanum, & Ventos; ambit terram nauigio: Nautica cartha, & magnete se ipsum in tenebris regit: nouit sidera, & terras, quorsum vadit. Tonat in bello bombardis, & archibugiis instar Iouis: obedientiam ab equo exigit celebrem ad quemcumque actum: Orbem occupat, subiugat, peragrat, intelligit, videt, regit, tanquam Deus ipse sit inferioris Mundi.

Confirmatio prima ex pyrotechnia.

II. Verùm Ars tractandi ignem; qua domat metalla, totque parat instrumenta artium cunctarum, belli, & pacis: se calefacit: dapes coquit: condit sale, & pinguedine ferarum, & arborum, tanta profecto industria. Et de nocte facit diem in suis habitationibus. Res quidem nulli conuenientes animanti, excepto homine; quamuis manus Simia, & Vrsus habeant, sed non adeò industres, quia Instrumenta sunt animi diuini scientis vti: vtique signum est, mirificè indicans hominis quasi Diuinitatem.

Confirmatio ex scriptura.

III. Sed Scriptura deinde, qua homo futuris, & absentibus, in cartha suas significat cogitationes, & doctrinas, leges, dans linguam doctissimam rebus inanimatis, longe magis ostendit pius diuinæ excellentiæ humanæ. Et longe magis lingua, quam horologio dat ad distinguendum, & significandum, sicuti, & quæ in sphæris efficiuntur cælestibus: vt omittam interea, quòd quidam volatiles fecere columbas ex inanimata materia, & aquilas, & statuas mobiles, vt pridem in Germania. Et alij non solum Deo Duce, sed paratis sibi alis artificiosis in æthera volarunt, vt Dedalus, & nuperrimus Calaber. Nec longè absunt ab hac arte portentosi funambuli.

Confirmatio ex Astronomia.

IV. Sed longe mirabilius est absque alis in cælum se se attollere: signare in eo Aequinoctia, & Tropicos, & stellarum ordinem, ma-

gnitudinem, distantiam, & cursum, & influentias ipsarum particulares: & aliis prædicere, quando erit Ecclypsis luminarium, quadrati aspectus, sextiles, trigoni, & configurationes variæ, & magnitudines, & durationes; & pluuias, & ventos, & prælia, & penurias, & mutationes in terra, & in mari, & in aëre, tam mira sagacitate. Indicium profectò maximum, quòd pertineat ad nos cælum, quòdque similes fœlicibus illis simus intelligentiis, quæ sursum inhabitant, cælestiaque curant.

Confirmatio quinta ex animaduersione exorbitantiarum. Vide obseruationes Abrachis, Timochatis, Hipparchi, Menelai, Ptolemæi, Albategnis, Arzachelis, Pro fati, Alfonsi, Peurbachi, Regiomontani, Copernici, Tyconis; mirabere hominis diuinitatem.

In eo autem maximo cum stupore hominis Diuinitatem admiratus sum, quòd quando Deus mutationis aliquid in cælo facit, subitò ipse homo illud notat, nouasque tabulas construit cælestium motionum, eleuationum, depressionum, stationum, retrocessionum, velocitatum, tarditatum, regularitatum, irregularitatum eorum; nouosque circulos, & circellos, & libr.tiones, & sphæras, & excentricitates ad calculum inuenit, apponitque: docet, ac metitur Apogrotum mutabilitatem, figurarum stellatarum confusionem, & excurrentia puncta cardinalia, aliaque id genus mirabilia, quæ prorsus eueniunt secundum mensuram calculi, quam sapiens Mathematicus excogitauit. Ecquis non exclamaret in laudem humani animi; sagacitatem adeo diuinam in ipso conspiciens?

Confirmatio sexta ex metiendi magnitudinem, motum, situm, ratione.

Quid quando ex Lunæ parallaxi eius distantiam venatur, & diametrum Terræ, & ex Ecclypsi pariter Solis quantitatem metitur, & Lunæ, & Terræ simul: & cuiusque distantiæ tantillum sciens, totam ex tantillo venatur, demonstratque? Nonne diuinitatem tunc sui Intellectus pandit? Quænam, quæso, bellua, vel minimum horum nouit? vel ludere saltem latrunculis, aut paruam metiri planitiem? Vel &c.

Confirmatio ex artificio mechanico. Mirifica æstimatiua animalium, industriaque est quasi nihil ad diuinio hominis Rationali tatem

V. Operantur quidem mirificè animalia quidquid eorum prodest vsibus: aranea, apes cellas, aues nidos: habent Reip. & religionis quandam imaginem, vt Elephanti: sed hæc omnia facit homo longe melius, & adeo plura, ac meliora quòd non potest videri nisi Deus, si comparetur illis. Inspice, quæ fabricantur retia ad capiendos aues, & elaboratas, texturas, picturasque sericeas mulierum, quod non modo cum Aranea contendunt, sed cum cum tota natura. Cellæ autem à cæmentatiis ædificata, & arcæ, & vasa, nunquid opificio Apum cedunt? Quid de nauibus, horologiis, typographia, bombardis, de equestri; aliisque artibus non mireris Diuinitatem? & tamen hæc omnia rudes homines tractant. Scientiæ autem insuper Deo simillimum faciunt hominem.

Confirmatio. Ab instrumentis coniunctis.

At ingratus homo cæcusque, æstimat se belluis persimilem: negatque diuinam & durabiliorem sibi inesse animam. Sibi quidem, & Creatori magnam infert iniuriam quilibet Epicuræus. Quem à propria deceptione ipsa manus vendicare potest, quæ instrumentum est Intellectus, negata belluis: similiter & vultus ere-

ctus, spectans in cælum, indicia sunt manifesta, quòd nobis animus cælestis insit, aptusque coniungi Superis, & operari in terris quidquid natura vbique ostentat: imitarique. Alia quidem animalia collum longum habent, vt cibum sub aquis desuper capiant, vel serpentes colubros, absque læsione, vt Anates, Cyconiæ, &c. Aliâ verò agilitatem ad cursum, quoniam timida sunt, fugaque se defendere opus habent, aut cibum tenuiorem inquirere, vt Ceruus, & Lepus, &c. Alia visum acutum, vt procul videant escam, quoniam in sublimibus habitãt, vt Aquilæ. Alia vero alias dotes; quæ sane omnes mortalitatem sapiunt, significantque, & aptitudinem ad conseruationem mortalis vitæ. At homo figuram habet, atque manum, quæ ipsum dignum, aptumque adspirare ad cælestem vitam, & diuina operari opera, indicant, vt alibi ostensum est: Animumque ad talia natum; sicut si videris instructum cythara, aut falce, dicis aptum cytharizare, aut metere: sic manu, & vultu humano, ad diuina aptam.

VI. Illud etiam admirabilius vidi: quòd animal penè omne aliqua pollet præsagitione aliud præuidendi pluuias, vt Corui, & Boues: Alcyones verò maris tempestates: Formicæ hyemem: Hyrundines regionis apricitatem, &c. Sed hoc est quid valde exile, exignumque, si respicias ad naturalem hominis prophetiam, quam per Astrologiam acquirit, aliasque per artes diuinatorias, & per politicam prudentiam. At supranaturalis animalium data est nulli: solus enim homo se reputat immortalem, religionem retinet, cultumque Dei veri omnipotentis: scit, quæ Deus missurus est hominibus mala, vel bona, non ex passionibus aëris, aut Cæli sed per reuelationẽ Angelorum & Dei: cuiusque sagacitas talis est, quòd propriam intelligit immortalitatem: quodque post mortem illi altera conueniat vita, & præmium, & pœna, bene, maleque factorum. Et quidem Aristot. impius, qui alteram vitam non agnoscit, Paradisumque, & Infernum pro fabulis habet, contra piam Socratis, Platonisque philosophiam; nihilominus affirmat prophetias Sybillarum; similiter & Galenus, cui anima videtur mortalis: & quamquam eas tribuant intemperiei atræ bilis; tamen cùm atra bilis, & calor, & aër, & Cælum, sint stupida, insensataque entia iuxta ipsorum decretum, cognitionis expertia, non possent cognitionem nobis lagiri futurarum rerum tam mirificam. Nec si sensu polleant exquisito, vt Telesio, & Hipp. & Anaxagoræ videntur, possent Messiam prophetasse, & sæculorum nouitatem, vt nostris cum Vatibus etiam testatur Cicero, & Plato, & Plutarchus, & alij innumeri de Sybillis; neque tot Regnorum destructiones, & Religiones, & Resp. quin etiam nominatim, vt Isaias de Cyro prophetauit. Quæ omnia tribui partis inferioris passiombus nequeunt, vt habetur in Metaph. sed bene parti illius diuinæ, cui Deus influit cognitionem arcanorum suorum. Stel-

Hæ rationes probãt immortalitatem: priores vero diuinitatem omnes commendarunt.

Probl. sect. 30.

Isai. 30.

læ quippe, & aër totante sæculis præsentire, ac significare ista nequeunt, vt alibi ostendimus, cùm præsertim arcana sint prouidentiæ non autem prouisarum creaturarum. Et quid dices, ô Aristot. quando apparent Prophetis visibiliter vigilantibus Angeli, & loquuntur cum eis per horam, vt Zachariæ, Petro, & aliis, ac nouissimis Sybillis, Catharinæ, & Brigidæ euenit? Numquid hoc extra se facit calida atra bilis, quæ intus potest tantum: itidem & pauca? si negas historias: euentus, & rei natura te comdemnat, vt in cap. 11. 13. 14. & 16.

VII. Vidi etiam omnibus prope belluis aliquem inesse vmbratilem discursum sensitiuum, non autem mentalem; aliquamque sagacitatem prophetalem, & quasi Religionem naturalem, circa res pertinentes ad mortalem vitam tantummodo, non autem ad immortalitatem. Aliter enim contemnerent cibum, & coitum, & seipsas, totamque mortalem vitam, vt facit homo deditus Religioni, & contemplationi. Hoc ergo indicium est magnum, homini immortalitatem conuenire. Natura enim non dat caram superfluam, & continuam anxietatem illius rei, quæ non conuenit illi, cui dat eiusmodi curam. Profectò infælicissimus esset homo supra belluas, viuens perpetuò sub timore Inferni, & ambitione Paradisi, ieiunando, affligendo seipsum, inquirendo, colendoque Deum, & legibus se se astringendo; nisi aliud sibi bonum conueniret, quàm quod brutis: quæ hac vita fruuntur expertia sollicitudinis tantę, liberaquæ spe, metuque inani.

Argum. 2. Rationalitate intellectiua, & vera Religione super sensitiuam æstimationem animalium longe præstantiore, sicut proprium supra metaphoricum.

Nec bona tẽporalia sufficientia sunt Religionis præmia. Religiosus enim contemnit corpus, & honores, & delitias, & rem, vt contempletur, colatque Deum. Omnis autem scientia est Religionis particula; ac partim hosce effectus quęlibet contẽplationibus efficit. Nec scelesti, ignarique decepti tantùm hoc munus obeunt, sed sapientissimi hominum, & optimi. Contemnere igitur hanc vitam propter fiduciam in altera meliori, cùm vanum non sit, affirmandum est euidens nostræ immortalitatis indicium.

Argum. 3. Ex Religionis promissis, & assecutione non inani.

Nec quidem caliditas, tenuitasque spiritus attrabilioſi hoc vanum in nobis consilium ingenerare posset. Nam veri sapientes id consulunt, operanturque, non autem sophistæ: Item pii, iustique, non autem impij. Et illi dicta sua comprobarunt miraculis, & sanguine, & manifestis experimentis, & alloquutione Superorum. Nec inuenias qui velit pro Arist. dogmate, aut Galeni, mortem subire: sed pro Christo, & eius nouo & antiquo Testamento millies mille. Et quanquam alij Legislatores falsi ita sibi compararunt fidem, & amorem populorum, quòd multi pro eis subeunt mortem: subeunt quidem solùm in quantum credunt, veram esse Religionem alterius vitæ, ex quo innotescit, quòd à quocunque alta veritas prædicetur, vires mirificas habet ad conuincendum iudicium humanum.

Ex humoribus, sensualique portione animæ Religionis studium insurgere haud quaquam posse: Nec probationes eius aliunde, quàm à Deo.

& sic Religio vera ad euidentiam suæ credibilitatis erigendam : mendacium verò subsistentia, atque certitudine eiusmodi caret.

Quapropter inquam, quòd cùm omnis rerum sensus, & scientia sit quidam splendor, vel opacatus, lucis primæ sapientiæ, idcirco animalium cognitio indidem dependens, nostræ aliquo pacto similis extat : Itaque habent quodammodo Religionem, prophetiam, medicinam, militarem, Rempub. (& vt Lactantius, Osius, Plutarchus, Porphyrius, aliique asserunt, sensualem discursum, quem S. Thomas vocat æstimatiuam) sed ità valde inferiores nostris, quòd debent vocari metaphoricè, quippè relatio his est omnibus ad præsentem modò vitam. Heliotropia herba Solem colit, & cum eo amorosè gyrat; oliuæ, & tiliæ, salices, & Iupini comas ad Boream vertunt dum Sol ad Tropicum Cancri properat; & cùm eò peruenit, conuertiturque ad Austrum, ipsorum quoque comæ vertuntur in Austrum. Multæque sequuntur Lunæ motum, seu longitudinalem, seu latitudinalem : & folia diebus crescentis Lunæ pares crescunt numero, & cum decrescente minuuntur. Sic aliæ aliarum Stellarum : & lapides, & belluæ, cum eis sympathiam habent. Porrò Elephanti Lunæ genuflectunt, & se lauant à coitu, quasi lustraturi. Et Apes æstimandæ sunt Religionis vmbratilis participes, quando & fucos habent quasi Sacerdotes, & excubias, & intimationes ad dormiendum, surgendum, & operandum : Formicæ in interluniis festas. Sunt animalia, quę colorem mutant augentquę crescente luna, & deficiente minuunt, in India. At ergo istorum vmbratilis religio extenditur tantùm ad præsentis vitæ commoda : alioquin nobiscum communicarent in tanto negotio, sicut nos cum Angelis. Item propter partum, & coitum omnia missa faciunt, spernuntque. Sensu ergo, ac sensuali passione ad ista ducuntur (quidquid indoctè fabulatur pro eis Mahometes.) Agnoscentes Aues Solis beneficium, qui ipsos ad propria excitat opera, & timores tenebricosæ noctis expellit, ei arrident canuntque : Elephanti verò amant Lunam, quę ipsis noctu suas ad operationes lumen præbet. Idem Lepores forte faciunt, quia nocturni sunt : Herbę vero conuoluuntur ad sidera tanquam propter voluptatem, quam in se percipiunt ab ipsorum radiis eas penetrantibus; & propter quasi sensum, qui in eis excitatur. Sed nequaquam asserendum est inuisibilis Mundi Monarchæ inesse in eis notitiam, aut amorem, nisi per hyperbolem, sicut Hier. & Tho. dicunt; *Omnes creaturæ sentiunt Creatorem imperantem & Amant plusquam se ipsas.* His enim donis mouētur ad opera omnia, concurrente Deo intrinsecus ad eorum actiones cunctas. Omnia namque sunt à Deo, per Deum, & in Deo; Et propterea Ecclesiastes cum numerasset Elementa, & omnia opera Dei, subdit; *Omnia hæc viuunt, & in necessitate obediunt ei.* De his in c. 9.

Et hæc cogitans, eorum incusaui zelum scientiæ inopem : qui ne-

Argum. 4. Ex differentia veræ Religionis, & rationis humanæ à brutali, vmbratili, caducaque.

Triplex cultus declaratus in cap. 9.

M. Alb. in lib. de homine sensum gustus, & tactus dat plantis : vt olim Pythag. & Niphus post 8 in Matt. 1. 2. q. 109. art. 3.

Negare manifestas Veritates, est suspicionem de incertis nutrire. Et inimicũ in sua confirmare opinione.

gant discursum syllogisticum (vmbratilem (brutis, positum à D. Thoma, & Basilio, & Lactantio, & Ambrosio, & Philopono, Themist. & Auicen. & Arist. in 1. Metaph, vbi etiam D. Thomas probat, quod omne animal habens memoriam, habet prudentiam, quæ absque discursu, vel sensitiuo, non est; qui vocatur æstimatiua: & qui negant Religionis elephanticæ analogiam, & prædictionem, quasi prophetiam, auium, nè forte cogantur eis rationalem immortalem animam concedere? Vnde Macchiauellistæ implentur malitia, quia negantur eis manifestæ veritates. Et dixi, Si concedunt qualemcumque prophetiam naturalem brutis, cur non etiam, consimilem rationalitatem sensualem, & vt supra diximus, metaphoricam? In Iob. cap. 38 dicitur. *Quis posuit in visceribus hominis sapientiam? Et quis dedit Gallo intelligentiam?* & nunquid non recte dicit Eccles. 1. *à Deo prima sapientia est omnis sapientia, quam effudit super omnia opera sua?* Quod si ita est; similis est in cunctis proportionaliter. Diuinitas ergo hominis ex horum proprietate, & aliis principiis venanda est, vt facimus nos; & non à negatione alienæ entitatis. Immortalitas vero iam ex eisdem patuit.

Argum. 5. Ex Dei cum homine commercio, & amicitia, & reuelatione probanda in 2. seqq.

VIII. Verumenimuero argumentum Iesu Christi contra Sadduceos, euidenter conuincit super omnia efficacissimè immortalitatem animorum. Si enim Deus Moysi se manifestauit dicens, *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob*, existimandum omnino est Abraham, & Isaac, & Iacob viuos esse. Secus enim dedecus, & probrum Deo esset, vocari Deus non entium, & mortuorum. Hoc autem valet ad omnes. Cùm enim declarauerit se Deus hominibus patrem, ac Deum ipsorum: ignominiosum esset ei dici Deus, & pater illius entis, cui breuissimo tempore conuenit in vita manere: at postea in morte permanendum est in æternum. Quod autem Deus se se hominibus ita declarauerit, in superioribus ostendimus, & inferius magis patebit: Quòd scilicet id negare maior est impudentia, quam negare Romam in Mundo esse. Dauid quoque ist hoc argumentum perpendit, cum dixit, *Domine quid est homo, quia in notuisti ei?* Et profectò idem argumentum perpetuum bellum gessit in animo meo: & vires vehementer exercuit in considerationibus meis. Dicebam enim: Quid nostri indiget Deus, quod se nobis velit manifestare, & insuper fieri homo? Sed contemplatus deinde, quòd Deus fecit Mundum, cuius non indigebat, tanquam indigeret, & tot lapides, feras plantasque fecit, tanquam illarum indigens, cùm non indigeret, sed tantum propter suam ingentem bonitatem: quæ non inuidet esse rebus, quas nouit posse esse, etiam intra suam infinitatem, sed omne quod vult esse, ex possibili deducit ad actum, iuxta mensuram suæ possibilitatis in mente ideali Altissimi præuisæ: sic negandum minimè itidem est, quòd hominis nihil indigens, si tamen homini ostendat (sed de hoc rationes plures in Metaph.

Argumentum à reuelatione roboratur.

quo-

quodque hominem, relinquentem cultum veri Dei, permisit Deus seruire lapidibus, & serpentibus, vilissimisque rebus, vt agnosceret, quid interest Altissimo seruire, ac rebus abiectis. Ac deinde misericordiosissimè eidem omnia mala experto, opem tulit. Religio aualogica ergo bestiarum est seruire creaturis, melioribus se, à quibus mortalia consequuntur bona. Hominis verò Creatori, à quo etiam immortalem sperat fælicitatem, quam nulla cratura dare potest, quin neque immortalitatem, vel fælicitate carentem.

Argum. 6. Pro hominis immortalitate ex immensitate intelligentiæ.

Præterea graue argumentum pro hominis immortalitate in Philosophia nostra scripsimus. Nullus effectus super suam causam eleuatur. Si igitur Anima humana esset *elementorum temperies*, vt Galenus affirmat, plurimique Peripatetici, aut *harmonia*, aut *sanguis*, aut *forma materialis*, aut *aër spiratus*, vt alij dicunt, aut solummodo *Spiritus calidus tenuis sensitiuus* Telesij (licet is etiam addat *Mentem à Deo immissam*) *ingenitus à Sole*: Nequaquam posset homo intelligere plusquam elementa, & Solem, nec appetere rem infinitam, neque super elementa; vt experimur in brutis; quæ aliud non attendunt, quàm præsentem conseruationem, nec erigunt se ad contemplationem sensui superiorem. Sed homo non solum intelligit Elementa, & deinde Solem, sed vagatur superius, & deinde magis supra cælum, & adeò superius imaginatur, quod in infinitum excurrit. Vnde Democritus, & Epicurus, qui immortalitatem negant, nihilominus affirmant esse infinitos Mundos extra Mundum nostrum. Indicium profectò euidens, quòd anima sit spiraculum, & scintilla, & genus, (vt Apost. dixit) *infiniti Dei.*

Act. 17.

Porrò verè extenditur iudicium Intellectiuum ad hæc extra cælum infinita: sicut Sensus Visus ex imagine Stellarum intromissa oculis extenditur vsque ad Stellas.

Nec, vt Arist. docet, vana imaginatio est hęc. Etenim ex similibus ad alia similia syllogisticè procedere in infinitum, non est opus caducæ, vanæque rei, sed intelligentiæ altissimæ: quæ eousque se se erigere potest. Hoc autem in Mathematicis mensuris palam fit: vbi huiusmodi argumentatione arcana, natura, magnitudo, situs, motus, periodi, aliaque reconditissima Cæli, & Mundi attinguntur. Non ergo vanitas est, sed diuinus animæ effectus. Et licet multa falsa imaginemur in hac extensione: tamen extensio non est falsa. Nam verè extenditur ad infinitum, quodcumque sit, infinitè Imaginatio. Non enim vanitas nostra potest plura inuenire, quàm natura habet: cogitamus ergo hæc sub infiniti Dei lumine. Igitur cùm homo supra Solem, & supra Mundum se se erigat, Anima eius non erit effectus elementorum, & Solis, sed causæ longè superioris, & infinitæ.

Argum. 7. Ex vniuersalis, temporalis, & entis notitia.

Idem probatur ex intelligentia præteritorum, & futurorum, & vniuersalium, & Idæarum; quæ non posset considerare sensus materialis, huic, & nunc alligatus organo, hoc tempus pro sua duratione habens, & has singulares entitates pro sua notione. Cùm ergo circumdet omnia tempora, & omnia corpora, & vniuersalia faciat, & sapiat sempiterna, non corruptibilia, ad vniuersalis Causæ æternæque pertineat genus, & gubernatum, oportet.

Argum. 7. Ex immensitate voluntatis.

X. Idem ostendit immensitas humani appetitus, cui non sufficit prædium, atque domus vna, neque Regnum vnum, neque tria, neque mille; & quò plura possidet, plura cupit. Verumque ac dignum fuit Alexandri Magni desiderium possidendi Mundos alios, quos Democritus reperiri prædicabat; magnanimiterque suspirauit, quod neque vnum ipse suæ adhuc subiugauerat ditioni. Indicium euidentissimum, quòd bonum mortale, finitumque nullum, sit adæquatum voluntatis humanæ obiectum: sed solummodo Deus, bonum æternum, immensumque. Quamobrem quique sapientissimi intelligentes, se non posse caducis saturari bonis, finitisque: conatu summo inuestigare Deum, infinitum Bonum aggressi sunt: Ideoque contempsere vxores, filios, venerem, bacchum, & rem familiarem, omnemque voluptatem missam facere, vt inuenirent æternum Bonum; quod omnis appetit Anima; procuratque sibi per libros, statuas, ædificia Ciuitatum, & Templorum, & Pyramidum, & Templorum, per famam, & legem, aliaque huiusmodi, quæ immortalitatem promittunt: sed cùm sint & ipsa hæc caduca, decipiunt. Sapientes autem, piique soli, per Deum, ac in Deo æterno æternari modò se posse agnoscentes, ipsum agnoscere, satagerunt, & adorare, & admirari, laudare, & obtecrare, Hinc extat religio, quæ est ipsamet vera sapientia, teste Iob. *Colere Deum sapientia est*: & Dauid. *Initium sapientia est timor Domini*. Idem enim est timor Dei filialis, ac Religiositas in sacris Scripturis: quæ in solo Deo contentam facit Animam.

Ex proprio desiderio qui negant, simul probant sui immortalitatem. Argum. .. ex protestatiuo Animæ.

Hem scelesti Macchiauellistæ (exclamare cæpi quando hæc considerauì) credite saltem vobis ipsis, dum quæritis Regnum, & Dominium, quo vos æternetis immortaliter, verè vos esse immortales.

Idem potestas animæ demonstrat, quæ nullis corporis cedat tormentis, & doloribus, nec Tyrannorum metui, & blanditiis, vt Attilius Regulus, Scæuola, Atistogiton, & alii sunt testes: nedum Martyres Christi. Si autem Anima corporea esset, vel corporis harmonia, aut temperies, statim vinceretur corporeis malis interemptiuis, &c.

Argum. 9. Ex pudore.

Nil mirabilius feciisse videtur Deus, quàm in pugillo cerebri Animam includere vastissimam: quæ super omnes, si essent, Mundos intelligit, appetit, capit, & potest, vt in Metap. Ergo hic non est verus locus animarum, sed apud Deum.

Præterea Verecundia, & Pudor, quæ vilis passio non est, vt indoctis apparet, sed custodia contra vilitatem, & mortalitatem, manifestè indicat, hominem Angelica excellentia, atque immortalitate supra elementa, supraque bruta præstare.

Siquidem non modò verecundamur de peccatis contra legem, seu rationem diuinam, & naturalem, & humanam, quasi à rationali in brutalem naturam visi cadere: sed etiam de parentela infami imò de abiecta, & paupere, & de patria vili, quin de rupto calceo, de camisia sordida, de verbo inepto, dante aliis occasionem peccati, aut vilipendij; hinc omnem impotentiam, omnem ignorantiam, omnem malitiam in se exhorret, aut tegit; & vilitates politicas, & morales, tanquam suam excellentiam dedecorantes, Mens odit humana. Quo circa ad mortem pro honore pugnat, quasi honos propriæ excellentiæ sit plusquam vita corporis, & esse. Id quod elementa non faciunt, nec bruta, nisi vmbratili modo. Leones de fuga, & Simii de contemptu videntur verecundari propter vmbratile participium primalitatum. At insuper homo verecundatur de cibo, & potu, tanquam de testimonio mortalitatis: cibus enim medicamen est contra mortem individui; propterea homines non palam, vbi possunt, sed intra domum manducant, & bibunt, præsertim Sapientiores, & Religiosi. Magis autem de stercoris, & sputi, & vrinæ, & aliorum excrementorum emissione, quoniam mortalitatis sunt, & sorditiei, & abiectionis signa. Maximè verò de coitu, quoniam mortalitatis speciei est medicamen. Horum nec elementa, nec bruta verecundiam habent; ergo ab istis principiis mortalibus pudorem non contrahit homo, sed aliundè Mens ipsi diuina inest, immortalisque: propterea quæ molestissimè fert abiectæ, mortalisque vitæ non conueniens sibi consortium; non enim odiret, quod naturale est, nec puderet. Præterea etiam cùm à nemine videtur homo, proprias imperfectiones considerans, verecundatur, & dolet: & cum malè cogitat, aut malè operatur, aut malè patitur, mirificè, supra quàm passio fert, ipse sibi passionem facit, & displicet. Siquidem vt Horatius ait.

,, *Stat contra ratio, & secretam gannit in aurem.*

& Cicero. *Nullum theatrum maius conscientia &c.* Hoc autem ab Elementis non habemus, quæ non iudicant de culpis; ergo à diuinissima Causa, longè præstantissima, quæ maculas omnes in excellentissima sui imagine abstergendas, puniendasque decreuit.

XI. Verumtamen ego Intellectus humanus fluctuans, argumentum nullum certius, sensatumque magis, inueni, quàm experimentum aliorum, atque meum circa Angelos. Nam Argum. 10. Ex apparitione

Angelorum &, Animarum, quæ infra probabitur &c.

vulgus me dubium fecerat, dum plurimi, quos ego non videbam, se vidisse has creaturas affirmant, ac Aristot. eas negat. Post examinatas multorum factas apparitiones, dixi. Si Dæmones nobiscum tractant, nos quærentes decipere, Angeli verò iuuare; verissimum est, nos esse immortales, ac post mortem ituros esse in societatem illorum, aut istorum; prout illis, aut istis nos per opera, & affectus reddidimus similiores. Terra quidem deorsum vadit, ignis sursum: ergo & anima illuc, vbi suam habet cognationem, cùm sit extra locum suum. Quapropter existimaui veras historias eorum, qui Angelos, & Diabolos, & Animas defunctorum sub aliqua specie vidisse, & alloquutos esse firmiter testantur.

Argum. 12. Ex bonorum, & Sapientum testimonio, supra testimonium sceleratorum & ignorantium.

XII. Tandem certitudo maxima, quam viri sancti habent de Animæ immortalitate; quam & miraculis, & reuelationibus, & mortis cupidine ostentant, argumentum est efficacissimum. Non enim æstimare licet, Deum permittere, quòd decipiantur homines quiquem sapientissimi, sanctissimi, & optimi in Mundo per illusiones: at curet tantum, vt non decipiantur impiissimi Epicuræi, & Macchiauellistæ: & genus hominum hoc, quod est Mundi pestilentia, attingat veritatem; quod verò est sanitas, & felicitas Orbis terrarum, corruat in falsitatem.

Ex errore, & inconstantia Arist. confunditur Machiavellista, negãs cum Arist. Religionem, & Animorum multitudinem immortaliũ. Lib. 1. & 2. de Ani.

XIII. Argumenta autem Arist. pro Animæ immortalitate, aut non extare, aut vana esse, aliquibus etiam Peripateticis visa sunt, adeò quòd me in contrarium potius adigebat, sicut Caietanum, & alios Græcos, & Arabes, & Latinos. Et posito, quòd sit verum fundamentum eius, non concludere. Ait enim: quòd quia Anima habet operationem non communicantem cum corpore, quod est intelligere, contingit ipsam separari, sicut incorruptibile à corruptibili. Et tamen probat, nunquam sine phantasmate posse intelligere, nec posse non esse formam corporis. Nec (addo) si absque illis intelligat, sit incorruptibilis, sed tantum separabilis. Nam quia nauta habet aliam operationem, naui non communem, potest ab ea separari: sed non propterea est incorruptibilis; Et spiritus quidem corporeus insidet, vt nauta, & tamen in aërem euanescit. Nec quia intelligit vniuersale, sit aliud à sensu corruptibili. Nam vniuersalis notitia est puerorum, & à longe aspicientium, & singularitates discernere nescientium. Ideo illi appellant omnes homines patres; Et isti à longè visum Socratem, dicunt esse animal, & hominem, & postea propè, Socratem. Vnde S. Thom. in. p. probat Deum, propterea cognoscere singularia, ac minutissima omnia, quoniam cognoscere vniuersale, est confusum, & diminutum: & omnis philosophia, & Angelorum, & Dei cognitio intellectualis, probant posse intellectum particularissima, & minutissima percipere, & in hoc sapientiorem esse. Intellectio vniuersalis ideantis indicat immortalitatem;

Arist. hoc negat, solúmque vniuersale ideatum, proprium pueris, & brutis, agnoscit: quod nihil est, aut posterius rebus: vt alibi ipsóque, probauimus, teste.

Nec datur intellectus actiuus ea ratione, quòd in artificiatis aliud agit, aliud patitur; vtque vniuersale spolietur particularitatibus: nam in naturalibus idem agit, & patitur calor, & ignis quando sursum se mouet. Actio transiens requirit passum distinctum, non autem Actus, vt in phys. probatum est. Nec vniuersale realiter separatur, sed sentitur similitudo absque dissimilitudine, vt pomi odor non viso colore; quæ eueniunt non ex actione alicuius substantiæ abstractæ (vnde Peripatetici multi concludunt falsò vnitatem intellectus omnium hominum.) Sed ex natura organorum diuersimodè affici aptorum: & ex parua impressione singularitatum, in quo differunt; & multa vniuersalitatis, in quo conueniunt, vt etiam Durandus, & Scotus aduertere, de quibus vide Metaph. Quapropter logicalia, & vana videntur, quæ dicunt de Anima immortali, intellectu abstracto, vnico propterea in cunctis hominibus, Alex. & Themist. & Simplic. & Philoponus, & Auer. & Auic. Peripatetici. Nos verò adduximus argumenta sensata hic, & alia multa in lib. de Sensu Rerum, & in Metap. & in Quæstionibus Physicis, ex experientia certa manantia: quæ me, atque omnem intellectum conuincere debent de multitudine, & immortalitate Animarum.

Vnde resoluuntur argumẽta Lucretij & Galeni, & Peripateticorum contra immortalitatem animæ humanæ.

Omnia verò argumenta, quæ Animæ mortalitatem suadent Lucretio, & Gal. & Peripateticis, facilè nostra Philosophia soluit, dicendo, quòd Anima, quam Deus infundit, inseritur Spiritui animali corporeo, tenui, mobili, sensitiuo, eius vehiculo, (vt S. August. Ambros. Lact. Greg. Nyss. & D Thomas etiam docet) totum verò deinde corpus possidet, sicut lux aërem, non dependendo à corpore; sicut lux informat aërem non dependendo ab aëre, vt S. Ambros. docet in libro de Bono mortis. Est enim infusa & nõ cõfusa Mẽs corpori, & Spiritui animali, quo tanquam instrumento vtitur, vt ipse dicit: & dum maculatur iste spiritus corporeus, vel decipitur, vel in rabiem agitur, aut ebreitatem, vel furorẽ, (ex quibus affectibus probat Gal. & Lucr. Epicuræus, Animæ mortalitatem) Anima, quæ in eo indita est, patitur & ipsa eosdem affectus; quamquam enim sit immortalis, est tamen passibilis per aliud patiens, cui inuoluitur. Itaque omne argumentum petitum à deceptione, obliuione, dimunitione, augmento, & passione, quæ mortalitatem ostendunt; soluitur attribuendo has passiones Spiritui illi instrumentario per se; Menti verò à Deo immissæ, per accidens. Non ergo Galenus tantopere ea torqueatur ratione, quòd Cicuta occidit Hominem, vnde arguit Animam esse calidam temperiem: Spiritus enim corporeus affligitur, moriturque solus. Anima verò non

Ad Gal. arg. in lib. de plac.

potens absque illo regere corpus, discedit à domo diruta, vbi amisit commoditatem habitandi. Anima autem non dependet in esse à corpore, cui est infusa, vt ait Ambros. sed non confusa, sed in sic operari. Nec Lucretium conuincat labor, dolor, tædium, somnusque contra immortalitatem; hæc enim passiones sunt Spiritus animalis, vt dictum est, per se; & Theophrasti anxia quæstio, itidem soluitur; de quo alibi &c.

Ad Lucr. arg.

Ad Theophr. in q. phys.

Argum. necessarij. Apperdix.

PRÆTEREA quæcunque moriuntur, aut habent contrarium, à quo corrumpantur, aut ex contrariis componuntur, in quæ dissoluantur: aut sunt corpus, quod diuiditur, & perit, idest per alia it corpora, comminutum in frustula: aut accidens sunt: aut formæ elementationis, quæ corruunt: aut annihilantur, corruente elementatione, & subiecto. Mens humana horum nullum est: ergo non est mortalis.

Probatio quòd Anima non habet contrarium.

Probatur minor. Essentialitates, seu Realitates, seu Primaltates, quibus essentiatur Anima, sunt Potẽtia, Sapiẽtia, & Amor; Sed hæ nõ habẽt cõtrariũ: ergo, nec Anima habet contrarium. Probatur minor. Anima enim omnia potest, omnia scit, omnia vult. nec quid piam suo potestatiuo, aut cognoscitiuo, aut volitiuo contranatur. nec ab aliquo nocetur physicè per se, quo minus possit, sapiat, & velit: ergo. Præterea potest, sapit, & vult omnia contraria, calorem, frigus, humidum, siccum, cœlum, & terram, motum, & quietem, &c. corporea, & incorporea: ergo nullis est contraria; si omnia percipit. Hoc enim non inde fit, quòd ex eis componitur, vt putat Empedocles, & Galenus: alioquin extra illa, sciret nihil imò nec illa, cum sint sciẽciæ expertia, darent animæ, dum componuntur, vt sciret; potest autem scire omnia; non ergo propter hoc quod componitur ex omnibus; Sed quia est imago, & spiraculum Factoris omnium, corporeorum, & incorpoeorum, vt Metaphys. docet: & mox patebit: ergo &c.

Animam essentialiter Potestatiuo, Cognoscitiuo & Volitiuo, etiam Theologi maiores sensere.

S. Aug. 10. trin. c. 11. M. p. sen. d. 3. D. Bernard. Damas. de fide. ort. lib. 2.

Opponuntur quidem Potentiæ, Sapientiæ, & Amori, Impotentia, Insipientia, & Dissamor. Sed istà non sunt opposita actiua, sed negatiua, vel priuatiua; quæ non sunt, nec agunt, nec sunt, nisi alio deficiente, vel præinsunt ex participio Nihili, quod non agit in rem factam, quam terminatiuè, non destructiuè, circumdat. ergo non datur contrarium Animæ destructiuum.

Resp. ad obiect.

Cum autem obiiciunt, Animæ contrarium, quoniam nimio æstu, phreneſi, delirat, nimio frigore stupescit: labore minuitur: Ægritudine patitur in Potestatiuo, in Congoscitiuo, & in Volitiuo: & mutatur cibis, vino, cicuta, vsque ad mortem: puerascit, iuuenescit, senescit secundum ætatem: ergo corporea est; & & habet contrarium dissolutiuum substantiæ, & Primalitatum, sicut in animalibus ità in homine. Respondeo: quod istæ passiones sunt Animæ, quatenus corpus informat, inhabitatque, non perse. In corpore autem humano non modò Mens immortalis, sed etiam spiritus ani-

Resp. ad aliam obiect.

malis inhabitat, subtilis, corporeus, mobilis, calidus, participio Primalitatum donatus, ideſt vi, ſenſu, & appetitu, per quos communicat ſanguini, & ſolido in corporeitate, calore, cæteriſque qualitatibus elementaribus, non tamen oppoſitis, vt vult Galenus, componens calorem natiuum etiam ex frigore, humore, & ſiccitate, alibi reprobatus. (Hunc ſpiritum agnoſcit Hipp. Gal. Ariſt. Teleſ. Stoici, & alij Philoſophi. Itemque Theologi Aug. Ambr. Lactan. Chryſ. Greg. Nyſſ. Thom. Alb. & alij (idcirco alterationes corporis ſpiritum alterant, & per ſpiritum mentem afficiunt ita, vt non poſſit, hoc inſtrumento deficiente, corpus regere, & propterea languor, delirium, imbecillitas, natiuitas, augmentum, & diminutio in ſpiritu fiunt: quæ videntur mentiin eſſe. Mens autem per ſe non læditur, ſed per accidens, quatenus ſpiritus tenuitas, lux, calor, motuſque læduntur: à quo ipſa recipit phantaſmata ſeu notiones, dum corpus informat: cui per ſpiritum, quaſi vinculo vitæ, copulatur, vt bene Ambr. & Teleſ. & Aug. & alij, experientia duce, docuerunt. Mens autem, cum non ſit corporea, nec qualitatibus elementaribus prædita, ſed puris Primalitatibus eſſentietur, expers mortis in ſe eſt, quippe contrario carens.

Galenus in q. Phyſ. reprobatus eſt.

Hipp. de form. fœt. Gal. in com. & lib. de facul Ariſt. 2. de gen an. cap. 3. de cauſa Mot. Teleſ. 4. & 5. de Rer. Na. Aug. 7 & 12. ſuper Gen. Amb lib. de Iſac & An. & de Noe, & Arca, Lact. lib. de opif. Chryſ. in p. Theſ. hom. 11. Nyſſ. lib. de Viribus An. Thom. 4. cont. Gent. c. 20. & 47 Alb lib. de Hom & 1 Metaph. Tract. 1.

Quòd autem Mens ex puris Primalitatibus eſſentietur, ſicut Intelligentiæ cœleſtes apud Peripateticos, & Angeli apud Plat. & Genij apud Plurat. ex eo probatur. Quoniam de ratione Mentis in quantum Mens eſt, non eſt eſſe corpoream, calidam, frigidam, humidam, mobilem &c. Sic enim ſoli, & omni menti hæc perſe conuenirent: at iſtæ ſunt paſſiones elementorum & corporum phyſicorum. Ergo non mentis, vt Mens perſe. Nec homo tam barbarus quiſpiam fuit, qui hęc de eſſentia Mentis eſſe diceret. Præterea quando Anima poteſt, ſapit, & vult, operaturque animaſticè, non per hoc incaleſcit, aut frigeſcit, aut humeſcit, aut agitatur: alioquin omnia corpora, dum caleſcunt, aut ficceſcunt, aut mouentur, intelligerent, vellent, ratiocinarentur, ergo &c. Fiunt aliquando iſtæ paſſiones dum anima contemplatur, aut appetit valdè: quoniam communicatur ſpiritui ſuo inſtrumento mobili, calidóque, eius operatio (qui ea commotus dilatatur, vnitur, exardeſcit, minuitur &c.) ac proinde corpori. Et ſicut ab exterioribus iſta patitur corpus, ſimiliter patitur alterante Animo propter maximam vnitatem. Cum quo ſtat, quod non ſunt de ratione volitionis, & appetitionis. Tanta autem eſt Potentia Animæ à ſe, non à ſpiritu, ſolidouè, humidouè, elicita, vt etiam & ſpiritum & ſanguinem, & corpus immutet. Vnde vehemens imaginatio timentis, dum res formidabilis non adeſt, ſed ipſa per ſe imaginem formidabilem fingit, vt corpus caneſcere & mori coegerit, ſicut patet ex 4. lib. de Senſu Rerum: aliquando etiam delirare: omneſque paſſiones promit. Aliquando præſente formidabili obiecto

Probatio primi aſſumpti. Sed latius in Metaph.

ipsa minus apprehendens, minusque imaginans, nil timet, vt nec inexpertus puer colubrum. Igitur Anima vt Mens est, non modò non calescit ab exterioribus, nec frigescit, nec mouetur, nec quietatur, nisi per accidens, sic affecto spiritu. Sed nec ad proprios mouetur actus, ideſt ad posse, scire, & amare, causaliter elicitiuè, sed occasionaliter tantùm. Et propter hoc Platoni est Numerus, seu Ratio, seipsum mouens. Non enim lapis obiectus docet oculum, & mentem, quid sit lapis; sed dat occasionem inquirendi quid sit: nec pondus & arduum negotium Animæ mouendi se præbet vim, sed occasionem. Nec mulier præsertim pudica & nescia, sui amorem facit in amante, sed occasionem amandi offert. Ergo nec ad proprios actus Mentis vt Mens est, nec vt corporata est, mouetur ab obiectis, quoniam nobilior est illis: sed ex se elicit vim, Iudicium, & appetitum.

Resp. ad obiect.

Si quis autem diceret, Primalitates has esse corporatas & participatas modò, sicut in spiritu animali, qui animat sensualiter bruta, veluti aër lucidus, ideſt sentiens, vt loquitur S. Aug. 7. super Genes. facile refellitur ex his, quæ dicta sunt de religione, artibus, & diuinitate animi humani super animos brutorum, infinita in intelligendo, in posse, & in appetendo, excedente omnia corpora, & Mundos innumerabiles, & omnia tempora, & loca, & idæata, vsque ad ideas rerum: quod non impressis & particularizatis conuenit virtutibus, ad hic, & nunc, & ad hæc contractis; Sed prorsus abstractis super corpora, & loca, & tempora: quæ tria coarctant Animos, impediuntque à diuinorum perceptione, ita vt omnia corporaliter, temporaliter, & localiter intelligant. Mens tamen supererigitur.

Animam non componi ex contrariis.

Quòd non sit composita ex contrariis, in Metap. probatur, quoniam elementa contraria non conciliantur, oblita sui, ad faciendum vnum aliud, præsertim melius se ipsis, dissimillimumque. Nec enim castigata possunt plusquam vigentia, sed minus; quidquid Alexander & Pomponat. delirant: Nec animastice sapiunt, aut volunt, aut possunt: quomodo ergo dabunt Animæ sapere, velle, & vigere? Præterea in quantum Anima, constituitur ex Potentia, Sapientiâ, & Amore; quæ contraria non sunt: sed vna res, vt probatur in Metaph. distinguuntur autem ratione, conceptibus formalibus, & relatione. Voluntas enim intellectus, & potestas animi, habent actus distinctos, velle, scire, & posse: tamen vna res est, quæ vult, scit, & potest. Et hæc Primalitas omnis est in illa, & è conuerso: propter identitatem realem. Non est ergo compositio dissolubilis ex eis, sed essentatio insolubilis, vt in Metaphys. exponitur.

Animam non esse corpus.

Quod Mens non sit corpus interfectibile, probatur quoniam eius posse, & intelligere, & amare excedit non modò corpus, quod inhabitat,

inhabitat, regit, informatque; sed etiam cælum, & terram, & mundos innumeros: sicut ex modica quorumuis occasione sensilium facere nos experimur, vt suprà probatum est. Corpus præterea insensatum per se, iners est, passiuúmque: Mens verò actiuissima, omniscia, artificiosa &c.

Quod non sit accidens innatum aut illatum, eisdem rationibus patuit: quoniam accidens, vt harmonia, & temperatura, & motio, non egreditur extra subiectum suum nec potest mouere primitus: Sed moueri. Nec constituit esse substantiale: Mens autem essentiat hominem. Et extra Mundum porrigitur, & mouet primitus. Nam & si obiectis sensuum cieretur ad considerandum: tamen ista obiecta non mouent, neque ad sui cognitionem, nec aliorum, sed dant occasionem mouendi se animastico motu ad considerationem etiam infinitarum rerum, & Mundorum. Nec enim causant scientiam sui: ergo multò minus aliorum. Lapis enim non me docet quid ipse sit: nec quid sit Idæa eius, & Idæator & causas alias &c. Igitur est anima in corpore velut in ergastulo, quo impeditur, non in subiecto quo substentatur: & ex quo non expanditur extra: at per fenestras ergastuli excitatur ad cognoscendum, quæ Deus fecit, & Deum, longe super omne corpus &c. Animam non esse Accidens.

Quòd non sit forma ex elementis, itidem probatum est; quoniam tunc omne opus eius esset corporeum, & suo organo particularizatum, & loco & tempore. At eius operatio transcendit & corpus informatum, & omnia elementa, in potendo, in cognoscendo, & in appetendo. Hæc autem non possunt dare quod non habent: ergo ab elementis non datur Animæ tanta potestas, Sapientia, & Amor & Ars, quantos probauit inesse illi superior sermo. Ergo non est forma corporis emergens ex elementis: quibus cum simbolum non habet, sed à Deo infusa Potentissimo, Sapientissimo, & Amorosissimo, cuius imaginem, & similitudinem gerit, non illorum. Animam humanã non esse formam ex elementis.

Præterea irasci, sentire, lætari, & alia huiusmodi sunt in nobis, sicut texere, vel ædificare, & cytharizare, actus per certa instrumenta, & sæpè incipiunt ab obiectis. At posse sapere, & velle sunt ab Anima etiam quando incipiunt ab instrumentis, & obiectis; quæ non possunt, nec sapiunt, nec volunt: ergo nobis non communicant posse sapere, & velle: multo magis quando Anima ex se hos actus edit exercetque. Idque facit vniuersaliter sine organis, vniuersalitate Idæę, & temporum, & locorum, non particulariter, vti sunt operationes iam dictæ organicæ, vt patet in philosophantibus: magis autem in diuina contemplantibus: maximè autem in reuelationibus intellectualibus Sybillarum & Prophetarum. Et hoc Nyss. & Ambr. contra Aristotelicos, formam mortalem morte subiecti facientes animam, doctè ostenderunt. Est ergo forma extrinse-

Quod Intell. non sit vnus omnium hominum.

cus accedens ab infinito Deo: & propterea ad extrinseca infinita sese volendo, & intelligendo porrigens. Multò ergo minus est atomorum ordo Lucretianus, atomos proprios non excedens, vt Mens facit, proprios & alienos.

Nec propterea quod Aristoteles Mentem ideò separabilem ponit, quòd nullius Corporis est actus, formaue, iuxta expositionem Alexan. Themist. Philop. Auic. & Auerrois, aliorumque; erit vna in omnibus hominibus, nisi sicut Deus extrinsecus nobis, non in-

Op. Alex.

formans, nec personaliter vnitus; quo non intelligimus formaliter, sed causaliter; sicuti Sole specula illustrantur vno causaliter, pluribus autem luminibus ab eo receptis, indiuiduatisque per receptionem, formaliter. At tunc per istum Intellectum Agentem, vt ponitur ab Alexandro, nos formaliter non intelligimus, nec habitibus scientiæ perficimur: quemadmodum experimur, nisi vt oculi omnium Animantum à Sole; & hoc gratis concedimus, si tamen in

Aug. 12. Conf. c. 25. D. Thom. p. 1. q. 79. art. 4.

nobis Intellectus cuique suus insit, quo quisque intelligit sub lumine Agentis; qui secundum S. Augustinum est Deus. Et sic diuinitatis sub cura Anima nostra ponitur, quod signum excellentiæ summæ est. At mox nec Intellectus passibilis, quo formaliter intelligimus, & elicitiuè, est, vt putat Alexander, corporis forma corruptibilis: quoniam eius intellectio, volitio, & vis, indicant ipsius diuinitatem, excellentiámque immortalem, vt supra dictum est. Nec ergo est temperies Elementorum, vt ipse vult. Sic enim Elementa non excederet insensata, & finita: imò nec pacto vllo ipse sentiret, nedum suprà corpora non sentiret, intelligeretque. Benè quidem Alexander dat cuique Intellectum possibilem, vt sicut experientia perennis clamat, quisque suam habeat intellectionem, & scien-

Op. Auer. & Auic. 3. de An.

tiam; sed perperam mortalem hunc facit, & ex insensatis Elementis.

Auerroes autem, & Auic. propterea quod Arist. Intellectum in nobis intelligentem, facit immistum cum Anaxagora (qui loquebatur de Deo extra nos, vt alibi probauimus.) & hic dicitur possibilis, quoniam motiones, quas vocant phantasmata, in spiritu corporeo nobis, illis verò in cerebri cellis impressa, ab obiectis sensibilibus patitur recipiendo, vndè intelligit: dicunt hunc Intellectum esse abstractum, & vnum incorruptibilem, & nullius corporis formam: qui vnà cum Agente (cui substantialiter est vnus) depurante phantasmata materialitatibus, nobis copulatur, & copulâ intelligimus. Sed non modò fundamentum, quo faciunt vnum omnium Intellectum, vanum est, in tanto negotio non illi fidendum, videlicet, quia incorruptibilia non multiplicantur numero, eo quòd materia corruptibilis est principium indiuiduationis: Id enim falsum est apud Platonicos, & Pythagoræos, & Philosophos, & Legislatores Gentium, qui multiplicant Animas, & Angelos immateriales numeraliter; item apud Aristotelicos, qui intelligentias mo-

trices non informantes, pariter multiplicant: & quidem similiter Aug. & Ambr. cæterique, nedum Scotus, per suas hecceitates, idest finitudines, limitesque essentiarum: Ex quo enim finita sunt Entia, indiuiduantur sua finitate, siue materiali, siue immateriali; propterea D. Tho. nõ à Materia, nisi vt quantificata finitaq; indiuiduat. At insuper impossibilia positionẽ Auerr. sequuntur; videlicet, Quidquid scit vnus Homo, scirent alij scientes eadem Anima: sicut multi videntes vno eodem oculo, vnaque facultate visiua easdem viderent res, vel vna visione propterea enim multiplicat Alexander Intellectus possibiles. Nec quia Auer. multiplicat phantasmata, & cogitatiuas vires, euadit. Non enim phantasmata intelligunt, sed intelliguntur; nec Cogitatiuæ est intelligere, sed Intellectiuæ. Ergo Intellectus oportet multiplicare. Præterea phantasmata, seu notiones Spiritus animalis, a quibus Anima solum specificationem & occasionem intelligendi habet, vt probatum est; essent in nobis, vt obiectis, non vt intelligentibus, etiamsi Intellectus ille intelligens nos sic personaret, vt Persona Verbi Christum Hominẽ apud Theologos, (quod etiam impossibile esse probant.) Etenim solùm cogitaremus & sentiremus; at non intelligeremus, sed potius intelligeremur. Sicut Anima Christi opera solum animastica obibat, non Diuina: nec enim ipsa spirabat Spiritum Sanctum, nec creabat Animas, nec sacramentabat Elementa, nec comprehensiuè Deum intelligebat, licet esset personaliter vnita Spiranti, Creanti Sacramentanti, & Comprehendenti. Vt ex hoc exemplo Auerroistæ non gaudeant, quamuis per impossibile personatio concederetur. Item si Persona diuina plures Homines personaret, illi Homines easdem res diuinitus scirent, non autem humanitus: Sunt enim in Christo duæ operationes, & duæ voluntates, vt probatur in Conc. Calcedonen. Sic si vnus Intellectus pluribus Hominibus copularetur, data falsa hypothesi, quòd intelligerent, formaliter, & elicita intellectione: tunc illi Homines idem intelligerent, eandémque haberent scientiam, licet forsan non idem sentirent, nec cogitarent. Preterea idem esset habitus, & memoria in cunctis, vt quidquid didicere omnes Homines, sit in vno, & in singulis. Nec valet fuga Auic. quòd Memoria est in parte solum sensitiua: tum quia ipse Intellectus recipit per Arist. & est locus specierũ; tum quia saltem quando vnus intelligit actu, omnes viuentes idem eodem actu pariter intelligerent. Obliuio autem deceptioque nobis ponitur ex inuolutione Mentis informantis in Spiritu Animali, simul sciente, à quo obiecta capit, & quo cum negotiatur. At Intellectus possibilis abstractus est, & incorruptibilis Auicen. ergo &c. Præterea nec distingueretur Homo à Brutis per formam suam, Sed per extrinsecam assistentiam Mentis: quam propterea & Brutorum Sensibus, & Imaginationibus negare non possemus. Quo enim Fato, & qua melioritate no-

bis, præsertim Pueris, & Barbaris imperitissimis, & non brutis, præsertim Symiis, illabitur, si est in sphęra aëris, quem nos, & Bruta respiramus? Rationes ipsorum non ex Naturæ decretis, sed ex Aristotelis authoritate inconstantissima, promuntur; qui tamen nunquam posuit in sphæra Aeris, vel Lunæ, hunc vnicum Intellectum, seu agentem, inuentum ab Alexandro; seu agentem, & possibilem, inuentum a Themistio; seu Cholchodeam Auicennæ; sed solum actiuum, abstrahentem phantasmata ex Materialibus; quem & D. Thomas, Alb. & Latini, & Telesius, in his oculatissimus, non esse Aristoteli vnicum, ex dictis Aristotelis probauerunt.

Quod autem abstractio illa sit impotentia cognoscendi singularitates, & non vis spoliandi materialitatibus, (hoc enim solus Deus potest de materiali facere immateriale, & de singulari vniuersale, & transferre de subiecto phantasmatis in subiectum intellectus) nos in q. phys. ostendimus, & similiter Duran. 1. d. 3. q. 5. & D. Tho. in lib. de essentiis M. S. Nec vniuersale fieri post singularia ex singularibus sed præexistere in Deo: à nobis verò percipi commune absque particulari, propterea quòd à longè, vel puerliter & confusè cognoscimus. pueri Et enim omnes homines appeliant patres: & à longè visum cognoscimus hominem, sed non Petrum; & intelligimus communia, quæ magis mouent & in pluribus, non singularia, quæ minus & in paucioribus, non per defæcationem, sed per imporentiam, vt etiam D. Thom. probauit, & Deum, & Angelicos intellectus percipere singularia & singularitates, alioquin confusè intelligerent. Vt falsa sit hæc vnitas intellectus, propter hoc Peripateticis inuenta. Hactenus rationes pro Religione: Nunc sagacitas pugnet.

De immortal Animorum abnndè, & ex veris Scientarũ arcanis loquuti sumus in Metap. in q. Phys. & in Theol.

p. 1. q. 14. art. 6.

Post editum librum reclamant quidam atheistarum consuetudine fœdati, dicentes, nequaquam ex præfatis rationibus conuinci posse quod homini insit aliud genus animæ atque brutis. Sicut enim sarda ingenio superat echinum ob meliora organa ac temperiem. Et sardam polypus: & polypum delphin, & delphinum coluber, colubrũm vulpes, vulpem elephantus. Sic elephantum, homo, qui omnibus superponitur, quoniam melius sortitus est temperamentum organáque meliora, quibus spiritus animalis meliores sensationes, notiones affectionésque & operationes meliores edit: non autem alterius generis. Respondeo dubitationem hanc ex modica priorum consideratione argumentorum exoriri; non enim quia melioria organa habent meliora faciunt melúsque sapiunt, nisi sub eadem specie, sicut præstat homo homini: sed quia melius & aliter sapiunt habent organa specie differentia meliora. Nõ equidẽ damus & cytharã inepto ad Cytharizandũ nec ligonẽ scriptori, sed ca-

lamum: sic & natura non dedit ea organa animabus brutorum, quæ humanis quoniam aptæ non sunt secundùm naturam illorum animæ ad opera tam præclara, cuiusmodi est nauigatio, scriptio, astrolabium, lucerna archibugium horologium &c. quæ quidem adeò exuperant omnes animalium operationes, vt superioris naturæ esse hominem conuincant. sunt enim organa duo manifeste superantia naturam animalium in homine, figura scilicet & manus de figura dixit Ouidius & prius Anaxagoras, datam fuisse homini sublimem ad spectanda cælestia, nedum terrestria sicut pronam brutis. Et quidem ostendimus mathematicam & astronomiam, quibus cælestia sapit, discit docétque argumentum facere de hominis diuinitate super animalia deinde diximus bruta nil facere nisi instrumentis innatis, cornibus, rostro, vnguibus, filis (nam araneæ intra se habent fila, quibus retia texunt, vt sericus vermis quibus folliculos sibi naturæ instinctu fabricatur) & propterea vnum tantùm opus pertinens ad vitam caducam ipsorum singula faciunt: hominem verò manu efficere omnis generis instrumenta extra se ad opera brutorum & propria, vt acus, vomeres, bombardas, lanceas, lectum domos, naues &c. manu libros, horologia, astrolabium &c. tractare ignem, facere de nocte diem lucernis, domare ad sui vsum bestias etiã potentiores se, metalla, lapides, ligna, mirificis modis, quasi dominum omnium rerum nedum bestiarum &c. quæ non possunt facere bruta etiam si manus haberent, vt simius & vrsus aliquo pacto nam propterea non sunt datæ illis, quia nec fossori datur cythara sed ligo, nec cauponi astrolabium, sed olla & cochlear: & si datur non cytharizabit ille nec iste celestia speculabitur bestiæ autem nullæ valent suo seruitio mancipare bestias nec opera ista facere, nec organa ad hoc faciunt nec habent. Casu autem ista organa non esse facta daráque probatum est prius & amplius probabimus de prouidentia loquendo. Aristoteles etiam contra transmigrationem animarum ritè consimiliter argumentatur, quoniam, ait, non potest anima pulicis includi in corpore humano, vt nec ars cytharistica ligoni & alibi, organa tribui iuxta naturam animarum physiognomico argumento probauit & manum esse organum organorum, quoniam est organum intellectus diuinioris ordinis. Tota Philosophia Platonis, Aristotelis, Pythagoræ, Stoicorum &c. Ex operationibus rerum operantium naturas inuestigat nec datur alius Philosophandi modus nisi phreneticus: nam organa sunt propter operationes: cum ergo in homine sint tales operationes, taliaque propter ea organa, quæ excedunt naturam animalem. Consequens est animam hominis esse superioris naturæ. Confirmatur hoc quoniam si homo differret à bruts secundùm magis & minus eiusdem generis & speciei: homo faceret ea solùm quæ facit vnum brutum in suo gradu ad finem vnum ductu naturæ & instrumentorum naturalium tan-

tùm: non enim aranea nidificat, sed solùm texit retia: nec apes texere sciunt retia sed mellificare tantùm, vel si quæ faciunt bruta multa, non tamen omnia: & si quæ omnia non tamen superioris ordinis, sed eadem meliusculè vt albedo maior alb facit magis quàm minor: non enim nigrefacit, nec saltat, nec docet nec echinus volat. At homo non facit modò quæ brutum meliusculè, sed quæ bruta multa, vt telas cum araneis, domos cum nidificantibus auibus, piscationem cum polypo, longéque melius. At & facit quæ omnia faciunt alia: & insuper quæ non possunt animalia, vt de nocte facere diem: dare sensum carthis scriptis, rationem horologio, leges sideribus & tabulas quibus motus & tempora configurationum & eclipses præscimus. Imò nec minimam rem ex ingenio humano, vt humanum est, factam imitari potest brutum. Dic vt ludant scacchis, serant, metant, faciant templum, cauponam, calceum, &c. media omnium artium propter finem. Hoc autem non modò palam est in operibus corpore factis, sed & magis in purè animasticis. Et sicut in Macrocosmo sunt partes præditæ sensu, potentia & amore particulatis: sapit enim apis mellificium, auis nidum: canis venationem, equus bellum: elementa pugnam, sidera motum suum: luminaria opera propria & aliorum, & mutationes & vires; atque ex sensu potentia & amore particularium deuenimus ad totius sapientiam, potentiam & amorem Entis primi curantis omnia sic etiam ex eo quòd homo scit quæcunque animalia faciunt, facere & meliora & plura, apparet quasi Deus eorum. Item quæ non possent nisi abstracta virtute. Adde his infinitatem hominis in intelligendo, in appetendo, reprobando, quando bruta vix considerant quantùm pueri nostri & amentes. Vide argumenta priora.

Præterea inuenimus in homine despicentiam vitæ brutalis, & caducæ, & desiderium æternæ nec frustra: (nec enim brutis quidpiam frustra datur) & amorem diuinorum & religionem & Prophetias non ex passionibus pronuntiatas, vt pronuntiat brutum, imò & ernia & cicatrix, sed per Syllogismum elicitum non modo impressum vt supra demonstrauimus. Mouetur brutum passionibus & obiectis: sic & homo. Atqui insuper mouet se & determinat se ad opus contrarium suis passionibus & obiectis propter fines meliores, præconceptus etiam diuinos: quos nouit & simul media & ordinè meliorũ ad fines: bruta enim ad propriam speciei & individui conseruationẽ passionibus feruntur & consequentia, vt capiunt prædam, generant catulos nutriunt, nidificant quodam instinctu qui tamen in homine diurnior & altior, vt in Philosophis & Prophetis ad finem suprà naturam brutorum: & in super ex seipso operans & determinans se, vt alibi diximus de libertate humana loquentes.

Sunt quidem pueri & viri qui brutis stupidiores apparent: & bruta sapientiora rudibus hominibus interdum. Vnde Arist. dixit, non

omnibus ineſſe intellectū hominibus vnde Auer. & Alex. cōfirmant ſuam de vnico intellectu extrinſeco ſententiam, hic & alibi à nobis exploſam. Verùm iſta differentia ex temperamento & organis & ex experientia innaſcitur & adſciſcitur accidentaria intra ſpeciem, ſicut ægris & amentibus ex tempore: ſed ſi reſpicis totum genus hominum & Moyſem & Cæſarem & Copernicum & Pythagoram & Hippocratem & cæteros huiuſmodi ſupra genus dices hos eſſe deos. brutorum autem nullum venit ad ſcientiam pueri, vel ruſtici ſtupidique, vt patet ex vtriuſque operationibus. Diximus etiam non mirum, quòd nobiſcum conueniant bruta & plantæ &c. Sumus enim ab vno primo ente. Vnitas autem principij influit ſimilitudinem principiatis. Præterea & homines ſunt Angelis ſimiles, & Angeli Deo. Imò omnia imitantur in aliquo Deum: at non in toto, nec æqualiter: & propterea non ſunt eiuſdem ordinis cum Deo, nec inter ſe, nec ergo homo cum Angelis, nec brutum cum homine; ſi multiplicitatem & vniuerſalitatem & mirificentiam inſpectes operationum humanarū: Item eminentiam in ſciendo appetendo potēdo, & operando, id eſt, vniuerſalius plenius & vnitius: ſicuti res inferiores eminenter ſunt in ſole, nec tamen ſunt ſol; & omnia in Deo, nec tamen Deus. Sic omnia bruta in homine, nec propterea homo. Conſidera homo immenſitatem tuam & ſuperioritatem, nec ſolùm in his quæ tibi cum brutis communia ſunt, ſed in quæ ipſa non aſcendere nec cogitare poſſunt, & videbis illa in te eminentius quam in brutis, & inſuper alia longè diuiniora: & intellige gradus rerum genere diſtinctarum etiam colligari: [illegible]im vegetat participio plantæ, planta ſentit non per eſſentia[illegible] participio, brutum ratiocinio hominis participat: homo Ang[illegible]orum intellectu: & tamen omnia iſta ſunt diſtinctorum generum: & tamen ſemper ſupremum inferioris attingit infimum ſuperioris vt Dyoniſius nouit. Vide Metaph.

Colloquium rationis inferioris cum Superiori, ſagaciſſimum de vita præſenti, & futura, & de ſuperis, & inferis. Et probatæ rationes cauſales de eo, quod fuit, eſt, & erit de nobis, & de Mundo: & ſolutiones argumentorum ſacratiores.

CAP. VIII.

Ex multitudine Boni, ſcandalum modici Mali apud rectè iudicantes aboleri.

ATTENTIVS de hinc præſentem vitam deſpiciens, in profundam contemplationem raptus, vidi, & ecce Mundum quaſi infinitum, tenuiſſimum totum, puriſſimumque. In quo erant infinitæ propè manſiones Stellæ vocatæ, ſparſæ, lucentes, viuidæ, efficaces, rotundæ, pulchræ, mirificæ, omnes quidem mobiles, per varias vias, diſſimilibus, variiſque modis rationabilibuſque; ergo non abſque arte intelligentiarum ipſorum motus moderantium, tranſcurrentes, vt par videri debet ad laudem Conditoris, & executionem mandatorum ipſius, vt ex eorum inceſſu, inferioris Mundi generatio, corruptio, mutatio, & ordo ſequatur. Hancque eſſe Intellectuum ipſarum gubernantium, fœlicitatem, nimirum ſimiles illi fieri per obedientiam; & accipiendo lucem, vitam, amorem, ſapientiam, & potentiam ab Ente primo, entibus cunctis intrinſeco; & in quo omnia conſtant, mouentur & viuunt, & ſunt, quædam nobilia magis, quædam minus, prout Deus in quibuſdam minus, in quibuſdam magis propriam gloriam manifeſtat &c.

Omnes res, etiam inſenſatæ, ex D. Thom. ſim ſtudinem Dei affectant.

In medio tot candidorum, lucentiumque corporum, Spiritibus lætis, glorioſiſque ſubordinatorum, vidi partiam manſionem nigram, obſcuramque, non exacte rotundam, melancholicam, ſordidam, turpem, quæ ſemper emittit vaporem, & fumum, infectantes inficienteſque ſpatium Cæleſte. Et hæc eſt Terra, tanquam neuus in medio formoſi vultus vniuerſalis Machinæ. Hinc admiratus argumentans, dixi, O Potentiſſime, ſapientiſſime, & optime Deus, cur inter tot formoſiſſimas ædes, lucidiſque, hanc deformem, tetramque reliquiſti? cur non & hanc purificaſti, & clarificaſti, ſicut Stellas cæteras?

Quam modicum ſit mali, etiam ſi tota tellus eſſet mala.

cæteras? Profectò minimè decet nobilem ſapientiam tuam, & poteſtatem inuictam, & bonitatem perfectam, inter effectus tuos bonos, iocundoſque, qui ſunt tua pompa, laus, & honor, & trophæum, iſtam quoque permittere turpitudinem. Sic autem dicens mihi linguam momordi, ueritus ne fortè blaſphemarem: & ecce ſecretam intra me meam ſuperiorem Rationem & intelligentiam, quæ reſpondit, & ait.

III. Hinc intelligere potes, heus tu, qui ſapientiam amas, Altiſſimus non ex ignorantia, neque ex impotentia, neque quòd ex malitia hanc veſtram ſedem ſic turpem reliquit. Si enim malo, & turpitudine delectaretur per malitiam, aut inertiam, aut impotentiam, non quidem potuiſſet, nec ſciuiſſet, neque voluiſſet reliquum Mundum totum tam pulchrum, diuinumque efficere, nec artificioſam etiam incorruptibilibus, pulchramque fabricam ſtruxiſſet. Igitur animaduerte quàm immanis illorum blaſphemia eſt, qui Deum in his tribus vitiis incuſant; ipſique manent ſicut vermes intra caſeum, arbitrantes Mundum non eſſe caſeo maiorem. Porrò terra cælo comparata, eſt punctum vnum, aut næuum, cuius ob exiguitatem ſemper vos videtis ſigna ſex ſuper Orizontem, & ſex infra: quia diameter terræ nullam longitudinem habet, relata ad cælum: licet ſit longa valdè. Quapropter cum totus Mundus ferè immenſus ſit; pulcher, bonus, fœlix, expers malorum (ſi tamen malum extaret) argumentari non debetis, quòd Deus ſit Artifex malus: ſed collaudare eum propter reliquum bonum vniuerſitatis immenſæ: & rationem inquirere, propter quam reliquit hoc punctum nigrum inter tot magnitudines albas: & animaduertere, quod qui fecit immenſum bonum vniuerſaliter, poterat, ſciebatque hoc exiguum quoque bonum pulcrumque facere. Nimis breue iudicium fuit Simoni Mago, & Manicheo, cùm poſuere Deos duos, vt alteri tribueretur hoc punctum vnum; & longè ſtultius fuit Epicuro: qui non reſpexit ad totum bonum, ſed ad modicam particulam: veluti ſi quis videret vnum ſolum hominem carentem naſo, ac putaret omnem hominem expertem eſſe naſi. Quid tibi videtur? Videbis etiam quod hoc, quod apparet vobis malum, non eſt eſſentialiter malum: & Toti.

Ex diuina prouidẽtia telluris mala, nó ex impotentia, aut ignorantia, aut malitia extare, vel apparere.

Suſpicio de cauſa vſus terrenæ obſcuritatis, & fæditatis in bonum.

IV. Tunc reſpondi. Iam video hanc paruam manſionem nigram inter ingentes pulchras relictam eſſe, vt ſit carcer & exilium illis qui peccauerunt in illuſtribus manſionibus. Hocque Regnum turpe manere in ſignum, omnibus Spiritibus Mundum habitantibus. Et iam animaduerto hanc terram corpulentiam relictam eſſe à Deo, & in memoriam, & in exequutionem iuſtitiæ ſuæ; & nunc credo in centro detineri Diabolos grauatos iuſtitia Dei tanquam vi, pondereque ſub tenebris, quoniam intellectus

Mentes habent ſympathiam cum luce, & antipathiam cum tenebris, vel moralem, vel intentionalem.

Videtur sic Origenistis, subitò tamen confutandis.

abstracti sympathiam habent cum luce, & ea oblectantur in cœlo. Idcircò vt punirentur, erat propriſſimè conueniens iuſtitiæ mittere eos ſub tenebras à luce, & ſub pondus ab agilitate, & ſub craſſitiem à tenuitate, & ſub fumum à puritate, & in gelu à viuido calore. Et credibile alicui videri poteſt, quòd animæ, quas mittit Deus in ſuperficiem terræ, ſicut nos ſumus, quando induuntur corpore tanquam portatili carcere, (vt Dauid, & Triſm. loquuntur) in quo habent ſolummodo foramina, & transparentia, totumque corpora reum carcerem reliquum opacum, ob leuiorem culpam detrudantur in corpora: quandoquidem participamus noctem, & diem, lucem, & tenebras; voluptatem, & dolorem; bonum & malum. Quòdque in cælo tantummodo bonum ſit, in centro verò malum, hic autem in medio miſtio ex bono, & malo. Et profectò vix imaginari quidam poſſunt, qua ratione Deus ſolimoſam Animam corpus in opacum, tetrumque, vbi peccatis, nedum ærumnis maculatur, creando immitat, ſine cauſa. Propterea aque hæſitantes, multum accedunt ad Origenis, Platoniſque ſententiam de hac re. Et cum intueor cæleſtes pulchritudines, & qua in turpitudine ego clauſus dego, vehementer doleo. Et tunc agnoſco mortem eſſe egreſſam de carcere, & de ſepulchro, vt dicit S. Ambroſius in lib. de Bono mortis. Admodumque laudo Trimegiſtum, quia appellat corpus *mortem viuam, ſepulchrum portatile indumentum ignorantiæ prauitatiſque.* Et Apoſt. Paulus, *carcerem mortis.* Et Dauid: *Educ de carcere animam meam &c.* Et Euripides dixit, *Viuos eſſe mortuos, mortuoſque viuos &c.* Et penitius introſpicienti ita videtur.

Reſp. ad Origeniſtas, & Platonicos, quòd Animæ ſunt, In agone, nõ in carcere punitiuo, ſed probatiuo.

Reſpondit Intelligentia: Non verum eſt, neque eſt conſequentia neceſſaria, Animas peccaſſe prius in Cælo, vt Origenes ſuſpicatur; neque in aliis corporibus, vt Pythagorei opinantur: ſed amoroſus Deus, cuiuſdam gratia ludi, quem ipſe agit cum creaturis ſuis, infundit Animas in corporibus, quando illas creat, vt in perpetuo bello pugnent, & vincant: ſe que dignas reddant diuina gloria. Intellectus quidem, Dæmones vocati, qui ad centrum ſubmittuntur, peccarunt; qui autem ad peripheriam terræ, in corporibus creantur, ponuntur in agone, vt Iob declarat. *Militia eſt vita hominis ſuper terram:* & Gregorius Theologus vberius exponit vobis, quoniam eſt lucta, & pugna contra caliginem Mundi, & contra Dæmones, qui ipſam incolunt; magnumque in Cælo ſpectatoribus Angelis fit gaudium, quando illæ vincunt. Porrò ipſe Sol igneus non peccant, nihilominus continuò cum terra pugnat, vt ipſa purificetur, & mundetur: eiuſque vires ſplendoresque continuò remanent in terra concluſi: generantque ignem, ſi potentes ſunt valde, vt in vulcanis: Ipſamque liquefaciendo, faciunt aquam: indurando, lapides, metallaque: liquefaciẽdo,

Exemplum à ſolis viribus generationi rerum applicatis

verò, vnaque indurando, & attrahendo per intergenitam tenuitatem, efficiunt plantas: dum nimirum calor ipse vestitus crassitie ascendit, nec potest separare onus crassum, viscosumque ex matre tellure. Intra crassitiem verò, atque humorem ingenerando spiritus viuaciores, faciunt animalia, agitante spiritu molem, & segregante, & organizante, & mouente, & viuificante sub Opificis summi imperio, & Ministrorum executione. Attenuando verò efficiunt vapores, fumosque: qui in aërem delati, vertuntur in ventos, in pluuias, in nives, in apparentias ignitas, aliaque, vt nosti, entia. Hæc autem omnia Deus fieri facit per suos influxus magnos, scilicet, Necessitatem, Fatum, & Harmoniam. Propterea mirari noli, quòd homo timeat mortem: id enim non est mortalitatis præsagium, cum videas etiam bruta, solo spiritu calido, tenui, & mortali prædita (quapropter anima eorum in sanguine est:) natura autem caloris est semper sursum exhalare, reuertique ad Solem suam originem; nihilominus mortem timent, quoniam fugiunt non esse sic: extra quod putant se annihilari, dum mutantur. Quod non fit, sed enim mutantur in aërem; at melius est illis esse aërem liberum quàm captiuum, vti nunc sunt, sed quia & vitam animalem, & memoriam amittunt, cùm ipsorum memoria sit sopitus motus, & passio relicta; maior autem passio minorem obruit, & transmutatio vitam, & memoriam, sensumque priorum; propterea que ingens motus passioque morbifica tollit etiam memoriam sensitiuæ partis etiam in vobis: idcircò mortem timent entia omnia; quia oblita sunt esse præteriti, incertaque futuri: gaudent verò præsenti esse, quod semper bonum est. Anima autem humana, corpori infusa ignorat eum, qui ipsam creat: & quid ipsa sit: nam & nunc post natiuitatem ignorat, obliuiscitur que multa eorum, quæ facit, aut passa est in vtero, & in pueritia. Hoc autem Deus ordinat, ne ipsa Mens corpus contemneret, & fortè occideret ante tempus ab eo præscriptum; ac spe separatæ felicitatis aduolaret in libertatem: sed hic laboraret acquirendo cognitionem Dei, & operando in corpore, quæ Deus iussit, & ad finem magnum vniuersalem ordinauit.

Verba. M. N.

Quid intelligat Author per hactria Necessitatem, Fatũ, & Harmoniam spectandum est in eius Metaphysica, vbi in vocibus minus vsui congruis habet bonũ sensum, vt supra dictum est.

Vnde timor mortis. Spiritus calidus, tenuis, mobilis sensualis, vita brutorũ est Ambr. Augustin. Greg. Nyss. Lact. Fir. & D Tho. etiã in 3. contra Gẽ. & in 4. c. 20.

Aug. lib. 7. in Gen. c 19. Spiritum, seu Animam brutorum dicit esse aërem lucidum: neruoso genere inclusum.

Hinc videre potes, non extare hominem illo infæliciorem, qui hanc vitam caducam nimis amat; seque nimis dedicat terrestribus bonis, impuris, turpibusque.

Cur homines amãt vitam præsentem & tantopere infælicẽ.

Tunc ego dixi. Hoc verum est: multos enim vidi captiuos in carcetibus diuturno tempore assuetos, quibus displicet egredi in libertatem eò quòd vili sunt animo, seruilique: nec confidunt, alibi viuere se posse, Seruos plurimos noui, quibus seruitus grata est; nec in libertate norunt viuere. Imò vidi in triremibus captiuos remiges multos, exercentes multo labore remum: & quia sunt abiecti ani-

mo, nec per aliud exercitium viuere norunt, contentantur in triremibus manere catenati peractoque tempore, quo condemnati erant ad remigandum, iterum sese quoque vendunt pro menstruo salario ad remigium. Quid mirum si etiam Anima contentatur degere ad remigium brachiorum; & crurum laborando: manereque catenata neruis, fibrisque, ac cerebro clausa, parua spiritus animalis luce, obiecta ministrantis, quasi menstruo stipendio delectata, vnde cepit voluptatem, atque cognitionem rerum crassarum modò, impefectámque, cùm ipsa libertatis gustum non habeat, aliusuè superioris disciplinæ illusttioris saporem? Quinimò eò ipsam vsus huiusmodi redegit, vt putet, quòd scire, sit videre per foramina, & audire per parietis gracilitatem pe siones, & significare per ventum percussum dentibus; nec potest imaginari, quomodo sentiant, ac significent mutuò scientiam entia libera à materia, scilicet Angeli; nec quæ materialiter percipiunt. Hæc autem cogitatio ità stulta est, ac si quis putaret, ventum non posse moueri, eo quod caret cruribus, pedibusque.

VII. De hinc eadem comprobans, dixit ad me meus superior intellectus. Rectè considera, quòd vos res tantùm impuras diligitis. Quippe qui nec lumen Solis purum intueri potestis: placentque vobis colores virides, rubri, cærulei, crocei qui sunt ipsamet lux Solis fœdata à nigredine terrena, sicut in fumo, & in Iride patet: vbi lux alba à tenebris magis minusque fœdata colores vertitur in multos.

Tunc ego exclamaui: Heu seculum nostrum impurum, sceleroſumque, quod solummodo tetro colore infernali delectaris: & gens nigris nunc vtitur vbique vestibus: quasi lugendi rationem duplicem habens.

Et dixit superior mea mihi Mens: Si bene argumentari pernosti, agnosces ex coloribus vestimentorum mores cuiusque Sæculi, & Nationum omnium. Deinde addidit. Vos audire non potestis sonos ingentes, excessiuosque: quia frangunt, obtunduntque vestrum in cellis cerebri intercluſum tenuem Spiritum. At qui pro musica habetis sonos languidos, compositosque ex grauibus, acutisque, sed depressis, mollibusque. At si vnquam Stellarum motus perciperetis, & (vt Iob. 38. dicitur (concentum cæli, stupor vos apprehenderet nimius, percipientes, quantò soni illi, & harmonia, sunt vestris viuidiores. Sed vobis in corpore discordes apparent. Sique scis arguere ex cuiusmodi sonis delectatur Natio quælibet, mores quoque inde inuestigabis. Et ait, sic etiam vos tangere non potestis viuum ignem efficacissimumque Solis: & (vt dicitur Sap. 18.) *Limpidas Stellarum flammas*, quoniam destruit corticem, & compositionem corporis vestri, ac proinde per ipsum vos dolore afficit; at in cælo est tanquam res suauissima, propter symbolum cum spiritibus abstractis. Et quo magis

Confirmatio ex delectatione impuſorum obiectorum, & languidorum.

viua est lux, calorque potens, plus voluptatis, & amoris affert illis; at vbi reperitur macula, & corpulentia, sicut in inferno, ibi fit combustio, & dolor, vnde nec lucem, quam spiritus vester amat, intueri potest, propter oculi corpulentiam. Nec Stella (si penitus igneæ essent) stellam vrit, sed lignum, vrere enim, est facere de dissimili simile: in Cælo autem jam facta sunt similia omnia: & sic cum resurget corpus spiritale.

Cõsideratio aëreorum.

VIII. insuper dixit ad me. Aspice per gyrum Mundi spatium vniuersum, vt vales. Expandi Animam meam, & vidi ex Terra nostra, vsque ad certum Cæli spatium surgere fumos continuò tetros, impurósque, totúmque aërem nostrum caliginosum esse, Cœlo, comparatum, quousque pertingit vmbra terræ: huncque aërem tanto esse crassiorem Cælo, quantò aqua maris est crassior hoc ipso aëre. Et imaginatus sum totum regnum hoc aëreum plenum Diabolis, & spiritibus immundis, qui optarent bellum inferre Cælo, infestantque homines modis mille; Et lucem, quæ ad nos purissima venit, esse minus viuam, quàm illam, quæ extat super aërem caliginosum, quanto est minus viuus candor carthæ, quàm Solis candor, quem fulgentissimum nos videmus; & super hunc aërem extare millia millium millies spirituum colentium, seruientium, & glorificantium Creatorem, suum ac volitare in ministerium per cuncta systemata semper exultantes. Item suprà aërem non reperiri mortem, bellum, transmutationem, dolorem, malignitatem, errorem, aut non ita existimari, sicut nobis hic patientibus, sed cuncta bonum, sed per gradus pluris pauciorisque bonitatis, ac fælicitatis. Ac eiusmodi mala tantummodo reperiri intra Terram, & Cælum, vbi præliantur Calor, & Frigus: & consequenter efficiunt transmutationem, mistionem, mortem, & dolorem. Quæ si sursum sunt, vt quidam obseruant, sine dolore sunt mutationes vt mutatio vestium: vel non sunt verè mala, quæ hic nobis apparent mala. Sed mutationes mirificæ, exceptis culpis contra Rationem omnia regentem commissis.

Non est transmutatio mala, & dolorifica, vel sicut apud nos, in æthereis.

IX. Tunc miratus sum (animaduertens ideo quamuis falsò persuasos) Pythagoricos opinantes intra quodcunque Sydus reperiri Terram, Aquam, Aërem, Animalia, Homines: & luce Solis perfundi; viderique lucens, sicut in Tellure nostra hæc sunt; quæ lucet ex Aqua, & Aëre, excipientibus Solis lucem; & quod dixit mihi amicus quidam Copernici assecla, his intinctus, videri absurdum, quòd tot Systemata sunt in spatio Mundi longè maiora, quam Tellus, quæ tamen non contineant, quæ in terra insunt, res, & longè plures; frustrà namque essent. Et dixi. Hæc imperfectio transmutationis, & contrarietatis si esset etiam in syderibus, sicut apud nos; exosa esset Creatoris indignitas, & minor virtus. Nec quidem ociosæ sunt Stellæ, quia carent huiusmodi sorditia, & malis: sed ad me-

liorem vsum, & diuiniores; quandoquidem in cunctis Deus suæ potentiæ, & sapientiæ, & amoris diuitias tanquam in Scenis repræsentat: &, quæ in eis latent entia, alterius sunt ordinis, atque rationis, vobis ignota: sed per quandam analogiam olfacere solum datur Angelicæ vero mentes mundum incolunt Mentalem. sed egrediuntur in ministerium ad corporalem. præsunt cunctis Cælestibus, & Terrestribus corporatis rebus, vt canit Psaltes, facientes verbum, & voluntatem eius.

Resp. ad Aristotelicos, quærentes, cur si Anima est separabilis, non reuertitur in corpus; sed sicut forma cum suo subiecto perire videtur.

X. Ex his argumentans dixi, Mortui non resurgunt; Animæ non reuertuntur in corpora; vnde suspicio aliquibus suboritur, nè fortè mortales omninò simus, quia *non est agnitus*, vt Ecclesiastes disputat, *qui sit reuersus ab inferis*. Sed iam patet ratio: quoniam illæ, quæ ad centrum puniendæ detruduntur, redire nequeunt, quia detinentur vt ligatæ, & veluti demortuæ: illæ verò, quæ ad Cælum eleuantur, odere solum, vbi in ærumnis fuere tanquam captiuæ, ideóque reuerti nollent, sicut nec sensitiuus Spiritus aëreus brutorum (quem in sanguine Moses, & spiritum vitæ facit, vt Ambrosius, Augustinus, Gregor. Nyss. Lactant. declarant) reuerteretur, si subsisteret, & post mutationem sui in aërem, maneret memoria, ita vt posset reuerti; nollet enim: quoniam melius sibi esse sentiret vnum esse cum aëre, quam in carcere, ac sepulchro corporis. Nec tamen propterea fides de corporis resurrectione vana est. Nam & id rationabile est, quòd Anima cupiat corpus quoque beari, in cuius exercitio ipsa meruit Cælum. Ac proinde amorosus Deus Animæ Illud iterum vniet: non amplius crassum, & caducum, sed (vt ait Apost. 1. Corin. 15.) spiritale, clarum, subtile, lucidum, quales sunt Stellæ; quæ non impediunt agilitatem motum, & cognitionem animæ, sed potius obsecundant illi, eo quòd ipsarum quidem retinet substantiam, sed alterius gloriæ.

XI. Vidi deinde, quòd Dæmones tyrannidem exercent in inferioribus ferè vbique: & quòd Angelis, non habentibus symbolum cum caliginoso inferioti Mundo, nulla ratio, nec voluntas esset descendendi ad nos, nisi diuinum imperium præberet alas, cui libenter obediunt, & curam hominum gerunt, & belluarum, & omnium generum rerum, & quomodo pugnant cum Dæmonibus: oppositis enim voluntatibus, & conatibus feruntur; & illi in horum effectus quasi fulmina, in eorum effectus caliginem, & turbationem ciétes. & quomodo vtrique præoculis turmatim transeunt: nosque illos non videmus inter alias causas, propter informati corporis impedimentum: & quomodo qui nequam sunt, quodammodo illudunt, & iocantur: quomodo irrident actus nostros, quos opinamur in secreto clanculum facere; & sunt toti vniuerso manifesti palàm. Boni autem miserentur, iuuantque. Et quomodo modico calore, aut frigore, aut motione aëris, & atomorum, inducunt passiones va-

rias sensibus nostris: & per accidens desideria, & motus, & timores, & odia, & iras. Et quomodo nos istis ducere satagunt affectibus: sicuti nos belluas funibus, virga, & clamore, & esca. Et vident quando morituri sumus, eorum aliqui; aliqui vero minimè: & quæ passuri sumus, & tollunt, aut afferunt occasiones: sicuti nos agimus erga gregem bestiarum: qui scimus quando manducaturi sumus illam, & vendituri istam, & daturi aliam; & ducimus eas ad macellum, & nundinas, & ipsæ ignorant: & cum vident alias interfici à lano, parum considerant de morte earum. Talia stellæ influunt in nobis: & Angeli hoc sciunt: & vident caloris, & frigoris mutuam, & rerum seriem, & quid nobis afferant, nil considerantibus aut parum: cum tamen in his, quæ nobis imputatur, nihil nos cogere possint.

Et hoc euenit quãdo potius passiones sensus, quam rationis dogmata, quod teste S. Thoma plerúmque accidit, sequimur.

XII. Vidi deinde, scientiam nostram esse quandam ex parte stultitiam, gaudia ac voluptates nostras esse dolores. Ecquod maius homini sensuali videtur esse gaudium, quàm veneris vsus? nihilominus & hoc deceptio est, ac damnum. Propriam enim substantiam ex parte amittit in coitu animal, efficiturque languidum: fœmina verò graui impletur pondere, quod diuturno vectat labore, & in doloribus illud parit, & in molestia educat. Dehinc laborant homines diuque, noctúque, vt filiis diuitias relinquant, quorum ignorant vitam, & exitum. Nec sibi eos educant, sed Regi, & Reip. & mulieribus, & aliis: quorum vsui erunt magis, quàm Parentibus. Ex quo innotescit, quòd Natura dedit nobis hunc amorem, & modicam voluptatem, vt alliceret nos ad capessendas ærumnas magnas, & labores: sicut esca piscator abscondit piscibus hamum: & hordei ostentatione sellam equo imponit Auriga. Et quòd Deus hunc instituit ordinem, vt rerum successio prosequatur, quæ eius ideam apud nos manifestant. Et quòd tot res fiunt in Mundo, non quidem, quò solus homo eas consideret, solúsque Deum laudet: qui sanè meliores ignorat, & innumerabiliores, ac solam corticem eorum, quæ nouit, perspiciat: sed quò Angeli, superioréſque creaturæ eas contueantur ad gloriam Dei, qui sanè intrinsecus eas conspiciunt, quoniam abstracti sunt; discurruntque subitò per Mundum totum, eásque admirantur, & stupent, qui in sic corpulentis materiebus tot affabrè elaboret opera mirifica; hinc collaudant, & admirantur Opificem, cui etiam in ministerio hoc subseruiunt.

Quid scientia, & stultitia humana.

Quid voluptas alimentationis.

XIII. Vidi etiam voluptatem cibi, & potus non verè voluptatem esse, sed remedium doloris. Fames enim est stimulus dolorificus ventriculi vacui, qui stringitur, spirituúmque afficit: qui proinde repleri cupit, vt dolor strictionis auferatur. Et quidem excitatur famis à melancholico acetoso humore, homóque comedit, vt amoueat repletione fastidium. Hinc coquit cibum, & nutritur instau-

rando illud, quod continuò calor furatur. Ergo meleſtia eſt. Et quidem in labore, & moleſtia acquiritur etiam cibus, & molitur, & concoquitur: paruaque voluptas in inſtauratione inuenitur contra morbificam famẽ. Quæ voluptas etiam eſt nonnulla deceptio: quoniam data eſt, vt nos alliciat ad labores quærendi cibi, & manducandi, ne moriamur, ante quam Deus præſcripſit ad finem ſuum.

Quid honor.

XIV. Honor quoque iucundus apparet; ſed labore comparatur, & ſtudio multo: illique proſpicere eſt intolerabilis ſeruitus, quæ libertatem adimit faciendi quod tu vis; ſed facere cogit, quod nolles, ne honorem amittas. Et profectò præſagium quoddam immortalitatis eſt: quoniam illo conſeruatur in hominum memoria nomen noſtrum.

Quid imperium?

XV. Imperium quoque belligerando paratur, fraudibus plerúmque retinetur, & deceptione populorum. Sæpè hypocriſi: quæ te annihilat: quoniam facit eſſe, quod non es. Metu quoque, & ſuſpicione continua te affligit, ne Populi rebellent: aut illi Principes te expellant; vel maledicant ſapientes; & Deus te eradicet, quoniam vexas creaturas eius. Si quod te decet, facere vis in Regno, infælix ſeruus plebis eris: continua ſollicitudine, & labore fatigatus: ſin quod non decet, Macchiauelliſticè viues, ea te compræhendent, quæ iam dicta ſunt mala. Et profectò inueni omnes Principes Macchiauelliſticos, Imperium, & vitam ſubitò in ſe, vel in filiis amiſiſſe. Dux Valentinus diſcipulus Macchiauelli, eſt teſtis: & Oliuerottus ab eo laudatus: & Caſtruccius, quem ſapientiſſimum Macchiauelliſticè laudat Macchiauellus; qui nec ad poſteros tyrannidem tranſmiſerunt; ſimiliter Ludouicus Sforcia, & Azzalinus: & infælix Henricus Rex Anglorum VIII. & Ieroboam Macchiauelliſticæ Religionis inuentor: & Abſalon filius Dauid, conſiliis Achitofellis, qui fuit Macchiouelli figura, Principatum arripiens. Et Iulianus Apoſtata, Antiochus, Dionyſius, Fredericus, Addamus & Iulium Cæſarem, in quo Macchiauellizauit; & Pharaonem, & & Cyrum, & Alexandrum. Deficit tempus, & cartha, ſi omnes enumerare velim. E contrà vides viros pios diù, & benè regnaſſe; vt Dauid, Ezechias, Salomon, Theodoſius, Conſtantinus, Carolus Magnus; quorum memoria in benedictione eſt; & in Gentilibus laudatur Octau. Auguſtus, Titus, Veſpaſianus, Adrianus Antonius, & alij, qui vitutem philoſophicè coluerunt. Quapropter fælicitas non reperitur in Macchiauelliſtis, at neque ſat in hac vita in Dauidicis Principibus. Sed in his conſcientia rectè factorum beat, in illis damnat.

Nec phyſica.

XVI. Philoſophiam inueni pleniorem iucunditatibus. Sed in labore, & vigilia, & infirmitate corporis acquiritur, & ſæpè ad inſaniam labimur. Eſt plena incertitudine, ita quòd qui verè ſapit, hoc

hoc tantum sapit, quòd nihil perfectè sapiat, vt in Metaph. disputatur; nec vnquam inquirentes saturamur scientia.

XVII. Ergo fœlicitatis partem (quam Salomon disputans laudare videbatur, dicens. *Vidi nihil melius esse, quam manducare, & bibere, & gaudere cum vxore sua*) inuenimus quoque esse infœlicitatem, & vanitatum vanitatem, si totaliter consideretur. par. 1. lib. 1.

XVIII. Hinc clarè innotescit, quòd homini, propterea quod intelligit omnia bona huius Mundi esse vana, conueniant alia bona maiora, ac veriora, & ad illa natus esse videtur, ad quæ sua ipsius sagacitas ipsum stimulat. Ex cognitione vanitatis bonorum mundanorum.

XIX. Deinde dixi ad intelligentiã magistram in me: si tellus facta est vt in centro sit carcer intellectibus peccantibus: & in superficie exercitium beatificabilibus: quorum in tetra fit seminarium, ex quo deinde transplantentur in Cælum: ergò non est verum, quòd sit ipsa elementum frigidum factum, vt antigonista pugnans cum Sole, vt scriptum in Physicis est: videtur enim mihi talem esse debere terram secundum naturam, & non quia sit carcer. Si enim ipsa tellus amitteret frigus, & tenebras, & densitatem, quibus renititur Soli, omnia tunc entia fierent ignis, cælúmque, ac pulcherrima rerum distinctio perderetur, fieretque chaos ex omnibus rebus vna: sicuti Heraclitus dixit, omnia in ignem aliquando fore, vt vertantur elementa. Quæstio cur si tellus est carcer, est etiam elementum, Soli contrarium, secundum naturã.

Respondit illa. Tu adhuc permanes in stultitia Physiologorum, qui non considerant rerum fines, sed tantummodo modum existentiæ, compositionis natiuitatis, & mortis. Si quis te interrogaret: Quare scribis librum? Tu responderes physicè: quoniam habeo pennam aptatam, & atramentum, & cartham, super quam mouendo pennam iuxtà ideam meam, hos caracteres imprimo, conficúique scripturam hanc. Sed respondens metaphysicè, diceres; scribo, vt doceam homines veritatem: & acquiram laudes in immortalitatem: Theologicè verò, diceres. Deus ordinauit, me ita scribere in gloriam suam. Omnes profectò causæ istæ veræ sunt: sed vt sciens quis dicatur, necesse habet omnes inspicere, & scire. Verum est igitur, omnia fieri à *Natura*; quæ *est artis diuinæ Ratio, indita rebus à Deo, per quam ad suos perducantur fines.* Dedit ergo frigus terræ, vt Soli repugnaret. Sed hic non est vltimus finis; sed vt etiam sit carcer per duritiem, quam illi frigus dat; vt per tenebras, terror; & per frigus, pœna. Nihilominus intra viscera eius multis in locis ignis conceptus est, qui afflictat Animas; quoniam ipsæ fuerunt in corporibus maculatæ; ex quo secundum ordinem diuinæ iustitiæ factæ sunt à corpore intentionaliter passibiles. Augebitur autem extensione afflictio, quando corporibus reunientur: quando, & ipsa corpora, vt non destruantur, alia temperiè dona- Resp. physicè res est propter Metaphysicam rem. Definitio D. Thoæ. 2. phys. Lec. 14.

buntur, veluti scis, quod multa sunt corpora resistentia in igne, quamuis fragilia videantur. Eiusmodi quoque ignis non lucet propter terrenam caliginem; idcircò quoque magis est afflictiuus, & potens. Ignis enim non cremat res tenues, puráſque: qualis ipse est: aër siquidem, & cælum, & astra non vruntur, nisi vbi inest caligo, & crassities; vrere enim est calefacere, attenuare, & mouere: quod quidem iam habent cælestes materiæ, ideóque pati illud nequeunt, sicuti terrestres.

Quin etiam dico tibi, pœnam non minus atrocem posse esse in glacie, quam in igne: quoniam illa dissimilior est corporibus, & inde magis inimica spiritibus humanis. At in Purgatorio proprior est ignis, attenuandi gratia purificandique maculas: vt proprium nomen, ac Sanctorum sermo, sonat.

Dico etiam: Potest Deus absque frigore, & tenebris terram seruare, ne à Sole destruantur: elongando ab ea Solem, & Stellas. Nec quia tellus deficeret, Mundus verteretur in chaos, nisi quo ad terrestria entia. Sed totus verè esset Cælum: distinctum quoque in Stellas multas: sicut & nunc distinctæ sunt, absque frigoris ope, inter se: Spiritus quoque distincti sunt, & Intelligentiæ, & quemadmodum luces diuersæ in corporibus, quæ sese intersecant multipliciter, efficiuntque tot angulos, (habent enim ipsi inter se habitudines consimiles) vobis ignotos, nobis verò venustos, ad immaterialem quandam luminosam propectiuã.

Finis rerum impuarum instat.

Dico etiam secundum Scripturas, affore tempus, & citò, in quo tellus purgabitur in superficie, sicut Chrystallus: & colliget tenebras suas in centrum, nec effundet eas in Cælum amplius; cessabítque generatio, & corruptio, & mors, & afflictio: (Hæc cogitatio digna est consilio Creatoris ad finem ipsius magnum:) Nec terram attenuabit in cælum, quò remaneat carcer impiorum. Et iam si consideras Solem, & sidera, descendere multam viam: cardinésque cælestes mutatos, & obliquitatem, & apogea, & excentricitates iam cernitis. Idcircò rectè contemplare miracula hæc: Mundóque annuncia; vt benè inuigilet: ne *dies Domini sicut fur in nocte vos comprehendat*: veluti infideles super iudiciis Dei dormitantes; & Mundum æternantes. instat tempus, quod prædixit Petrus Apostolus. *Cælt magno impetu transient: terra autem, & quæ in ea opera sunt, exurentur, &c.* Deus quidem incedit numero, pondere, & mensura in operibus suis. Vt rationabiliter coniicere debeas, conuenire summo Bono tollere de mundo omne malum; & hunc globum nigrum de medio tot globorum candidorum: hoc regnum mortis, & miseriarum de societate Regnorum vitæ, & voluptatum. Atqui huc vsque relictum esse pro illius quodam ludo: & ad fines à vobis non perceptos. Omnis namque cogitatio vestra stultitia est, omnéque verbum

veſtrum, ſaltem ex modo ſignificandi incongruo, cùm de diuinis loquimini, continere errorem quaſi blaſphemiæ, ſi ſecundum illum Deo quid attribueretis. Id apud Angelos apparet. Sed nil mirum: quoniam vocabula, & conceptiones accipitis in loco, vbi res, prout ſunt, non introſpicitis: ſed tantummodo ſuperficiem; & hanc non totam, nec vt eſt, ſed alteratam ab aëre à luce, & tunicis, humoribúſque oculorum: & per ſenſuum organa corpulenta intrat ad cognoſcentem Animam veſtram obiectum quodlibet, & alteratur. Sentitis rerum ſpecies non res ipſas, & illas alteratas ex parte, non ex toto; & hoc non perpendentes, putant ſe ſcire homines, & ſuperbè Deum ipſum emendant.

Homerus etiam, aliter res in Cœlo, ac in Terrâ nominari. S. Cathar. teſte B. Raymundo, blaſphemiam eſſe quidquid de Deo etiam benè dicimus, non ex parte noſtri, neque ex parte Dei, Sed ſi Deo tribuatur ex modo ſignificandi, vt etiam S. Thomas docuit.

Aſpice hanc cartham: nonne ſuperficiem eius ſolùm vides, & non totam vtrinque; nec vnquam omne eius atomum, & pilos omnes, ex quibus componitur, & quomodo facta fuit: & colligationes flocculorum, & tempora & modos, quibus ad hanc formam ab initio rerum hucuſque concurrerunt, & quam in mundo habent partem, & relationem, & vſum, & finem. Interiora verò rerum omnia ignoratis: videtis enim per ſpeculum & ex parte: continuæ mutationes veſtri, & rerum ſunt vobis ignotæ, & partium & particularum. Et quid prius fuere: & quomodo hanc in compoſitionem conuenere, & occultius eſt. Ex his verò rebus corporalibus, & ægrè notis, transfertis vocabula ad Deum & ad ſuperiora entia. Quidquid de Deo profertis, quaſi blaſphemia eſſet ex modo ſignificandi, ſed maximè in metaphoricis: At non vobis imputatur propter ignorantiam, & quia non intenditis id ei tribuere, quod non conuenit. Cùm enim dicitis per propria, Deus ſapit, Deus miſericors, Deus ſanctus; ex modo ſignificandi propè blaſphemia eſt. Non enim Deus ſapit, à ſapore vti vos: nec eſt miſercorde miſericors, id eſt nec ſanctus, id eſt purificatus, vti vos: ſed ſecundum id, ad quod imponuntur, At cùm dicitis per metaphorica, Deus mouetur, Deus loquitur, Deus ambulat, videt, extendit brachium &c. Incongruum, & blaſphemum eſt, ſi Deo in ſe iſta conuenire affirmaretis per proprietatem; videre enim eſt habentis oculos corporeos; ſapere eſt actus guſtus in lingua, ſapores diſcernente: loqui eſt eius, qui habet os, & linguam materialem; motus eſt rerum finitarum variatio; Quæ Deo tribuere nemo poteſt quantum ad modum ſignificandi, & id à quo nomen imponitur, niſi cum falſitate, & blaſphemia. Sed quia intelligentia veſtra non aliunde poteſt quam à vobis erigi in Deum; nec ſcit enunciare, niſi more ſuo; huiuſmodi impotentia, & locus tenebricoſus, & voluntas non deprauata, vos excuſatos faciunt; nec imputatur vobis in blaſphemiam, priuſquam intretis in malitiam, & in procuratam ignorantiam. O

si audires quàm pro priori, & diuiniori modo enunciant Angeli. Discurre nunc in tuis syllogismis, analogicis, & videbis, verum esse quidquid dixi tibi etiam in terra, nedum in cælo.

Hem stupor ingens, hem mirabilia Dei: tunc dixi. Nunc itaque Dei altissimi finem olfacio, propter quem has Terræ conditiones largitus est; si finis Metaphysicus fuit, vt sit carcer, terror, & instructio aliis: vtique electi gratias agerent Deo ingentiores: qui eis hanc ædem noxiam perpetuò dare cum posset, non fecit; sed tandem sunt hæc omnia propter gloriam suam, reuelandam in extremo, quod expectamus, facinore egregio; & iam imminet. Tempus præteritum malorum fuit quasi iocus quidam, si æternum respicio, quod hinc succedet, quod scriptum est, *Mutabis eos, & mutabuntur &c. Filij seruorum tuorum habitabunt, &c. Annunciant Cæli iustitiam eius populo, qui nascetur quem fecit Dominus.* Sed ò qui sciret quod fuit, & quod erit Totius? & subitò vox in corde meo: caput, & pedes velata sunt alis Seraphinorum; medium apertum est, in quo volant. Quod fuit ante Mundum, & post Mundum erit, absconditum est, quousque placuerit Deo. Cogita in his, quæ accepisti.

Psal. 101.

Psal. 21.

S. Bern. ser. in primo Nouembr. S. Hier. in Isaiam, & Origenes exponunt hoc idem de Seraphinis.

APPENDIX.

MOX sagacissimè argumentans, dixi, Proculdubio nos terrigenæ ludum agimus cœcum: quem vocant cœcariam; ac comedias ostentamus Creaturis Cælestis Aulæ: Bruta, & lapides nobiscum sunt ad complendas scenas in Theatris Maris, & Terræ; quæ vnum modò illis spectaculum sunt. Pugnamus contra Dæmones, nobis insidiantes inuisibiliter cum magna Creatoris gloria; quòd à Spiritibus, clausis in obscura corpulentia, illi etiam superentur, qui cum Deo pugnare voluerunt, Machiauellistica agitati prudentia. Et veluti spiritus calidus brutorum, quasi ignorans propriam originem, amant hunc ludum, in quo sumus nos, & illa. Sic & Mens nostra, à Deo immissa, eadem Comedia delectatur, quia meliora non nouit. Qui autem alteram vitam verè credit extare meliorem, clamat: *Cupio dissolui.* Quapropter necesse est; quòd vna tandem die omnes veluti spoliati laruis, quas circumgerimus, hoc est corporibus, affectibusque ipsorum, accepturi simus à Deo laudem, aut pœnam, prout quisque melius, aut deterius fecit, ac dixit actum, dictúmque suum. Equidem inueni sæpè Sacerdotes fieri eos, qui sunt animo pij, sanctique sed multoties Caiphas, & Iasones, & Alcimos. Nec Reges, eos, qui Regio sunt

donati animo: sed quos fortuna, id est nostra ignorantia, Reges facit, vt Nerones, Ezelinos, Midas &c. nec bonis benè, nec malis malè esse, sed sicut dixit Salomon. *Vidi neque velocium esse cursum neque fortium bellum, neque sapientium panem: neque artificum gratiam: sed tempus, casumque in omnibus.* Ergo vestiti sumus, alij veste sacerdotali: alij regia: alij plebea: alij seruili: alij sanctâ: alij impia: alij militari: alij captiua, &c. At cum postmodum nudi fuerimus omnes, omnia inuersa è conuerso videbuntur. Non enim pictor est qui pingit, habétque penicillos, & colores, & fœdat parietes, & carthas; sed qui pingere scit; quamuis careat instrumentis. Nec Cuculla facit Monachum. Igitur Rex non est, qui regit, possidetque Regna multa: sed qui regnare scit. Nec nobilis est, qui filius nascitur nobilis viri; sed qui animo nobili præditus est: nobiliterque operatur. Veluti in Tragœdia non est Agamemnon, qui eius personam agit: neque Thersites, qui Thersitis veste induitur: Nec Hecuba, quæ personam gerit Reginæ vetulæ, atque mœstæ: Ergo nostra Politica subsistentiam habet, dum ist hæc Comœdia durat: sed pereat necesse est. Præterea videmus, homines sese facere Deos, idoláque lapidea res viuas haberi, alios etiam adorasse serpentes, & flumina, & stellas, & stelliones. Ergo omnes ludebamus simul in Cæcaria, cæci, & Duces cæcorum, & socij. Cum ergo transcurrissemus in huiusmodi blasphemias, ex quadam comica licentia, decebat Deum nos admonere. Deinde vero reliquit nos, donec Comœdiam compleamus, & terminemus. Sed iam video scenas euacuari, & tentoria amoueri. Erit ergo finis. Conuenit enim summo Bono, hanc etiam malorum apparentiam suis ex effectibus auferre, & voluptates Veneris, & Bacchi, quæ vt ostendimus, sunt labores, aliqua conditi suauitate, ita vt decipiamur, etiã auferantur. Ergo generatio & corruptio finem habebunt: & contrarietas ipsarum parens. Reuerà enim ista omnia carent subsistentia, si ad vera entia, veraque voluptates respiciamus; sed sunt vmbra verorum comica repræsentatio ad tempus. Et quicumque hac ratione philosophantur intellectum acutum dubitantem, curis liberabit, quæstionibusque. Et ex vanitate rerum præsentium argumentari sciet, sibi deberi futura bona vera, & secura, ac permanentia in istorum fine; vt summæ conuenit Prouidentiæ, non autem id quod iniqui concludunt, neque hic, neque alibi vera bona dari.

Eccl. 9.

Et vidi, quòd hoc modicum tempus turbulentum, in quo Mundus stetit turbatus, licet centum mille annorum esset (quod tamen recto quæsitum examine per historias tutiores, ac veraciores, nondum pertingit, quod præteriit ad septem millia) est quidem ludus puerorum in tenebris ante cænam, comparatum sempiternitati sæculorum quæ viuunt creaturæ sanctæ, & quibus fruemur nos post hoc breue spatium. Sed cæcus homo qui æternitatem non considerat, scanda-

lizatur sine causa, dolet propter punctum; & non vt æquum est, theatro, amplissimo bonorum sacrorum glorificatur.

Religionem communem, potissimam iustitiæ partem, non esse inuentum Politicorum: nec sola arte, aut non naturâ constare, vt dicunt Epicuræi: sed esse naturalem: hanc verò, & illam positiuas, quas Nationes profitentur, esse secundum mores, rituſque particulares Gentium: & secundùm fidem, quam præstant Legislatori quæque suo. Et quibus notis, & argumentis agnosci potest, quæ verè sit à Deo tradita, & quæ ab hominibus per Rationem; aut per fraudem: quivè sint, qui veram fidem habent,

CAP. IX.

QVANDOQVIDEM extant apud mortales Sectæ plurimæ variæ, ac rituum, & cultus diuersitates, diuersique Principatus, & Resp. tanquam scenæ variæ vniuersalis comediæ: considerandum est recto examine: quæ nam ex his verè placeat Creatori, & Aulicis eius. Et cur ipse tot permittit in Religione controuersias: quæ Politicos in suspicionem adducunt, quòd nulla sit vera: sed quòd omnes sint humanum vtile figmentum & non secundùm veritatem, & naturam rationalem: sicuti olim Democritus, & alij, à Platone citati, & nunc Macchiauellistæ opinati sunt.

Ego dixi in cubili Animæ meæ. Non propterea quòd plurimi profitentes philosophiam, sophistæ sunt, & maxima quidem ipsorum pars, existimandum est, nullam reperiri scientiam veram; sicuti Sceptici asserunt; sed quòd veritas abscondita sit valde, dicendum modò videtur. Quando nimirum ego certus sum, me nunc verè scribere: aliosque, qui hanc visuri sunt, scripturam, affirmaturos, esse scripturam, & quid significet: quamquam alij alium haurient sensum. Datur ergo aliqua scientia. Similiter non propterea quòd

Fundamentum ad discernendum verum ab apparentibus.

multi Medici imperiti sunt, Medicina est vanitas, vt Romani ruditer aliquando putarunt: Nec quia Caupones omnia adulterant vina venalia, reperiri purnm vinum non potest. Ergo (dixi) non propter multitudiuem falsarum Religionum, omnis religio falsa censenda est: prius est enim verum quàm falsum, illi oppositum alioquin non dignosceretur falsum à vero.

Religionem quadruplicem esse inueni apud Philosophos, & Theologos: scilicet, Naturalem, Animalem, Rationalem, & Supernaturalem, comprehensis quibuscumque Religionis imitationibus. Quotuplex Religio

Naturalis est cultus ille cunctarum rerum, quorum alia cognoscunt finem, & rationem finis, vt homo, & Angelus: aliæ appetunt finem, licet non cognoscant rationem finis, ad quem naturaliter feruntur, & cui volunt assimilari, vt D. Tho. exposuit, tamen Creatori obediunt, eiusque verbum faciunt secundum scripturas Dei: & ad ipsius laudem, & gloriam sunt, & operantur vt Plato, Trimegistus, Seneca, Pythagoras, Anaxag. Parmenides, & omnes Philosophi senserc, exceptis Epicuræis. Similiter Dauid inquit de lege hac velut religione naturali, vt partes exponunt. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera eius annunciat firmamentum: dies diei eructat verbum: & nox nocti indicat scientiam &c.* Et quidem non sermone Latino, aut Græco, aut Hebraico, non omnibus noto, sed cunctis notissimo. Etenim ait, *Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum &c.* Siquidem vt probat S. Thom. 2. 2. q. 81. *Religio est cultus Dei, vt principium est essendi, & gubernandi.* Omnia autem entia sunt & gubernantur à Deo, ergo colunt Deum naturaliter pluſquam se. At colere Deum est coniungi illi (ait in 1-2. q. 99. 3.) per actus internos, id est intelligere, & amare in rationalibus: in naturalibus verò per aliquos actus, his analogos, quia supremum inferioris attingit infimum superioris; vnde propter amorem, & obedientiam erga Creatorem Sacri Scriptores, & Philosophi tribuunt omnibus creaturis exteriores etiam, vt laudare & facere verbum eius, licet rationem finis, & facti non cognoscant, vt D. Tho. aduertit. Probatur: Propterea enim de cunctis, ait Ecclesiast. 42. *Omnia hæc viuunt, & in necessitate obediunt ei.* Quo circà S. Hieron. in 8. mat. *Omnes Creaturæ sentiunt Creatorem.* Et. D. Thom. *Amant pluſquam seipsas naturali amore pro modo suo.* Et propterea *venti, & mare obediunt Christo imperanti*, ait ille: iste verò, *appetunt Deo assimilari omnia.* Religionis quidem rationalis externi actus, internorum signa sunt adoratio, sacrificatio, laudatio, votum, iuramentum, consultatio: sed in naturali hæc non insunt, nisi *iuxta suum modum* (vt Diuus Thomas 1. p. q. 60.) Et Diuus Hieronymus in 8, Mat & 10. Ezechielis, & Aug. Nyss. & alii Patres contestantur. Idem dicit Iamblicus, & Theodorus, & Plato: & Pythag. & Anax. Ambros. verò in prologo Psalmorũ & Naturalis Religio quæ:

p. 1. q. 1. & 3. conr. Gent.

Psal. 18.

1. 2. q. 1.

1. p. q. 60. art 5.

Aues cantu laudare Deum dixit, & ſepties in die. Quòd intellige iuxtà S. Tho. ſenſum, propterea enim non modo *Cæli enarrant gloriam Dei.* Sed Daniel aduocat etiam omnes creaturas ad laudem Dei, *Benedicite omnia opera Domini Domino*; Sic etiam Dauid. *Laudate Dominum de Cælis &c. Laudate Dominum de Terra*, & non illuſoriè & ſola proſopopeia grammaticali, vti dicimus, quòd lapides laudant Regem, aut Amaſiam in poëmatis. (Nou enim obedinnt ad nutum creaturis, à quibus non habent eſſe, & operationem, ſicut Creatori, à quo in vtroque dependent. Vnde Hieronym. *Quæ nobis* (ait) *ſunt inſenſibilia, Deo ſunt ſenſibilia*) Sed propterea quòd omnes Creaturæ, vt ait idem Hier. ſuo pro modulo ſentiunt Creatorem: eius enim obediunt imperio: & ducunt in cognitionem excellentiæ Dei & ideò tanquam ſi ſentirent, & loquerentur, dicuntur laudare, & improperant pſeudopoliticis irreligioſitatem. Nam vt D. Tho. docet in 3. d. 36. q. 2. quemadmodum ſenſitiuum ex participio eſt aliquo modo intellectiuum, quia teſte Diony. ſemper ſupremum inferioris attingit vltimum ſuperioris, vnde videtur ratiocinari: ſic etiam Naturale attingit ſenſitiuum. Et operatur in multis vt ſentiens non ſolùm externo impulſu, vt ſagitta, & prædeſtinatus, vt dicitur 1. p. q. 23. ſed etiam interno formæ propriæ inclinamine, licet non cognoscat rationem finis: cui intendunt aſſimilari, vt dicit 3. cont. Gen. c. 131. Error enim eſt has virtutes, & actus formis etiam rerum non tribuere, vt dicit ibidem c. 164, & hoc ſenſu etiam Ambr. dixit, *omnia ſentiunt ſicut opificium Opificem.* & S. Dionyſius *omnia conuertuntur ad amorem Creatoris*, vnde S. Thomas addit, *amant Creatorem*, vt ſcilicet eſt Naturæ author, *pluſquam ſe ipſas*, & propterea quodammodo adorant, nam (1. 2. 109, art. 3. dicit) *Diligere Deum ſuper omnia eſt quoddam connaturale homini, & etiam cuilibet creaturæ, non ſolum rationali, ſed etiam irrationali, & inanimatæ, ſecundum modum amoris, qui vnicuique creaturæ competere poteſt: cuius ratio eſt quia* (nota hanc rationem Sancti Doctoris) *vnicuique naturale eſt, quòd appetat, & amet aliquid ſecundum quod natum eſt eſſe. Sicigitur agit vnumquodque, prout natum eſt eſſe*, vt ditur. 2. phyſ. *Manifeſtum eſt autem quòd bonum partis eſt propter bonum totius, vnde res, vnaquæque naturalis amat bonum ſuum proprium, propter bonum commune totius vniuerſi, quod eſt Deus.* Vnde etiam Diony. dicit lib. de diuin. nominibus, *quòd Deus conuertit omnia ad amorem ſui ipſius.*

Ecce quàm ſubtiliter probat S. Thom, quod in cunctis rebus, nedum in homine eſt inſitus amor Dei, qui & cultus metaphoricè dici poteſt, & in 3. cont. Gentiles probat, quòd *omnia entia affectant Dei ſimilitudinem: & propter hoc operantur.* Præterea in 1. p. q. 60. art. 5. demonſtrat ex eo quod naturalis dilectio non poteſt eſſe peruerſa, ſicut electiua; *Omnis res etiam inanimata plus amat naturaliter*

liter Deum quam seipsam, vnaquaeque (ait) *pro suo modo. Quoniam Deus est Vniuersale Bonum, & totum amabile plusquam pars.* Ergo (inquam) & pro suo modo naturaliter colit. Cultus enim amore notitiaque, & obedientia, & laudatione perficitur, vt docet ibid. q. 99. 3. & 2. 2. q. 81. & 3. cont. Gent. c. 119. ad quod actus exteriores, qui sunt inclinatio, adoratio, sacrificium &c. ordinantur. Et propterea in sacris litteris omnes creaturæ quasi sentientes, amantes, & benedicentes Deum introducuntur, & facientes verbum eius. Inclinantur enim ad ipsum, vt ad finem, licet non cognoscant rationem finis, vti nos, sicut dicitur 1. p. 2. q. 1. Idem probat S. Hier. in 10. Ezec. exponens illud, *Spiritus vitæ erat in Rotis.* Item docet Plato sæpissimè. Vnde Ficinus super Tim. probat *ex causalitate, & prouidentia, quam habet Deus super omnes creaturas, non solum Religionem, sed etiam actus Religionis: qui sunt adorare, orare, vouere, per quos coniunguntur primo principio, Vni, & Bono, esse naturales pro suo modulo cunctis rebus: quemadmodum naturale est helitropio herbæ conuerti ad Solem: & seliniti ad Lunam.* Probatque non solum ratione naturali, vt fecit D. Tho. sed etiam autoritate, & vsu Sapientum apud omnes Nationes, quales Bracmani apud Indos; Magi apud Persas: Theologi apud Græcos: Astrologi apud Chaldeos: & ad horum testimonium adducit Iamblicum, Proclum, Porphyrium, & tandem Magnum Theodorum qui ait; *Si quis naturas rerum diligentius exploraverit, inueniet, non animas tantùm atque mentes, sed quodammodo entia omnia, excepto primo, adorare, atque vouere Deo summo Bono &c.* Id quod D. Thomas probauit *ex amore*, & Hier. *ex sensu, & obedientia.* Ambr. verò etiam *ex laudatione*, sicut Daniel, & Dauid. *Benedicite Domino omnia opera eius in omni loco dominationis eius*; ideſt naturaliter pro modo quodque suo, ex D. Thom. Sed hæc Religio dicitur analogica, sicut hoc nomen Deus de vero per essentiam, & per participationem de analogicis, apud D. Thomam.

Animalis religio quæ.

Religio animalis addit supra naturalem cultum, illud obsequium, quod Bruta præstant superioribus sibi beneficis causis; Deum enim naturaliter diligunt, vt ait, S. Thom. sed animaliter omne beneficum principium propterea Elephas Lunæ genuflectit; & se baptizat à coitu: & Solem aues præcinunt in mane, venientémque vocibus lætis excipiunt, vt S. Ambr. & experientia testatur.

Rationalis religio quæ.

Religio rationalis est, qua creatura rationis particeps, sapientiam, & rationem Dei, Deumque ipsum nouit, & colit, finem, & rationem finis pernoscens. Hic cultus in sacra Scriptura vocatur timor Domini, qui (teste Eccleſiast. cap. 2.) *cum hominibus in vulua concreatus est*, & ante vsum rationis inest quasi seminaliter, sicut ratio sine vsu, vt probat S. Hier. in Epist. ad Galat. Vnde Iamblicus

de myst. Aegyp. cap. 1. ait. *Ante omnem vsum rationis, ineſt naturaliter inſita Deorum notio: imò tactus quidam diuinitatis melior quàm notitia. Ex quo incitatur naturalis appetitus Boni, ratiocinatio, atque iudicium.* Idem docet Cicer. in lib. de nat. Deorum, & Senec. in lib. de prouidentia, in Epiſtolis: & Pythagoras in aureis verſibus. Præterea Lactantius libr. 3. cap. 9. probat, cultum Dei, ideſt, Religionem, ità eſſe homini naturalem, vt ſit eius vltima in definitione differentia: *Animal Rationale Religioſum*; alioquin non rectè prorſus à brutis ſe cerneretur, ratione ſenſuali, quam S. Thom. vocat æſtimatiuam, præditis. Idemque docet Cardinalis Oſius in Confeſſ. Petracor. & S. Chryſoſt. tom. 3. *Homo*, ait, *in cunctis cum brutis conuenit ſed religione ſola ſecernitur*; Lactantius idem probat auctoritate. Anax. & Ouid: & aliorum contra Epicureos, S. Auguſt. lib. de vera Religione probat; & Ret. c. 12. *Religionem Chriſtianam fuiſſe ante legem ſcriptam ſemper eandem in Mundo naturaliter inditam, exceptis cæremonialibus.* Hinc Iſidorus, allegatus à Gratiano, dicit. *Ius naturale eſt, quod continetur in Lege, & in Euangelio.* Similiter S. Clem. Rom. ex ore S. Petri. Iuſtinus Martyr. in Apolog. 1. & 2. lib. de Monarch. & S. Ambr. lib. de Parad. probat idem ex Apoſt. Rom. 2. qui inexcuſabiles facit gentes, qui non adorant Deum, & Sap. 13. efficacius id probatur. Idem confirmat ius Gent.

Qui hæc negant pſeudo politici, oſtẽdunt ſe Theologiæ ſacræ, Philoſophiæ veræ ieiunos pluſquam beſtiæ.

Religio ſupernaturalis eſt id, quod reuelat Deus in Lege, & Prophetis, & in Euangelio: quæ perficit naturalem, & eleuat ad diuinioꝛem ordinem.

Supernaturalis.

Has diſtinguit Fic. 18. Theol. cap. 8. & 9. *Religionem*, ait, *intelligo inſtinctum ipſum omnibus gentibus communem, naturalemque: quo vbique, & ſemper prouidentia quædam Regina Mundi cogitatur, & colitur. Quam primo cognoſcimus naturali ſagacitate; deinde Philoſophicis rationibus; poſtremò Prophetici verbis, atque miraculis:* & hoc probat auctoritate Procli, Pythag. & Auic. idem Damaſc. 1 de fid. ort. idem Triſmeg. in Pymandro, & Plato in Prothagora dicens. *Homo tanquam diuinitatis particeps ab cognotionem quandam, Deum agnoſcit: & cupit tanquam auctorem: inuocat, & amat vt Patrem: veneratur vt Regem: timet vt Dominum; & ſicut Sol non cognoſcitur ſine lumine Solis; ita nec Deus ſine Deo, ergo lumine diuino innatoque cognoſcit homo Deum* Hoc autem lumen, vt ait D. Thomas 1. 2. q. 91 *eſt legis æternæ, ideſt, Verbi Dei participatio, impreſſióque diuini luminis in creatura rationali, qua inclinatur in debitum actum, & finem, ideſt, Deum, ex lege naturali, indelebili de mente hominum*, & hoc probat auctoritate Pſal. 5. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, &c.* quod omnes etiam Patres exponunt de lu-

mine naturali innato. Eadem ratione vtitur Gregor. Nyſſ. oratione cath. cap. 5. qua D. Thomas, & Plato; & verè ſic eſt. Si enim homo eſt creatus ad imaginem Dei, ſemper naturaliter ad Deum fertur, ſicut ignis ad ſuam ſphæram. Vnde idem D. Thom. 3. contr. Gent. 51. *omnes mentes naturaliter deſiderant videre Deum*, & cap. 119. *Deum colimus per exteriores actus, & ideò hic cultus vocatur Religio, quoniam per illos actus religamur, ne vagetur Mens. Inſtinctu enim naturali homo non ſolum cognoſcit ſe obligatum colere Deum, ſed etiam colere ſuo modo, ideſt per actus exteriores, & ſacra*i ergo & cultus in D. Thom. & modus colendi eſt ex inſtinctu naturali, & de iure naturæ. At in cap. 123. *Leges humanæ*, ait, *ex naturali inſtinctu procedunt, ſicut in demonſtrationibus humana ſcientia, & concluſio, & inuentio eſt ex principiis naturaliter notis. Diuinæ autem leges non ſolum inſtinctum explicant, ſed etiam defectus naturalis inſtinctus ſupplent, vt lex naturalis matrimonij à lege diuina ſacramenti matrimonij perficitur.*

D. Auguſt feciſti nos Domine ad te &c.

Lex ſupernaturalis ſupplet defectus legis uaturalis, non ex legis natura, ſed noſtri peccati abuſu cauſatos.

Et cap. 129. probat, quòd *non ſolùm lege*, vt vult Epicurus, *ſed natura conſtat bonum, & malum: & non ſolum quæ lege naturali ſanciuntur, ſed etiam quæ diuina ſunt naturaliter recta*, & 1. 2. q. 98. art. 6. *lex diuina data eſt in auxilium legis naturalis.*

Idem in 3. cont. Gent. cap. 119. vbi Fer. propter defectus legis naturalis non naturales, ſed exuberantia peccatorum obſcuratæ, data eſt diuina.

Omnes Philoſophi, & Nationes fundant leges incultu diuino, vt probat S. Thom. & Sotus 4. de iuſt. & iur. q. 4. art. 2. Soli ergo Epicurei, & Macchiauelliſtæ ex peccatorum mole (ait S. Damaſc.) obſcuratum lumen naturæ habent, vt Religionem, etiam in tota natura cognitam, non agnoſcant.

II. Deinde dixi. Naturalis eſt homini inclinatio in iuſtitia, & in Religione viuere, vt omnis Schola, & Natio profitetur; diſſident autem circa ſupernaturales, & poſitiuas leges, & ritus in Religione. Item circa obiecta cultus, & modum colendi, non circa cultum conceptum inclinationémque; in qua conueniunt.

Religionem ergo eſſe de iure naturæ nos diſcurſu cognoſcimus, & ſenſu experimur naturaliter. Quod autem ſua Religio poſitiua vera ſit, hæc, aut illa, ſicut quilibet opinatur, habent homines per fidem, quàm quælibet natio ſuo Legiſlatori, ac Præceptori præſtat. Quin etiam in Philoſophis plus valet fides, quam ratio, ſi rectè introſpicias. Platonici enim Platoni credunt, & aduerſariorum obiectiones videntur illis fallaces; & gloſſis plurimis defendunt doctrinam Præceptoris ſui. Deterius Peripatetici, quaſi adorantes omnem ſtultitiam Præceptoris ſui Ariſtotelis. Pytha-

gorici de Pythagora testabantur. Ipse dixit. Stoici Zenoni sunt addicti. Democratici Democrito, & Epicuro ita credunt, vt Lucretius vocet Epicurum Deum: & impia Democriti dogmata, vocat sancta. Medici verò Galeno, & Hippocrati fidem adhibent plerumque sine ratione. Sceptici nemini. nisi sibi ipsis negantibus, Scientiam extare. Hoc idem inueni in legibus. Nam vt veri Dei cultores rectè credunt Christo, ita (quamuis falsò) arbitrantur bene se credere Iudæi Moysi: Arabes, Turcæ, Mauri & Persæ Mahometto: Tartari Cingho: Iaponenses Amidæ: Græci Soloni, ac Lygurgo: Scythæ Zamolxi: Aegyptii Osiri: Assyrii Belo. Quoniam verò hi Legislatores diuersa senserunt de prima causa: & Regiones sunt moribus diuersæ; diuersum cultum introduxerunt. Deinde Assectæ, & Comentatores eorum adduxerunt schismata, & hæreses, & cultus varios. Et nulla Natio cultu caret alicuius Numinis.

Ex his palam innotescit, quòd omnes Gentes per Religionem viuunt, ergo est de iure Gentium, & Naturæ. Sed quòd hæc, aut illa, sit vera, vnusquisque iudicat secundum suam fidem tantum cuiusque Gentis.

III. Amplius esse de iure Naturæ vidi, quoniam, & animalibus extat quædam Religionis vmbra, & in plantis sicut monuimus in prioribus sermonibus. Et ex hoc benè percepi, totum Mundum Religionem habere erga suum Creatorem: eique cuncta seruire: & Cælum enarrare gloriam eius, vt Pythagorici, & Platonici, assentientes Dauidi, testantur. Procul dubio naturale est diligere eum, qui tibi benefacit: & timere, qui malefacit; ergo causæ potentes, ac bonæ honorantur, & timentur naturaliter. Hic autem est actus Religionis, si causæ illæ sunt diuinitatis participes. Sed quædam entia quibusdam insuper seruiunt causis: in quibus Deus bonum ipsorum, & timorem locauit, vt beneficium Elephanti in Luna: Et Stellarum in Sole. Sed homo, cognoscens seipsum nobiliorem creaturis inferioribus: & Cælum, & Steilas, limitata pollere diuinitatis participatione, cognouit, extare quoque aliam causam longè maiorem, & illimitatam: eique præstitere tanquam magnanimi obsequium proprium, ac seruitutem. Et intellexerunt, quòd Cælum, Terra, cunctaque entia, illi primo enti immenso seruiunt: quoniam qui sapientior est, sagaciùs peruenit ad primæ Causæ cognitionem. Qui autem magis illam cognoscit, honorat magis, colitque: ergo naturale est homini diuinitatem colere, quando & in belluis aliquale vestigium eius cultus est, Hoc autem est ipsa Religio. Si quis Bubulcus in nemore Regem venantem videret, non honoraret eum tanquam Regem, quia minus agnosceret: at Aulici Regis confestim inclinantur reuerenter, quoniam magis norunt eum

Secunda ratio ex cultu naturali brutorum, & omnium entium,

Sic homo cum sit rationalis, verè colit, longéque magis, virtutum Auctorem, & Verum Deum.

IV. Vidi præterea, non posse Rempublicam fundari absque Religione; secus enim foret latrocinium mutuum, continua rixa, & reciproca insidiatio, tota Ciuitas. Et quique potentiores palam, & clam omnia mala perpetrarent, & deprehensi fugerent: & dissolueretur Societas. Ergò Religio necessaria est, vt defendatius inter homines. Ergo ita naturale est eis religiosè viuere, sicuti naturale est homini esse animal Politicum, & plus qnàm cæteris animantibus. Quin etiam homini, viuenti seorsim in eremo, naturalis est Religio magis, quàm Elephantis: sicuti naturale est colere, ac seruire præstantioribus. Vnde fiunt heremitæ, & domus Religionum sequestratæ sunt ad seruiendum Deo in cunctis Nationibus; neque enim adeò agrestis reperitur vlla in vtroque Hemisphærio, quæ non colat Deum, vel id, quod putat esse Deum.

3. Ex necessitate, & ratione politica.

Idem docet S. Tho. sed veteres Doctores, addunt, sicuti etiam rationale.

4. Sumitur ratio ex actibus internis, & externis Religionis apud Lactantium, & August. & alios Patres.

V. Id quoque Religionem sic esse naturalem ostendit maximè, quod homo inueniens aliquod ingens bonum, vel malum, repentè attollit vultum in Cælum, gratias agens, aut auxilium petens, eodem planè instinctu, quo vltro manus capiti auxilium parat ob naturalem Animæ consensionem; & ideo Religionem, & actus exteriores Religionis, vt orare, adorare, sacrum facere. D. Thom. ne dum Plato, dicit esse ex instinctu naturæ 3. cont. Gent. cap. 119.

Ratio 6. ex causalitate, & prouidentia Dei.

VI. Et quidem naturalissimum est nobis benefacientem amare, & colere: & ab eodem opem petere, quando quid mali nobis contingit. Et hoc nos, & bruta facimus erga parentes; & res omnes erga res naturaliter, à quibus beneficium recipere solent quodcunque.

Conclusio.

Cum igitur verum sit, Deum esse, ac Mundum regere, omniaque bona ab eo emanare, & pœnas peccantium, vt in superioribus ostendimus; fieri non potest, quin nobis naturale sit colere illum, vt primam Causam, Patrémque communem; Et quin ipse, cum sit benignus, prouidúsque dederit Legem, ac Religionem qua ipsi seruiremus, vt ipsi placet, & conuenit, non autem, vt nobis videtur.

Vnde varij ritus.

VII. Quoniam verò inter diuersos homines diuersorum climatum diuersi inueniuntur ritus in suorum Dominorum cultu: Nam alij genuflectunt, vt Lusitani; Alij tantummodo inclinantur, vt Turcæ; Alij inclinantur, & nudant caput, vt Itali. Igitur eadem ratione diuersus est cultus, quem exhibent Domino Dominorum: omnésque boni sunt, dum Deo fiunt absque prauitate, & superstitione: maximè autem ille, qui exhibetur docente Deo. Vnde D. Aug. lib. 1. de cons. Euang. ait, cap. 28. *Socratis sententia est, Deum quemque coli oportere, sicut ipse se colendum præceperit.*

Vnde superstitio, & irreligiosas.

Nam, quando torquetur cultus diuinus ad creaturas, aut non tantus Deo exhibetur honos, quantus debetur summo bono, aut con-

tra eius præceptum, iniquitas est atrocissima. Eóque magis, quòd etiam Diaboli dolosè cultum diuinum vsurparunt ab homine. Similiter superbi, astutique homines, qui fingentes se Deos, aut à Deo missos, diuersas Religiones falsas, vt regnarent, introduxere: tanquam deceptores, vel decepti à Diabolo.

Deus vult coli.

VIII. Nec existimandus est Deus hac cura non tangi, vtrum colatur, aut non: aut suus honor alteri detur; quoniam, vt ait Epicurus, cum sit beatus, hanc molestiam auersatur. Deus enim jam declaranit, se honorem tanquam debitum requirere à nobis, Naturæ, & Nationum testimonio: & miraculis supernaturalibus. Scimus etiam, si non colatur, non nocere illi, sed nobis, à summo Bono recedentibus. Item naturale est omnibus parentibus, ac maioribus à filiis, & minoribus agnosci velle, colique, vt in eos suas effundant opes, & gratias si benefici sunt, amorosique, cuiusmodi maximè est Deus. Nouimus etiam, Deum curis non laborare, cum sit infinitè potens, & sapiens, neque dolere per se, sed in nobis: & effectum dolentis ostendere, dum nos castigat. Sed hæc doctrina nihil ad nos in præsentiarum, vbi de hoc non est disputatio.

6 Ratio ex cura peculiari Dei, erga Rem. humanam.

Vidimus iam in tota rerum natura, Deum curare omnia, etiam minutissima; ergo multo magis artem principalem vitæ humanæ, quæ est Religio, vita Reipublicæ. Si enim præbet spinas, ac frondes arboribus, & animalibus organa in magnos vsus, &c. Religio casu, ac sine auctore esse nullatenus potest.

Quod faciendum est Machiauellistæ, volenti inuenire Religionem veram.

IX. Igitur multa illi homini examinanda sunt in cunctis sectis bus, ac Religionibus Mundi per rationem communem naturalem, qui volet per hanc viam inter omnes veram Religionem, & à Deo præscriptam, inuenire; quandiù per supernaturale donum plenè non adiuuatur, & vt falsarum detegat impostura; & veræ Religionis animaduertat euidentem, & rationabilem credibilitatem.

Prima nota veræ Religionis, falsæque.

I. Conditio examinẽtur præceptorum moralium, vtrũ sint vtilia, & secundũ naturam omnibus conuenientia, pia, facilia, amabilia, clara, certa: quæ homines semper meliores reddant, quo magis ea obseruant; deteriores verò, ac in vitia mala ruentes, qui minus ea obseruant; & vtrum admittant vitium aliquod oppositum virtuti naturali.

II. Fides eorum, quæ proponuntur credenda supernaturaliter, scilicet, vtrum prædicentur simul cum lege eo modo, quo à Deo accipitur; an à naturæ arcanis per sapientes cognitores primæ causæ.

III. Vtrum sint rationabilia; conuenientia Deo Potentissimo, & Sapientissimo, & Optimo, & non contradicentia euidenter decretis naturæ, pia, & deuota: olentia sapientiam, & non fabulas, & vanitatem: vtrum contineant impossibilitatem & contradictionem, nec ne; & quomodo probantur esse diuina. Et vtrum iubeant

vitiosa, ruinosa, & obscena, an non. Et vtrum verè eleuent animos ad Deificationem sui. Et vtrum eius Autor ad hoc munus fuerit missus à Deo, an ab hominibus, an à propria ambitione, an à Diabolo.

IV. Et vtrum qui dicunt, se missos, aut inspiratos à Deo, ita certi sunt, quod comprobent testimonium suum sanguine, parati mori pro veritate, quam Dominus Deus ipsorum tradidit annunciandam; an mortem effugiant. Et vtrum scopus intentionis eorum sit honor Dei, & præmium, quod ipsi à Deo expectant, & non à populis: an mortem auersentur: terrenaque cupiant.

V. Et vtrum afferant, ostendereque possint, literas patentes, seu diploma: sanguine sigillatum. Et signa missionis, quæ sunt miracula: & vtrum miracula sint mirabilia tantum, & secundum magiam naturalem, an ludicram fictitiámque, aut Diabolicam; aut miracula vera secundum supra natuturalem, diuinámque.

VI. Et vtrum Deus auctorizauerit etiam sequaces illius, qui se ostendit Nuncium missum à Deo eisdem miraculis, & sanguine libenter effuso; in hoc enim maximè negotium versatur. Nam palam fit; quòd non fuerint decepti, neque deceptores.

VII. Considera, num perseueret eadem virtus miracula faciendi, in posteris sanctioribus secundum legem; Et vtrum fides certa, & syncera eorum, parturit miraculosos effectus contra Dæmones, & infirmitates, & contra omnia mala, quibus Religio opponitur in auxilio alicuius Dei quem colit: & cum auiditate moriendi propter præmium, quod Legislator pollicetur.

VIII. Librare oportet omnia præmia, & pœnas, temporalia, & æterna, quæ promittit obseruatoribus, & transgressoribus; hoc namque maximè refert: & vtrum eos spoliet, an ditet.

IX. Considerandum est, vtrum Legislator habeat testimonia Prophetarum, qui ipsum præconizauerunt venturum; & num per prophetiam verè diuinam; an per coniecturam, & præsagium naturale; an per pseudoprophetiam diabolicam

X. Et vtrum quæ ipse Legislator prædixit futura post se euentu comprobata sint; Et qua ratione ea, prædixerit, naturali ne an diuina? Sic etiam eius præcones, & attestatores, & contestatores.

XI. Examinanda quoque est vita Legislatoris, & sequacium, vtrum fuerit in patientia multa, & virtutibus heroicis, sanctisque exemplis, & constanter. Ex vitæ namque probitate, & nequitia, grauissimum sumitur argumentum.

XII. Et vtrum armis Religionem plantauerint, an virtute, & miraculis: an vtroque instrumento.

XIII. Et vtrum Deus auctorizauerit scholam eorum successione

diuturna, ac possessione. Et num vbi arma defecere, auxiliúmque humanum, creuerit Religio per patientiam, & martyrium: an decreuerit.

XIV. Et, num si mundus totus sub vnam legem conueniret, posset hæc lex esse sufficiens, & commoda tot variis hominum moribus, in omni loco, & tempore; sic enim procul dubio diuina esset, & secundum communem naturam, quam & perficit.

XV. Vtrum prohibeat omnia, & singula vitia, & imperet omnes virtutes, &c.

XVI. Nec negligendus est locus, & tempus, considerando Cælum & Terram, quando, & vbi data est lex: disponunt enim & circunstant ad noscendum, num humana vel diuina, 21. ex D. Thom. Cyril. & Clem.

EXAMEN CHRISTIANÆ LEGIS cæterarúmque Nationum: quo demonstratur, illam pro fundamento habere Charitatem, & Rationem primam; cæteras vero leges bonas, Philosophicas, iustitiam humanam, & rationes secundas: at solius Christianæ solum præcepta morália, & ceremonialia cum natura, quam perficiunt, prorsus congruere. Et quo pacto obligent. Inde necessario futurum, vt si totus Mundus ad vnam legem reducendus est (quod nos firmissimè probabimus) aliam præter istam esse non posse. & adduntur responsiones ad argumenta Iuliani, Luciani, & Macchiauelli.

CAP. X.

Vouet auctor quòd sub Christiana Lege in toto Mundo vnum ouile, vnus pastor.

DEINDE his propositis signis, ac notis, omnium mortalium leges percurri, examinando eas in iudicio contradictorio ab omni passione remotissimus: & comperi, Religionem solum Christianam esse veram, vndequaque, nec vnquam naturæ repugnantem; Eandémque cæteris cunctis fore anteponendam. Vnde mihi certum est, totum Mundum, iam lassum, sub eam vnam reuniendum fore, post perio-

periodum turbationum multarum, quæ ex diuisione Principatuum, & Religionum acciderunt. Futurúmque opinor vnicum in terra Principatum ea cum fœlicitate, quam cecinere Poëtæ de sæculo aureo, & Philosophi descripserunt de statu optimæ Reipublicæ, adhuc non viso. Quod etiam verisimile est (aliis Catholicis intellectibus saluis) indicasse Prophetas, cùm prædixerunt de tranquilitate Ierusalem reædificandæ post captiuitatem Babylonicam, seu post confusionem sectarum, stultarum, & impiarum; & omnes sapientes Nationum expectauerunt: & populi vehementer optant, vt fiat voluntas Dei in Terra, sicut in Cælo; & cessent mala super terram. Nec quispiam reperitur, qui hoc non desideret, præter Tyrannunculos quosdam, quitamen & ipsi cuperent, totum Mundum sub sui quisque Principatum vnicum omnes mortales conuenire. Desiderium autem commune naturale est, & non frustra; vnde verisimile est, quòd complebit illud Deus. Nam & hoc esse non videtur extra promissionem Dei ad Abraham, *vt hæres esset Mundi* (Rom) & *vt sit Pater omnium gentium*. Gen. 17.

Ex consensu Nationum probatur.

Ex contentione, & communitate.

II. Hanc sententiam sic mihi persuadeo. Illa lex omnibus anteponenda est, in qua omnes nationes viuere possunt, quoniam sola naturæ minimè repugnat, sed prodest perficitque; & secundum innocentiam primariam, in qua creatos fuisse homines, æstimandum est; & infantia ipsorum admonet. At video præcepta Christi moralia ea esse, quippe quæ fundantur super amore Dei, ac proximi, quatenus frater noster est, & omnes sumus filij Dei. Aliæ verò leges, & Principatus humani fundantur super externa, & philosophica iustitia magis. Quæ virtus cuilibet dat, quod sibi acquirit: solúmque curat populos in communitatem vnire, nec diuellere peccata secreta, nec publica: nisi illa, quæ proximo iniuriam inferunt manifestam. Fornicationem enim ferè omnes illæ permittunt, plures sodomiam. Auaritiam, & ingratitudinem non puniunt; nec inuidiam, nec pusillanimitatem, nec audaciam, nec ebrietatem, nec ocium, nec anxietatem, nec mandacium, nec malignitatem, & similia, nisi vbi proximo nocent manifestè, & satis. Quæ omnia vitia & exorbitantiæ in lege Christiana corde tenus vetantur; & oppositæ virtutes plantantur. Dicimus enim, Christum esse Sapientiam æternam, primamque rerum omnium Rationem, cuius proles est Amor in Metap. & par primalitas cum ea. Ergò omnia, quæ aguntur contra virtutem, & rationem, sic esse contra Christum; qui teste Apost. *Est Dei Virtus, & Sapientia, & Ratio*, (Vnde concludit Origenes, & SS. Iustin. Hier. & Aug.) Ergo est iustitia, fortitudo, clementia, & quidquid nomine virtutis gaudet, sed per essentiam: nostræ enim virtutes sunt splendores, & participationes illius. Hoc autem S. Hier. sæpe inculcat, maximè autem super epist. ad

Ephe. 4. in illum locum, *Vos autẽ non ita Christum didicistis &c.* vbi ait. *Discere Christum idipsum est, quod nosse virtutem & audire illum non differt ab eo, si diceret audire Sapientiam, iustitiam, Fortitudinem, Temperantiam &c. quæcunque Christus vocatur &c.* hæc ibi Hier. Item super epi. Gal. 5. in illum locum Pauli. *Nos enim spiritu ex Fide, Spem iustitiæ expectamus,* ait, idem S. Hier. Sic (*Spes iustitiæ Christus intelligendus est, quoniam ipse est Veritas, Patientia, Spes, iustitia, omnésque virtutes.* Item ad Gal. 2. super illum locum. *Viuo autem iam non ego, &c.* inquit idem S. Hier.) *Viuit in eo Christus Sapientia, Fortitudo, Sermo, Pax, Gaudium, cæteræque virtutes.* Quòd autem, qui Ratione viuunt, sint quodammodo Christiani implicitè, vt vult S. Iustinus, ex iamdictis necessariò sequitur, quoniam Christus est virtus & ratio: omnísque virtus est rationis decretum. Sed idem Hier. claræ pronunciat contra imperitos in epist. Eph. 2. super illum locum. *In quo habemus fiduciam,* sic dicens. *Vt firmior sit accessus, habere illum in confidentia, cuius fiducia, & accessus principium, & origo, fidei in Christo est. Qui omnia ratione, & ordine facit, iste credit in Christum Rationem, atque Sermonem. Qui Sapientiam potuerit comprehendere, iste credit in Christum Sapientiam. Qui intellexerit veritatem, credit in Christum veritatem, qui iuste vixerit, credit in Christum iustitiam &c.* Igitur rectè dictum est. viuentes contra rationem, & virtutem, esse contra Christum; è contra verò omnes vbique homines, viuentes secundum rationem, vt sic esse Christianos. Quemadmodum Hieron. concludebat; similiter Sanctus Clemens Romanus. ex orè Principis Apost. contra Simonem Magum pronunciat. Adde D. Iustin. Mart. cognomento philosophum in exhortatione ad Gentes, & in 1. Apolog. pro Christianis in Senatu Romano coram Imperatore Antonino disputantem contra eos, qui dicebant Christianos impios, & irrationales, vbi dicit se factum Christianum ex Platonico, *Non quia* (inquit) *Plat. doctrinæ sunt alienæ à Christo, vbi rationales. Nos enim adoramus Christum ingeniti Dei Verbum, & Rationem* ita dicit in 1. Apologia & iterum in 2. vbi ait, quòd Christus Ratio per Socratem tanquam suum sequacem arguebat vanitates Græcorum, & iterum. *Dicimus Christum primogenitum Dei & Rationem, & Verbum esse, cuius, vniuersum hominum genus est particeps; & quicumque cum Ratione & Verbo vixerunt, Christiani sunt, quamuis Athei, & nullius numinis cultores habiti sunt, quales, inter Græcos Socrat. & Heraclitus fuere, & his similes, Inter Barbaros autem Abram, & Ananias & Azarias, & Misaël, & Elias, & alij complures &c. perinde atque ex veteribus, qui Christum præcessere & absque ratione, & Verbo ex egere ἀχρειστοι, hoc est incõmodi & sine Christo fuerunt: eorúmque, qui secundum rationem, & Verbum vixerunt, percussores &c.* Hæc D. Iustinus, quæ ab omnibus ferè Patribus Græcis, atque Latinis repe-

Mirificè S. iust. de Verbo sensit.

tuntur, qui considerauerunt Christum, vt authorem Naturæ: maximè autem rationalis Naturæ, ac Legislator. Omnis enim lex positiua dependet à lege naturali; & lex naturalis est impressio legis æternæ; lex autem æterna Christus est Dei Sapientia, & Ratio. *(Qui autem ex recentioribus plus meticulosi, id negasse videntur, sumpserunt vocabulum Christi, à Christo secundum quod est nomen dicens Incarnationis œconomiam, cuius effectu incipitur intrinsecè à vocatione, & excitatione, ad fidem supernaturalem.)*

M. N.

Omnis lex à Christo, & quomodo, ostenditur.

Quòd Christus sit Ratio, vnde homines natura sunt rationales, & per gratiam sancti secundum patres, vide postillam paginæ 29. & textum.

Quando ergo omnes Nationes recognoscent Christum esse Deum primam Rationem, aliam legem, ac Christianam, amplecti nequeunt; siquidem lex omnis, legis digna nomine, qua vsus est, & vtetur Mundus in qualibet natione, data est à prima Ratione Christo, vt Auctor naturæ est, & prima Ratio. Idcircò quatenus rationales nobiscum sunt, Omnis quippè lex Ratio est, vel rationis regula; ergo lex omnis est participium & splendor primæ Rationis, Sapientiæ Dei: qui est Saluator, Ratio enim seù Sapientia est, quæ gubernat, & saluat omnia entia, secundum modum suum. Iustitia ergo, in qua fundantur leges humanæ, si leges sunt, est splendor Rationis primæ, & quantum Sol suum excedit splendorem, tantum Ratio iustitiam, & lex Christiana leges humanas. Et in Metaph. ostendi, Sapientiam esse Primalitatem entis, iustitiam verò modicum influxum illius.

Si cognosceretur prima Ratio, nemo à Christo abiret.

III. Deinde dixi. Quoniam mortales non dum omnes norunt Christum vt Deum, & Rationem primam, & in illis quodammodo ecclypsatus Christianissimus, eò quòd putant, ipsum à nobis prædicari, quasi vnum sectariorum, vnde eius Regnum Principibus Terræ quidam Theologi, nedum Hæretici, suppositum arbitrantur, vt gladium & potestatem mendicans ab eis; idcircò non currunt omnes ad Christi legem certatim.

Etiam ignorantes Christum, velint nolint sunt cum Christo, inquantũ putant se viuere secundum rationem, volũntque. Sic quĩ nolunt Deum, & volunt Bonum, etiã volunt Deum.

Deinde lætabundus. ergo Nationes cunctæ Christianæ sunt quodammodo; cum enim secundum rationem viuere se velle profitentur, etiam ignorantes Christum, Christum quærunt, cum id quærunt, quod sola Christi lege de facto reperiri potest, quæ (vt Aug. ait) à principio ad finem Mundi semper est eadem, exceptis cæremonialibus. Virtutes enim naturales, & gratia sanctificans nunquam defuit. Audi Hier. super epist. ad Ephet. 1. in illum locum, *Gratificauit nos in dilecto*, sic dicentem: *Si Christus est, vt sæpè diximus, Sapientia, Iustitia, Pax, Gaudium, Continentia, &c. Virtutum vocabula; etiam hi, qui sequi nequeunt, diligunt; & nullus tam confessi sceleris est, vt non Sapientiam, & iustitiam amare se dicat. Quomodo & de substantia Dei, omnium hominum consentit opinio, quod diuina sit, & nullius sensu facilè comprehendatur; Errat verò vnusquisque dum talem, vel talem eam putat; ita & Christum secundum id, quod diuersas virtutes sonat, omnes diligunt, licet plures factis non possint*

Ex hoc validissimè conuincuntur Aduersarij.

probare quod diligunt, Imò etiam nasci quodammodo Christianos omnes, nedum Iustinus Greg. Nyss. Irenus, Origen. Clem. Alexan. Aug. cæterique Patres, dum Gentilismum conuincunt, compellúntque ad fidem, declarauere; sed maximè Hier. nec esse nec nasci posse sine Christo authore Naturæ, & morum, & gratiæ, mirificè confirmauit: ità quòd licèt velint, nolint, etiam qui Incarnationem Christi Primæ Rationis, aut nesciunt, aut non acceptant, conuincuntur Christo adhærere & quà Deus & author Naturæ, & rationis est in eo quòd sunt, aut ptofitentur velle rationaliter viuere, sicut qui negat Deum esse, fatetur, Deum esse, & qui dicit, non dari rationem, & probat hoc rationibus, fatetur rationem. Hæc enim est veritatis vis, vt docet S. Thomas, & Aristoteles, & Plato, vt dum negatur, affirmatur. Sed audi S. Hierom. in Gal. 1. super illum locum. *Cum autem &c. vt reuelaret filium suum in me &c.* dicentem, hic. *Non dixit Apostolus, vt reuelaret mihi, sed in me.*

Cui enim aliquid reuelatur, huic illud potest reuelari, quod ante in eo non erat. In quo verò reuelatur, huic illud reuelatur, quod prius fuit in eo, & postea reuelatur iuxta illud in Euangelio Ioan. 1. Medius in vobis stat, quem vos nescitis. Et alibi: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum. Ex quo perspicuum fit, naturâ omnibus Dei inesse notitiam; nec quemquam sinè Christo nasci, & Euangelio Christi, vel sapienter faciunt aliqua, vel sanctè, vt parentibus obsequantur, vt inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, non aliena diripiant: magisque iudicio Dei obnoxij fiant, quòd habentes in se principia virtutum, & Dei semina, non credunt in eum, sine quo esse non possunt.* Quid Clarius ad probandum, quòd etiam nascendo cum seminibus virtutum homines sunt quomodò Christiani, nedùm operando virtuosè, & rationabiliter, quamuis nesciant, sicut Iudæi, ad quos dicitur: Medius vestrum stat, quem vos nescitis. Ergo quatenus rationales nobiscum sunt implicitè, ideſt Christiani; licèt quà male, & sine ratione viuunt, non sint Christiani. Et propterea in Synodo V. c. 12. damnatur Theodorus Mopsuastenus, quia dixit, *Nos dici Christianos à Christo, sicut Platonici à Platone*, id quod verum esset secundum vocem, non secundum rem, quoniam non particulariter, vt Plato Platonicorum, sed vniuersaliter est Christus caput omnium Rationalium creaturarum, quoad Naturam, & mores, & gratiam, &c.

Occurrit obiectioni.

Et cum Aurasicani Canon. 8. negat, quodammodo omnes homines fideles esse, (vti coguntur dicere, qui fidem in Deum faciunt naturalē, & nō infusā) loquitur de fide, qua credimus in Deum, ideſt de informata per charitatē operante cū merito condigno vitæ æternæ,

quam Pelagiani putabant ex viribus naturæ adipiſci: contra quos Cõcil. procedit. Ratio verò noſtra cũ S. Hier. loquitur de fidelitate ſecundum, idẽ & dilectionẽ naturalem ipſius Dilecti, qui eſt ſumma Ratio. Et hoc ſufficit illi: & neceſſarium erat ad conuincendos Atheiſtas, & Macchiauelliſtas, qui diuerſas leges à ſectariis diuerſis credunt eſſe, & Chriſtum vnum de ſectariis eſſe volunt; contrà quos ritè procedimus oſtendendo, quòd ſit prima Ratio, & Lex æterna, à qua omnes leges oriuntur, & cui nemo contradicit, niſi per errorem, quo ignorat Chriſtum eſſe primam Rationem, & incarnatum fuiſſe propter noſtram ſalutem, & vocatum Ieſum à ſaluando.

Omnes igitur, qui profitentur viuere ſecundum Rationem, Chriſtiani ſunt eo modo, quo Patres, victores mundi, docuerunt: ergo in quantum à recta Ratione deflectunt, etiam à Chriſto non ſunt: ſicut & nos Chriſtiani neque Chriſtiani in illis ſumus actibus, in quibus à ratione exorbitamus. Quod & Bernardus monet.

V. Ergo Mundus vnam habet naturalem legem in cunctorum hominum, cordibus inſitam, quam nulla diuerſitas obliterare poteſt. Sed nos ludum cæcorum agentes non animaduertimus: Illæ enim leges rituſque, qui contra rationem ſunt, non ſunt leges, ſed abuſus, & diſtortæ regulæ. Ratio autem prima Deus in perſona Verbi inter alia propter hoc etiam incarnata eſt, (teſte S. Tho. & Lactan. & aliis Patribus) vt nobis declararet doctrina & factis vniuerſalem naturalem legem, quam per legem ſupernaturalem de in perfecit, eleuauit, & adimpleuit. Stupor tenet me conſiderantem, quòd velint, nolint Homines, ſubditi ſunt Chriſto, noto, aut incognito. Et vt ait, nec poſſunt naſci, eſſe, & operari, prout oportet, ſine Chriſto, naturæ, & gratiæ authore.

Vna lex in Mundo naturalis, pluresautem ritus, vel abuſus.

Ergo nullum eſt argumentum illud atrox petitum ex legum varietate; nam excluſis falſis, quæ veræ leges non ſunt: tunc leges poſitiuæ ſunt ſpecificationes, & explicationes, & applicationes eiuſdem legis primæ naturalis. Earum ergo varietas non conſtituit nos irrationales, neque alienat à Chriſto in quacunque Natione. Et cum hoc Athei, putantes ſe ratione viuere, intelligent; non poterunt Chriſti, qui eſt ſumma Ratio, non Sectarius legifer, fidem renuere, ſicuti nec qui Bonum amat, non amat Deum, vel implicitè, vt concludit Plato, & D. Thom.

Concluſio vtiliſſima & fortiſſima.

Prædicauit inſuper Chriſtus Regnum vnum cæleſte, & tanquam cuſtodes legis dedit Amorem, ac Timorem Dei, & præmia, & pœnas poſt mortem. Ergo & palàm, & clam, publicè, & priuatim prouidit, vt fiat in nobis viridarium omnium virtutum: quę virtutes cunctæ ſunt quoque leges partiales, & expulſiones vitiorum cunctorum, contrariorum legi; quæ eſt mater, & nutrix virtutum, pendens à prima omnium Ratione eſſentiali Verbo Dei, quod eſt Chri-

Reſponſio ad 2. cap arg. principale.

ſtus; Qui ſi vel minimum permiſiſſet vitium, cum venit legem complere, non verè oſtendiſſet, ſe eſſe Deum nec puram eius legem diuinam, & vniuerſalem, ſed humanam particularem. Quapropter purgato Mundo vitiis omnibus, remanere non poteſt, niſi lex Chriſti, quæ eſt hortus omnium virtutum.

Obiectiones pſeudo politicorum contra legem Chriſti, ex Luciano, & Triphone exortæ.

Sed obiicit Macchiauelliſta irriſor nobis, vt olim Lucianus Platoni, & Triphon S. Iuſtino; Chriſtus formauit quandam Rempub. ſicut Plato ſuam, quæ in Mundo reperiri nequit.

I. Nulla enim Reſpub. poteſt prohibere vitia omnia; neque præcipere virtutes omnes. Apoſtoli eius fatentur, *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus.*

II. Chriſtus, præterea, addidit quædam, in qnibus Reſp. non poteſt ſubſiſtere.

Argum. 23. 3.

III. Veluti, *non iurare omnino.*

Mat. 6.

IV. *Non iudicare.*

V. *Non litigare: ſed cedere & pallium petenti tunicam.*

VI. *Non vlciſci iniurias; ſed ſi quis te percuſſerit in maxillam vnam præue ei & alteram.*

VII. *Benefacere inimicis; pro eis orare.*

VIII. *Non cogitare de craſtino, non theſaurizare. Non eſſe ſollicitum, quid manducabimus.* Ergo non eſt laborandum, neque ſeruanda bona in tempus indigentiæ naturalis; neque per totum annum congregandum eſt frumentum; neque arandum, nec bellandum; & ſic quicunque inuaſor nos ſubiiciet, *& erimus præda Miſorum,* ait Ariſt. aut omittemus Remp. ergo impoſſibile.

IX. Sed quid ineptius, quàm cum ait, vt *vendamus, quæcumque habemus, & demus pauperibus &c.*

X. Vtquè *caſtremur propter Regnum Calorum.*

XI. *Et eiiciamus nobis oculum, qui nos ſcandalizat.*

XII. *Et gaudeamus, & cupiamus, ſi nos alii perſequuntur.*

Reſp. vniuerſalis ad dicta argumenta.

Cui reſpondi. Etiam ſi non reperiretur homo omni virtute plenus ita, vt à ratione nihil exorbitaret; qui inſtruit hominem, non propter hoc non debet omnes virtutes docere, & vitia explodere omnia: ſicut neque quia Poëma non inuenitur omni vitio carens, debet qui Poeticam ſcribit, præcepta aliqua prætermittere ad Poemata ſpectantia; nec, quia Ariſt. demonſtrationem nullam fecit, qualem ipſe faciendam ſcribit, ideò à præceptis quidquam demere. Neque Cicero ab Orationis regulis, quas docet, licet non omnes quiſquam peritiſſimus eas obſeruet. Sed hoc admonet, nos eſſe in ſtatu imperfectionis, & contendendum nobis eſſe, vt pertingamus ad Idæam perfecti viri, quam Sapientes in Dei luce introſpectant, deſcribúntque:

Ergo, inquam, quantò plus Chriſtianæ legis à nobis ſeruatur, eò meliorem vitam traduci, melióſque nos ſeruari ad Deum & ad pro-

ximum. Item addo, verè Impossibile esse, quòd contingat ipsam seruari ab his, qui dicunt Deo, recede à nobis, vel factis, vel etiam dictis; non autem ab his, qui per Dei gratiam bonos operarios & inconfusibiles se exhibent. Et Apostolos eius vxisse hanc Remp. in actis Apost. teste Luca, & Aegysippo, & Patriarchatum S. Marci in Alexandria, teste Philone, scimus. Quod etiam ex parte, licet inutiliter, contendunt Anabaptistæ in Morauia.

Et prim: quantum ad nostram communitatem, quæ in consilio ponitur, considero, quòd si nemo thesaurizaret, omnes diuites essemus, & Resp. abundaret bonis sufficienter pro omnibus. Sed quoniam humanæ opes diuisæ sunt inter paucos potentes diuites, cæteri vrgentur paupertate. Pauperes autem sæpè viles, seditiosi, insidiosi, periuri, fures, adulatoresque fiunt. Diuites verò superbi, auari, vel prodigi, gulosi, ocioſi, libidinosi, contumeliosi, & tyrannici fiunt. Idéóque Resp. plena est ærumnis, & malis omnibus. At si omnes in communitate iuxta Christi consilium viueremus, & Magistratus distribuerent munera, labores, & artes vnicuique secundū propriam habilitatem naturalem, vel prædia, atque opes omnes ad Rempub. pertinerent, & fierent diuisiones, & æqualitates, etiam pro meritis, ne filii optimorum ignauiter viuentes, paterna bona liguriant, & Rempub, exemplo, & verbo, & factis pessundent: tunc melius viueremus, nec magis diuitias, quàm Deum amaremus, & hanc vitam ad aliam melius referremus. Quapropter & si peccata essent, vt fatentur Apostoli, illa non essent, destruentia Rempub. neque charitatem ad Deum, sicut Ciceronis, & Demostenis errores in Orationibus componendis, qui tolerabiles reputantur.

Responsio specialis Ad prin ā obiectionem. Respondetur de communitate impossibili.

Respon. ad 2. d. Iuramento.

II. Secundo dixit, *Ne iuremus omnino* propterea quòd deberemus erga inuicem ita boni esse, ac veraces in hac lege sancta, vt iuramento nullo indigeamus: ad veritatis confirmationem: sed quisque eam simplici animo proferret, sicut consuevit inter amicos fidelissimos, & Philosophos. Ergo sicut diuisionem bonorum intelligo iterum factam esse propter defectum charitatis, & negligentiam curatorum particularium, sic iuramentum propter defectum veracitatis, & propter incredulitatem exigentis. Ergo vtrumque ex quadam necessitate permittitur, & non ex legis imperfectione naturalis, aut diuinæ: sedenim *A malo est, quod amplius est*, dixit Iesus. At si Iesu legem plenè obseruaremus, essemus profectò prudentes, charitatiui veraces. Nec diuisione indigeremus, quæ est proles iniquitatis, teste Sancto Clemente; neque iuramento, quod est in remedium perfidiæ.

Ad III. Dixi iudicium temerarium à Christo prohiberi, sed non rationale: nam addit. *Sed quod iustum est iudicate.* Et fortè docere volebat ad summum, quòd inter Christianos peccata non deberent esse nisi venialia, vel ex fragilitate, & imprudentia, non autem ex

malignitate; vel saltem ea, quæ sunt contra proximum, (quorum gratia instituuntur Tribunalia) non essent tam lenia, vt illis indigerent. Nam, quò etiam possent absque peccatis viuere, tradidit nobis Sacramentorum auxilium, vt infra dicemus. Propterea ergo præcepit, vt quilibet ignosceret Proximo suo; ex quo sequitur, quòd non indigeremus Tribunalibus, neque iustitia punitiua. Quodque reprehensus quilibet à propria conscientia, vel à fratribus, vltro pœnitentiam huiusmodi peccatorum subiret, sicut Dauid, & sancti homines multi. Sed hodierno tempore, cum peccata hominum enormia sint & grauia, Tribunalibus indigemus. Sic S. Gregor. ait quod, & si fraternitas exerceretur inter Episcopos, nec ipsum Papam oporteret præcipere, & iudicare alios Episcopos si peccata non extarent;

3. Tim. 1. & 1. Cor. 6.

lex enim non est posita iustis, qui sibi ipsis sunt lex, sed iniustis, ait S. Paulus. *Et omninò peccatum est in vobis, quia iudicia habetis: quare non magis fraudem patimini? &c.* ac deinde concedit Corinthiis Tribunalia propter ipsorum fragilitatem, & necessitatem; & commtitit ea Sapientioribus: Thimotheo significat, vt *accusationes* accipiat, & *publicè peccantes, publicè arguat.*

1. Tim. 5.

Quapropter, cùm edixisset Christus, *quòd maior sit sicut qui ministrat, & non dominarentur,* more Gentilium, vt Domini, sed tanquam fratres maiores minoribus; intendebat auferre superbiam, & omnem punitiuæ iustitiæ materiam. Quoniam opus ea non est, vbi regnat Charitas vt pater in familia. At deficiente charitate, necessaria est punitiua. Sed lex directiua, & iustitia distributiua munerum, & laborum, & opum, & reciproca officia, & auxilia, sunt charitatis propria: per quam omnia membra mutuò compatiuntur, & congaudent, & coadiuuant mutuis sese officiis. Sicut olim fuit in Clero, & nunc in multis Ordinibus sanctarum familiarum Christi. Quamquam & vindicatiua per omnes quoque iam serpit, quoniam peccata alter alterius non ferunt: & sæpè enormia sunt, nec ferenda, quoniam destruunt chariratem, radicem Reip. sanctæ.

Responsio ad 5. & 6. de non vlciscendo, & cedendo iniurientibus benefaciendo inimicis.

VIII. Cæteri iam prædicti ordines sunt consultationes, sublimes valde, valdéque naturam perficientes. Et profectò, si obseruaremus omnes hæc moralia, abundaret sanctitas, innocentia, & fælicitas maxima; cessaret enim lis, & fraus, & odium, & vindicta. Nam insinuat Christus: Quòd si cum Sanctis tractas, quales singuli integrè rationales, hoc est Christiani, esse debent; tollenti pallium, vel percutienti cedere debes, non autem contendere: quoniam persuasum habere debes, quòd ille amet proximum sicut seipsum, & quòd non nisi ex magna charitate moueatur ad id faciendum; vel, vt te probet; vel ne tu pecces, vt in collationibus Patrum sæpe euenisse legimus. Aut quòd ex fragilitate, & ignorantia peccet; & & ideò parcendum esse illi. Ergo cedere debemus iniurianti, tanquam patri, aut fratri, aut tanquam puero: quibus cum minimè

lit

litigamus, sed condescendimus. Sin verò non cum Christianis tractas, sed cum scelestis, debes etiã cedere, vt eos meliores reddas: erubescent enim tantam patientientiam experientes. At si contendas, facis quod facit ipse, qui tibi iniuriatur. Ergo imitaris ipsum: ergo accipis ab ipso legem: ergo tu es victus qui accipis legem à victore. Sin verò tu cedis, ipse contendere omittit: ergo facit quod tu: ergo accipit legem à te, & est ergo victus, & ex fero fit mansuetus. Sic intelligitur Paulus Aopostolus dicens, *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum*, Hoc autem non est vtilitas, & abiectio, vt vulgus Macchiavellisticum putat, Aristotelicúmque, nisi vbi fit extrinsecùs propter timorem, non quando ex animo? tunc enim est sublimitas, & magnanimitas. Sic rectè Diogenes dicit. Si te percutiunt Asinus, aut ebrius, non debes vlcisci: Similiter quicumque te percutiunt sine, ratione, ebrii sunt, sinique irrationales: ergo dimitte eos in ipsorum stultitia, quoniam nesciunt quid faciunt; nec tibi iniuriam faciunt, quoniam nesciunt; sed potius sibimet ipsis. Et quia in sapientem non cadit iniuria. Telesius etiam Physiologus, nullius adulator, similiter sentit, ad sublimitatem animi spectare, ita cedere. At cùm cedit homo, propterea quod non potest vlcisci, & metuit, non autem quia paruipendit iniuriam, quasi non tangentem ipsum, nec quia putat alios meliores sua mansuetudine reddere; tunc non esse magnanimitatem, sed ignauiam, & abiectionem. Quando Getmanus Imperator misit exercitum, qui occideret Anabaptistas: hi omnes genua flectentes in quadam planitie simul mortem præstolabantur. Milites autem eo peruenientes, rubore, & stupore perfusi, noluerunt vel gladium contra eos stringere, sed permiserunt viuere, sic & Imperator ipse. Ecce quantum vim habet Christi consilium, vt potè quod etiam Diabolus vidit suis salutare futurum.

Rom. 12. Ant. Miran. in lib. de cuers. Monomachiæ, cum Aristot. non piè sentire vident.

IX. Non propterea assero, Christianis non esse bellandum: quoniam, & hoc naturale est. Si enim te inuadit bellua indomita, quæ per mansuetudinem, & humanitatem tuam domari nequit, nec in primo impetu quid boni per patientiam elicitur: tunc licet tibi vim vi repellere. Et peruersi homines, qui Euangelium virtute plantatum, eradicare contendunt, armis populsandi sunt: non autem sponte sunt lacessendi ad bellum sine causa, nec propter ampliandam nostram ambitionem, & cupiditatem: sed vincendi sunt benignitate, & vrbanitate, & veritate, rectè prædicata, & miraculis, & patientia, vt facias eos plenè rationales: quod sanè non nisi Christianitas constituit. *Fides enim est suadenda, non imperanda*, ait Bernardus: & profectò res nulla sic est Euangelio opposita, vt coactio hominum ad Christianitatem. In Christianitate enim sola Rationalitas perfecta inest: quæ agnita

Declaratio responsi ad 6. obiect. & resp. ad 7. de orando pro inimicis.

respui rationabiliter non potest, sed per Dei gratiam suauiter amplectitur. Nihilominus populo hoc cedere consilium est; quoniam non omnes tantæ virtutis in culmine capaces sunt: & secundum præparationem animi, & post illatam iniuriam, intelligitur.

Repugnant consilis Christi, qui naturã deprauatam sectantur: nã & ante Euãgelii prædicationẽ Chrys. docet multos fuisse legis, & consiliorum obseruatores, non enim homini defuit gratia, vbi homo non defuit gratiæ.

Sed ex his innotescit, quæcunque agimus contra consilia Christiana, suboriri ex quadam deprauatione naturæ hæreditaria, quam peccatis enormibus adaugemus. Vnde, sicuti peccare est contra naturam, virtuosè autem viuere est secundum naturam; sic lex Christi, eiusque consultationes, continent ipsammet legem naturæ, quam implent, eleuant, & perficiunt, reformantque; & propter prauitatem permitti ea; quæ, si Mundus totus secundum consilia Christi viueret, quod esset maximè rationabile, permittenda non forent. Et quoniam vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant, si lex frustra non est, satis consequenter affirmari, vel conici posse videtur, Mundum, malorum iam lassum, ad legem hanc reducendum fore. *Et fiet vnum ouile, & vnus Pastor.* Itaque res salubris est, sanctaque, pro vniuersis orare, vt boni fiant: & rationabile est valdè secundùm veriorem philosophiam. Ac video hoc Regnum Christi simile esse *fermento abscondito in farinæ satis tribus*; quæ sunt Anima, Corpus, & Opes exteriores; *donec fermentetur totum*, vt Mundus totus Christianus sit. Vel, tria sata sunt, Potestas, Sapientia, & Amor, ex quibus singula constant entia: & Communitas, & Respublica omnis vera, quæ etiam farina naturalis sunt, sed corrupta, immmutataque in Tyrannidem sophisticam, & hypocrysim; sed fermentum Christianum conuertet eas ad fraternitatem, prudentiam, & charitatem. Quod autem possibile sit hoc, demonstratum est alibi. Et quòd illo forsan in tempore Prophetæ promittunt Mundo Remp. stabilem, fælicem, sine bello, & fame, & peste, & hæresi: ac sæculum aureum; in quo sanè (sicuti optantes rogamus in oratione Christiana) fiet voluntas Dei in Terra, sicut in Cælo. Hoc autem ominor futurum mox post Antichristi casum, & Sectariorum, iuxta doctrinam Sanctorum: & quòd post multum temporis surgent Gog, & Magog, occasionem victoriæ Sanctis adducentes; & deinde hoc Regnum, euacuatis Principatibus, & Potestatibus, in Cælum transferetur. de quo alibi.

In lib. de Monarchia Christianorũ, & in 2. de scripto de Monarchia Messiæ, & in Ciuitate Solis.

Igitur cùm hæc sit sola lex, quæ naturam efficit innocentem (quod nec Machiauellus inficiari potest, licet ei videatur impossib.) consequenter verum est, quòd si vniuersa non obseruatur tamen vbi plus obseruatur, plus acceditur ad bonitatem in cunctis Nationibus. Peruenietur, vbi tota obseruabitur. Hoc autem erit, quando in omnibus, & per omnia confidemus in Deum, & sperabimus in Deum, plusquam in nostra prudentia, & honoribus,

In Artic. Prophet. alibus.

& diuitiis: & vnanimes erimus cum eo, superantes eos, qui irrationaliter ita se habent cum amasia, quod absque ipsa non possunt cogitare, sperare, aut operari. Quòd si tantum potest naturaliter amor fœminæ, turpe est, quòd multò non efficiat in nobis plus amor agniti Dei.

Propterea que lex Christiana fundatur super Fide, Spe, & Charitate, Virtutibus diuinis, altissimis, vt Metaphysicè ostendimus: Leges verò Philosophicæ, quantumlibet rationi conformes, super virtutibus humanis inferioribus, quæ non ligant nos valdè cum Deo, sed cum rebus à nobis tractabilibus; sicuti Prudentia Iustitia, Temperantia, & Fortitudo; super quibus Plato suas fundat leges. Profectò humanæ leges fundamentum non respiciunt, sed fastigium; idcircò citò ruunt. Nam videntur etiam Deum colere propter bona mundana, vnde non tam nobiles efficiunt animos, sed relinquunt timidos, auaros, & fraudulentos, & anxios. Omnis lex philosophica fúdatur in virtutibus naturalibus & in riuis: Christiana in supernaturalibus, & in fonte. Plat. in Dial. 1. de legibus.

Neque Christus prohibuit hominibus cunctis arare, serere, & curam familias habere; neque consuluit, vt omnes venderent quæ habent, & se se castrarent propter regnum Cælorum, & oculum scandali occasione eiicerent: Sed Prædicatoribus suæ legis proposuit omnia abiicere, vt aliud non curarent, nisi Verbum Dei, quoniam cibus, & vestitus simplex sufficit illis; quem ab iis, quibus prædicabant, sumere poterant: quoniam, *Dignus est*, ait, *operarius cibo suo*. Cætera verò dixit alijs hominibus curæ esse. Et anxietatem, quæ fiduciam in Deo frangit, non autem rationalem curam prohibet. Iterum respondetur cap. 7. & 8, 9. & 10. Matth. 10.

Castrari verò non dixit secundum literam; sed vt continentes sint sponte, sicut castrati coactè. Ad 9.

Vendere omnia, & dare pauperibus, his maximè consuluit, qui ipsum in prædicationem verbi sequi volebant: non tamen propterea despexit Lazarum, & Martham, & alios, qui ministrabant ei de facultatibus suis. Ad 8.

Oculum eiicere non præcepit literaliter; sed scandalum, quod per oculum intrat, & fenestram scandali: hoc est, vt auertas oculos à rebus, quæ scandalum afferunt: quandoquidem præstat oculis carere, quam peccare. Stultitiam hanc Mahometanis, Christi verba non capientibus, relinquamus; qui se, viso sepulchro pseudo prophetæ, cœcant, ne quid amplius videre dignati. Christus ergo nos à terrenis abstrahit: & eis docet vti, non frui: & possidere, & non possideri. Ad 10.

XII. Præterea leges Nationum positiuæ, etiam quæ iustæ sunt, quotidie nouis indigent legibus, pragmaticis, glossis, additionibus, subtractionibus, quoniam non sunt scriptæ in cordibus sed in carthis; & quomodolibet ab vno quoque torqueri possunt: nec conuenire possunt in vno spiritu cuncti ob varietatem ani- Multiplicitas legũ vnde.

morum, & affectuum, & finium. Sed Lex Christi, cum sit ipsamet rationis naturalis eminentissima Regula, eius spiritu perfecta, viuificataque, eleuataque, stat in animis. Et quando omnes secundum illam benè reuiuificati fuerimus, non indigebimus tot nouis legibus ampliùs. Rectè dixit Chrysostomus. *Gratia spiritus sancti pro scriptura nobis vtendum erat: sed quia gratiam excussimus, libris indigemus.* Ergo asserendum videtur, hanc à ratione, & spiritu gratiæ elongationem, introduxisse in Christianismum tot scriptas leges; sicut defectus mutui amoris introduxit Tribunalia, & iuramentum, & diuisionem bonorum. Et verè communis iniquitas ad diuisionem bonorum coegit Gentes, teste S. Clemente.

In Matt. prologo.

Grat. cap. dilectissimis.

Iustus sibi ipsi est lex, vt omnes Philosophi dicunt: sic & Paulus Apost. Ergo propter iniustos fiunt pragmaticæ, sanctiones, & nondum finis. Veluti enim charitas absque vlla alia lege communi sufficit mutuo regimini, ac vitæ vt patet in familia bonorum, sic deficiente charitate, non sufficiunt innumeræ leges, ac semper adaugentur cum de decore, ac detrimento nostronimis. At si ista tantummodo obseruaretur, *Dilige Deum ex toto &c. & proximum tuum sicut te ipsum*, sufficientissima foret. Superaddita vna glossula Christi nitrifica: *Quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* In qua explicatur lex, & ratio legis totius simul, & omnis. Respublica verò Christi ad idæam familiæ instituta est, vbi omnes fratres sumas, & maioribus tanquam patribus obedimus. Ad idæam quoque corporis humani depingitur à S. Paulo, & ordinatur sapientissimè in vnitate spiritus, & multiplicatione membrorum, compatientium, congaudentium, & subitò ad nutum sigillatim operantium: quod omnibus simul vtile est absque schismate. Huiusmodi Reipub. verè competunt laudes, quas Plato suæ consimiliter fictæ tribuit, atque Telesius instar corporis animati, vt S. Chrys. & S. Clemens Rom. admonent. & quam Thales instar familiæ instituit: vndique enim veritas habet testimonium.

Deut. 9. & Luc. 10. Math. 7.

juxta illud Mar. 14. *Fidelis seruus, & p. a. c. d. per familiam*

1. Cor. 12.

XIII. At recentiores quidam præstigiosa Aristotelis cupidine ducti, condemnant communitatem, tanquam impossibilem: & diuisionem adeò obstinatè tuentur, quòd hæresim esse putant ipsam negare; propterea quod S. August. hæreticorum in numero eos ponit, qui communitatem tuebantur, & Conc. Const. damnauit Ioannem Hus, asserentem, clericos non posse proprium quid possidere.

Resp. Christi in cõmunitate.

Argumenta Aristotelicorum contra Remp. Christi à nostris confirmata imprudenter. Arg. 1. ex S. Aug. & Concil. Constant.

Ego è contra communitatem difficilem esse prædico solum ex defectu charitatis. At charitatem augeri magis in communione quam in diuisione, & ita sentit August dicens *Amputationem proprietatis augmentum esse charitatis.* Et hoc experimus

Resp. ad argumentum.

in Religionibus, vbi qui proprietarij sunt Monachi possidentes pecuniam, ad Episcopatus, & Prælaturas adspirant, & Religionem prosternunt. Qui verò non possident proprium, Religionem tuentur, & fratres suos. Et ratio naturalis hoc docet, & exemplum corporis, & familiæ, vbi membrum vnum plusquam conuenit nutrimenti, aut vestimenti capiens, vel ocians, infirmatur; & cæteris languorem affert. Et filij familias potiores partes quærentes, familiam destruunt, & fratres oderunt, & S. Clemens idem approbat, & Chrysostomus, Basilius, & Ambrosius, qui dicunt, *Meum, & Tuum esse verba mendacij*; omnia enim secundum naturam sunt Dei Patris nostri, nec diuisit ea filiis, sed in communi seruanda, & possidenda reliquit, & sic fuit ab initio etiam post Adam; sed deinde *ius Gentium* (ait S. Clem.) *propter iniquitatem introduxit bonorum diuisionem*. Ergo S. August. *non damnat eos*. (respondit D. Thom. 3. cont. Gent. cap. 122. *qui se dicebant Apostolicos propter communitatem bonorum* (*hoc enim hæreticum est assistere*) sed *quoniam se ab Ecclesia separantes nullam spem salutis putant habere eos, qui vtuntur iis rebus, quibus ipsi carent*: Vel (adde) propter communitatem mulierum. Quas, Gratiano teste, etiam S. Clemens, ex præcepto Petri Apostoli declarat debere esse communes, *proculdubio* (inquiens) *etiam. coniuges*. Quod tamen Glossa intelligit, quoad obsequium, non autem quoad thorum. Sic etiam scribit Tertull. Christianis priscis omnia fuisse communia, exceptis mulieribus: quæ tamen in officiis communes erant, non autem in coitu, nisi apud hæreticos Nicolaitas. 12. q. 1. Arg. 1. Arist. soluitur.

Argumentum Arist. directè S. Aug. contrariatur, dum ait quod in communitate deficeret charitas sicuti parum mellis in amphora aquæ. Hoc autem falsum est: nam potius augetur: at veritatem haberet in amore partiali, & proprio, in quo fundat Macchiauellus suam Remp. cum Aristotele, non autem de charitate, & naturali, quam Capreolus forsan vocat informem, & secundum quam nouit Plato, *neminem sibi soli natum esse; sed ortus nostri partem sibi Patriam vendicare: partem parentes, partem amicos*, & Lucanus ait, Professionem Stoicorum rationalium fuisse, loquens de Catone. *Non sibi, sed toti natum se credere Mundo*. Et in Rep. Rom. id ex parte videmus. Epist. ad Archis.

Ergo magnanimorum, & confidentium, sibi, & aliis posse se sufficere, est communitas. Ignauorum verò, & huius Mundi curis nimis dicatorum, tantopere diuisionem affectare. Quapropter dicipiuntur qui putant esse contra natu. am; magis autem docentes esse hæresim ipsam communitatem. Quin è contra ipse affirmo, hæresim esse secundum nomen, & secundum rem ipsius hæresis, negare communitatis perfectionem maiorem. Et id D. Thom. docet in 3. contra Gent. c. 117. nobiscum. Si præterea esset hæresis. Apostolo- Communitatis maiorem esse perfectionem.

li quoque hæretici fuissent; qui ipsam obseruarunt, & innumeræ familiæ Monachorum, & fratrum, & Clerus antiquus; quandoquidem diuisio in Clero cæpit tempore Simplicij Papæ potius per permissionem, quam per legem, sicut etiam S. August. docet, à Gratiano citatus. *Ego malo*, dicens, *Clerum habere claudum, cæcum, aut manibus truncum, quam mortuum.* Appellat enim claudos, & mancos, Clericos proprietarios, in via Christi: Mortuos verò hippocrytas, qui fingebãt se viuere in communitate, & occultè vsurpabant, & surripiebant communicatis opes, vt nunc multi rapaces, & avari, qui propterea mortui sunt, quia fingunt se esse id, quod non sunt; Ergo non sunt quod sunt: Propterea ergo August. permisit in remedium diuisionem in Clero suo, vt amplè declarat. Vtique ergo hæresis esset affirmare, quòd Pontifices summi non habuerint potestatem concedendi diuisionem, ac proprietatem non hæreditariam, ipsi enim hoc rationabiliter fecerunt imperfectionibus condescendendo. Nec mirum est Pontifices minora etiam bona permittere, cũ Legislatores aliquando permittunt mala, sicut Moyses vsuras cum extraneis permisit, & libellum repudij, quæ pluris sunt momenti. At nunquam Conc. Const. negauit, neque Pontifex vllus, communitatem, quam Religiosi profitentur; sed commendarunt semper, & diuisioni prætulerunt. Illa enim rationabilior, ista medicinalior. Ordines ergo Fratrum viuentium in communi Christus conseruat semper in Ecclesia in memoriam, & fermentum, quo forsan aliquando reliquus Mundus ad id conuertatur. Quo casu verum erit, omnem virum probum dominum esse omnium rerum, vt Gerson, & Richardus sentiunt: qui tamen reprehenduntur recte à Soto iuxta præsentem praxim; non autem absolutè, iuxtà eam, quæ forsan est futura. Et ego sic existimo.

Arg. cætera Arist. contra communitatem soluuntur.

Cæteræ Aristot. rationes contra Rempub. Apostolicam, sunt ex frigida Logica petitæ. Primo, quod videlicet quilibet plus fructuum, quam laborum capesseret. Secundo, & quod mallent omnes fieri Sacerdotes, aut Milites, quam Agricolæ. Tertio, quod tolleretur Temperantia, & Liberalitas: cum nulli adesset proprium, quod daret &c.

Resp. ad 2. de officiorum confusione.

Vbi profectò temerè loquitur, nam magistratus distribuerent labores, ac fructus iuxta meritum, & naturales habilitates; & quilibet ei addiceretur Arti, ad quam aptus natus Rectoribus appareret: Nec quilibet pro arbitratu suo operaretur, vt Arist. putat, garrit, & nugatur. Hoc palàm noscitur in Monasteriis, vbi non quicunque, quod vult officium facit, sed quod melius potest secundum naturam, & studium.

Resp. ad 3. deliberalitatis cessatione.

Liberalitas autem Virtus partialis est, hoc est, germen beneficentiæ, quæ in mutuis officijs & auxilijs corporalibus, & spiritualibus

relucet magis. Porrò qui se totum dat, totámque vitam communitati, is verè liberalis est; (vt respondet S. Anselmus,) non autem qui pecuniam, quæ sua non est, sed res à se extranea, ac fortuita: vt liberalior qui totam semel arborem, quàm qui aliquando fructus aliquos dat.

Resp. ad 4 de temperantiæ perceptione.

Magistratus etiam, Temperantiæ curam gerentes, præficerentur, qui ordinarent diuisionem cibariorum, & esculentorum in mensa communi in qualibet æde refectionis, quam cænaculum refectoriúmque vocant, & matrimonia secundum dotes naturales, & non fortunas, copularent. Sed Monasteria ostendunt vanas ratiunculas Aristotelis, vbi maximè temperantia viget, imò etiam Monasteria Gentilium Indorum.

De Reip. Ecclesiasticæ statu optimo post ruinam Antichristi.

Quod autem diuisio minus sublimet naturam, vt S. Clem. & & Patres docent, quam communitas, nemo negare audet. Quoniam verò Ecclesia Christiana est instar sagenæ ex omni genere piscium congreganti, optimorum scilicet & bonorum, atque malorum: & cum bono frumento non solum fructui centesimo, sed & sexagesimo, & trigesimo, & zizaniis, est locus: Verisimiliter potest expectari iuxtà Doctorum sententiam, *vt conuertantur ad Dominum vniuersi fines Terræ*; & tranquillitas, & victoria Sanctorum; prædicato Euangelio in toto Mundo, & sicut Dauid ait, *omnes gentes quascunque fecisti venient, & adorabunt coram te Domine*, vt Tobias 14. exponit, & tunc viuatur sæculum sanctum; transferendum denique in Cælum. Et sub hoc sensu possunt audiri (vt monet S. Hieron.) verba quæ Tertullianus, Lactantius, S. Ireneus, S. Sulpitius, S. Clemens Rom. S. Iustinus, Clem. Alex. Origenes, Apollinaris, Papias, Victorinus, S. Bernardinus, de sæculo hoc dixere; cui & Sybillæ, & Philosophi multi, præcipuè Platonici, & quicunque de optima Rep. scripserunt, & Poetæ, qui de sæculo aureo, concordant, quod forsan Christus restituet; vt omnes fatentur, excluso errore Cheliastarum, & illorum, qui partim erruerunt cum Cherinto, putantes in hac vita futurum esse Paradisum delitiarum: Alij dixere per mille annos Christum visibiliter cum Martyribus resuscitatis regnaturum in Mundo; & Mahomettus posuit Paradisum carnalem Veneris, & Bacchi, hac doctrina non intellecta deceptus. Hoc tamen excluso fabuloso sensu, etiam S. Augustinus dicit, esse possibilem hanc doctrinam millenariorũ, & Hieronymus dicit, se non audere ipsam improbare, nisi quatenus consentit Cherinto in carnalibus. A quo credendum est Lactantium, ad prædictos Sanctos, longè abesse, palam est. Multi Recentiores ipsam mussitando pertransiunt. Ego verò in Prophetalibus ostendi, quòd, licet neque Christus in carne, neque Martyres in resurrectione anticipata, sint regnaturi (vt & ego arbitror) tamen conueniens est asserere, Ecclesiam non gemmatam, & auream ma-

Psal.

Hier. in Ezech.

Excluso manifesto errore Cheliastarum.

XX. de Ciuit. Dei cap. 7.

Hier. lib. 4. in Ierem.

terialiter, vt Talmutistæ garriunt, quos irridet Hieronymus, sed virtutibus gemmatam, & Regno super omnes fines terræ decoratam, in tranquillitate innocentiæ diù victuram, post Antichristi casum; in quo errores Priscorum vitaui; non quòd supereſt doctrinæ, cui Hieron. & Augustinus assentit, si spiritualia bona in ea fuerint: quod docent prędicti Martyres, & Doctores Illustrissimi, & Apostolorum Discipuli. Et profectò qui penitius Scripturas introspicit, & conuenientiam ex parte Dei, & hominum cunctorum desiderium, & omnium Nationum applausum, hanc intelligentiam non contemnet. Et Don Serafinus Firmanus Doctissimos sequutus. idem expectat. Et S. Catharina Senensis renouationem Ecclesiæ à Christo didicit affuturam in epist. quam Archiepiscopus Ambros. Catarinus exponit, & S. Brigida, & Dionysius Carthusianus, & Ioacninus, & Poëtæ nostrates, & Grammatici, & plebiculæ cum eis, expectant, vt fiat vnum ouile, & vnus Pastor, in gloria, & tranquillitate magna. Idcircò etiam fortè oramus, vt Regnum Dei adueniat, vbi fiat voluntas Dei in Terra etiam, sicut fit in Cœlo, & hoc etiam continebat oratio, quam docuit Christus.

In Monarchia Messiæ, & Ciuitate Solis.

Hinc resoluuntur omnia argumenta Macchiauellismi, qui ex Reipublicæ humanæ instabilitate negant Dei prouidentiam. Quod autem possibilis sit Respub. hæc, quam petant impossibilem, alibi declaraui.

Altera solutio.

XIV. Sed licet hoc futurum non esset, haud tamen propterea tollitur veritas, quòd Christi Resp. in statu innocentiæ de facto fuerit iuxtà omnes Sanctos, & Philosophos, & Poëtas: & quòd nunc minimè sit contra naturam, sed summopere illam perficiens: & possibilis: & quòd qui plus ipsam obseruat, melius viuat in Terra, & in Cælo. Et quòd talis Monarchia, in Petro fundata, sit omnium perfectissima, cum Senatu Cardd. & Politica tot Archiepiscoporum sub illo, & Episcoporum sub his, & Plebanorum sub his. De quibus in lib. de Monarchia Christianorum loquutus sum luculenter, ostendens Philosophos secundum naturam nusquam potuisse meliorē formare Remp. quam sit Ecclesiastica, etiam præsens. Quòd si Principes laici in omnibus vellent obtemperare Ecclesiasticis, nil melius desiderari posset pro salute communi contra Infideles, & & concordia inter Fideles, & securitate, ne quis inuadat alienum Regnum; neque iura: & tunc sub vno patre Principibus Christianis conuenientibus statim Hæretici, & Mahomettani victi cederent, & totus Mundus subito Christianis subderetur. De his alibi

XV. Et pergunt alij. Munus Legislatoris haud esse, omnia prohibere vitia, omnésque iubere virtutes, sed Philosophorum: qui de vitiis, virtutibusque scribunt; & quæ Christus dixit, non soluere. Quibus respondi, non esse munus Legislatoris humani, sed diuini, & Dei, & Rationis vniuersalis, & primæ, qui maculam in sua

in sua lege non sinit. Philosophos autem omnes nosse id secundum naturam perfectam esse, loqutósque esse tanquam testes, non tanquam Legislatores huius veritatis. Ex quo palam fit, qualiter Christus est ipsa Rationis Ratio viua, à qua omnes Philosophi rationales lumen accipiunt, aut naturale, aut gratuitum. Omnèmque Philosophiam datam esse hominibus, vt Cyrillus docet 1. lib. contra Iul. tanquam Cathechismum ad Fidem Christi idem probat S. Greg. Nyss. in Abram, vt in Greg. Theum. quod per Philosophiam, & Astronomiam Cathechizati sunt ad Fidem. Idem de se fatetur S. Iustinus in Dialogo Triphon; Et quidquid rationabile dixerunt Philosophi, esse à Christo, vt Ratione prima, & ideò nostrum, non ipsorum. Similiter S. August. de Doctr. Christiana. Propterea (dico) Philosophi hanc Rem. agnouerunt. Quamobrem Sapientes omnes posuere inter amicos communitatem. Vnde prouerbium, *Amicorum omnia communia.* Ergo multo magis inter fratres, cuiusmodi Christus in vno amoris, ac Rationis spiritu nos facit omnes.

Id quoque neminem latet, quòd hodie non viuimus secundum Legem Christi tantummodo, sed secundum Ciuiles, à Gentilibus deriuatas, vt Bern. etiam lamentatur in lib. de Consid quoniam nequitia, & fragilitas Diuinam Legem obseruare diffidunt. Lex tamen Christi Tribunalia pro conscientiis instituta habet. Ad quæ vnusquisque recurrit pro pœnitentia culparum suarum, in se ipso voluntariam recipiendo, & exercendo vindictam. Et ô beati nos, si alio non indigeremus tribunali: & vnusquisque in hoc peteret à Sacerdote pœnam suæ culpæ, non expectatis accusatoribus, & testibus, qui ipsum cogant. Et hoc licet sublimius in bonis Christianis impleatur, fuit in omnibus Socratis desiderium. Dicebat enim, sic faciendum esse secundum naturalem rationem? vtque nemo se defenderet, neque per Aduocatos, Oratores, & Glossatores legum, vt Plato refert in Critia, in Protagora, & in Phædone. Nec id modò docuit Socrates, reis faciendum; sed etiam innocentibus, vt videlicet respondentes. quod verum est, nil amplius sese defendant, aut excusent. At si quis iniuste condemnetur, humiliter subeat pœnam, speréque à Deo post mortem retributionem. Quod autem docuit, fecit etiam Socrates, iniuste damnatus: secutus Christum sibi ignotum in carne, sed cognitũ in vniuersali ratione boni, quæ veraciter solum in illo est. Vnde Sanctus Iustinus in Apolog 1. facit Socratem, hoc titulo Christianum, & in Apolog. 2. ait Dæmones impulisse Græcos ad occidendum Socratem, quia negabat Deos falsos, cum esset veri Dei cultor, à Christo instinctus ad prædicandum contra falsos Deos; & sic de cæteris Philosophis, si aliqui veritatem ex toto corde quæsierunt, pronunciat: & Hieronymus, & alij

Patres conteſtantur. Nunquam enim Chriſtus defuit ante Incarnationem, nec deeſt vlli homini in his, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, niſi ſint rebelles luminum, vt etiam probat Sanctus Thomas 12. quæſt. 98. & 2. 2. quæſt. 124. & 2. ſen. diſt. 25. 2. Vniuerſa ergo Chriſti lex minimè impoſſibilis, & maximè ſecundum naturam comperitur, quam perficit, & exaltat. Cui & boni Stoici, & Socratici, & Pythagorici, quin etiam Platonici, & omnes veri Philoſophi ita conſenſere, vt Doctiſſimis Patribus videantur propemodum Chriſtiani: non autem Peripatetici, & Epicuræi, quoniam verè Philoſophi non ſunt, in quo rationem Dei, Philoſophiæ auctorem, negant.

Nunc iudicet qui penitiora ſapientiæ ſtudioſè introſpicit, vtris credendum ſit, Hoc autem non faciat Macchiauellus, qui nullas ſcientias percurrit, niſi hiſtoriam humanam nudam, ratione communi non examinatam, ſed ſub amoris proprij curta conſideratam ratione.

XVIII. Præterea nemo neget, quòd quicunque hanc Chriſti legem obſeruat, *Quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis*, non ſit vir omnibus vtilis, bonus, rationalis, honore dignus, & quod lex hæc faciat hominem ſibi, & Reipubl. vtilem, ac bonum. Videtur etiam bona, ac magnanima magis, magiſque hæroica, quam illa naturalis cunctis Gentibus. *Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris*, Hæc enim eſt lex iuſtitiæ, illa vero magninimitatis, & beneficentiæ: quæ Mundum vincit diuinis modis. Parum enim eſt non malefacere: heroicum autem eſt etiam benefacere. Vnde Dauid. *declina* (ait) *à malo: & fac bonum.* Rectè cognouit Teleſius quanto iure beneficentia diuinior eſt, quàm iuſtitia; ſed à Peripateticis neque inter virtutes numeratur. Senecas doceat eos in ſeptem, quos ſcripſit libris de Benefic:s

DE CÆREMONIALIBVS.

QVoniam verò exaltero capite plurimi ſcandalizantur in Chriſto, impiè eloquentes, quòd Chriſtus.

Argum. 1. contra ceremonialia Chriſti præcepta.

I. Non modò legem auſteriorem ferè, quàm Stoica, tulerit, omnia prohibendo vitia (quæ quidem dulciſſima eſt viuentibus ſecundum naturam.)

Argumentum 2.

II. Sed inſuper præceptis moralibus addidiſſe, aiunt, cæremonialia, quæ nihil cum natura commune habent: ſed ſuperflua videtur.

Argumentum 3.

III. Præterea immanis apparet impietas, eos, qui Sacramentis cæremonialibus carent, prodamnatis ad pœnas æternas habere; ſic enim totus ferè Mundus ad infernum damnatur; & illi, qui

secundum virtutem vixerunt; quod intolrabile, Deóque indignum videtur. Vnde abominantur, quod scriptum est tam absolutè *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non &c,*

Quibus durè examinatis, dixi. Christus non dedit Sacramenta ad coarctandam viam salutis, sed potius ad illam dilatandam: nempè in auxilium, quo possimus legem naturalem, & Euangelicam obseruare, & ad supernaturalia eleuari communicando nobis per illa auxilium, gratiamque suam; quæ tamen nulli viuenti secundùm virtutem, vllo in loco, & tempore deest. Non enim his est ita ligata organis materialibus, vt cùm desunt elementa necessariorum Sacramentorum, per infusum votum, & desiderium ipse non suppleat nisi *quis desit*, vt dicit Apostolus *Gratiæ Dei: aut in vacuum recipiat, quæ stat ad ostium, & pulsat, & illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum.* Hæc autem doctrina secundùm naturam incedit; nec à Macchiauellista negari potest. Confessi enim vtrique sumus, legibus humanis haud omnia vitia prohiberi, eo quòd maior hominum pars impefecti sumus. nec ad tantam reduci possumus rationalitatem. Ipsi quoque, qui summè rationales esse volunt, sæpè delinquunt. Igitur conueniebat Christo, cùm sit Deus, non modò legem ferre secundum rectam naturam, eius regulam primordialem: sed etiam supernaturalem dare: facultatemque præbere, qua possimus etiam legem seruare, remediáque de'endi peccata, quæ quotidie committuntur. Id nimirum est supernaturale auxilium, quod Sacramenta instrumentaliter conferunt. Quod si tu hoc auxilium inficiaris, propterea quod tuus fictus animus, vel incredulus, in causa est, quominus illud in te sentias, neque recipias, & pars maior hominum ferè ab eius perceptione excluditur; nihilominus longe secus experimur in verè piis, ac bene credentibus; qui Sacramentorum perceptione colliquari dulciter animum persentiunt, & robur acquirunt, & quidam in extasim rapiuntur. Huiusmodi autem homines semper in Christianismo quolibet tempore extiterunt, & nunc extant. Et ego vidi quosdam: & hoc inficiari, est proteruè procuratæ ignorantiæ.

Responsio. Idem dicit D Tho. 3. contra Gentiles c. 117.

Heb. 12. 2. Cor. 6. Apoc. 3. 1. Io. 1.

III. Præterea quanquam natura haud iubet Sacramenta supernaturalia, quæ vocantur sacræ rei signa, tamen neque prohibet (imò omnis res naturalis est signum latentis diuinitatis, ait Sanctus Augustinus.) Nec sunt talia, quæ cunctis nequeant conuenire Nationibus, & personis singulis; cuiusmodi fuit Circumcisio solummodo masculis, & difficile. Atque abstinentia à carne Suilla, aliisque cibis, qui regionibus plurimis vtiles sunt; & tot lauacrorum vsus, quæ solummodo aliquo in tempore & personæ prosunt; & sacrificia animalium, quæ solis diuitibus sunt pos-

Apud S. Thom. dicitur etiam naturale quod natura non prohiber. Quo sensu Sacramenta dicuntur naturalia.

sibilia. Ex quo patet, præcepta Christiana cæremonialia omnibus esse facilia, & vbique & semper (vbi enim impossibilitas accedit, excusat à peccato) dignaque esse legis latione diuina vniuersali; nec naturæ contradicentia, sed auxiliantia.

IV. Quin etiam inuenio Sacramenta esse constituta in rebus, quarum natura symbolum, & congruentiam habet cum effectibus, ad quos diuinitus assumuntur; & propterea sunt inuisibilis gratiæ visibilia signa, vt ex visibilibus ad inuisibilia assurgamus, inquit Sanctus Dionysius. Etenim naturalis mos obtinuit, vt quando quis nouam militiam, aut gymnasium ingreditur, soleat accipere, signum aliquod, & priscis renunciare negotiis, & vitæ; & fidem suam Principi, aut Præceptori obligare. Hoc autem fit in baptismate, & quicunque supernaturaliter admotus voluntatem habet illud suscipiendi, si suscipere nequit in facto, saluatur in Christo, quoniam vt dixi, Sacramentum non coarctat, sed dilatat viam salutis, vt Diuus Bernardus epist. 77. docet. Non enim materialia signa dant gratiam de se, vt corporalis medicina, sed verè ex instituto Dei; qui vbique adest quærentibus, & inuocantibus, eum in veritate.

Responsio pro Baptismo.

Igitur omnes Mundi homines quando proponunt animo viuere secundum diuinam sapientiam, quamuis ignorent in particulari esse incarnatam, si ex toto corde Dei iussionibus, etiam sibi ignotis, obedire proponunt, tunc Deus, qui per gratiam ad hoc propositum eos eleuat (siquidem non iubet impossibilia, nec in legæ naturæ, nec in lege gratiæ, sicut iniusti Principes, sed *iustè instat præcepto*, ait Sanctus Leo, *quia præuenit auxilio*) tunc vel docebit per se, vel per Angelos, vel magistros visibiliter de diuinis mysteriis; vt habeantur pro baptizatis in voto, arcano infuso: quoniam quicquid Deus iuberet parati sunt ex voluntate facere, sicut qui sciunt explicitè præceptum incarnati Verbi, & noti, & ignoti, sanantis gratiâ naturam: & illa pœnitudo (per secretam gratiam nulli deficientem) veteris vitæ, & propositum nouæ, est lauacrum peccatorum interius; & hoc dico esse Baptismа, quod fit per aquam exteriorem in corpore, symbolum illius, quod fit in anima interius per aquam spiritalem. Quas ob res non decet (ait Sanctus Bernar.) omnes in aqua non baptizatos de facto, propter defectum baptismi condemnare, nisi eos, quibus in promptu fuit baptisma: persuasúmque est rationibus, aut miraculis sufficientibus, id esse à Deo præceptum. Nemo enim ad illam obligatur legem, quæ sibi promulgata non est: dicente Apostolo, *Quomodo credent ei, quem non audierunt?* Aut si promulgata est, non ostendit iam promulgator diploma, & sigillum Regis, qui misit illum ad legem promulgandam. Igitur quamdiù sibi sic non proponitur, is manebit

Ser. 10. de Pass.

In epist. ad Hug.

à pœna non accepti baptismi tutus, legé naturalem seruando: & si iuxtà præcepta Dei, supernaturali gratia indeficiēti præmunitū supponat se affectus, effectúsque suos primę Causæ, saluabitur ad regnū.

De pueris autem non baptizatis cuiuscumque nationis, iam certus sum per reuelationes S. Brigidæ, & authoritatem S. Bernardi, & Patrum, & Scholasticorum, quòd damnati nequaquam sint ad pœnam aliquam cruciantem. Et quamquam non sint Beati, manent tamen in locis naturalium bonorum, qui ipsis etiam, quamuis ex negato Paradiso miserrimis, pro delicijs sufficiunt, quoniam Christo conformes in naturalibus: non autem bonorum supernaturalium, sicut illi, qui Sacramentum susceperunt. Vnde S. Bonauentura in 2. dist. 33 quæst. 3. nec de carentia diuinæ visionis eos cruciari putat: quoniam non se ad tantam gloriam idoneos sciunt per naturam, quam tamen perfectam habent ab instauratore naturæ, & hoc satis illis: sicut nec rusticus cruciatur, si non fit Rex, quoniam ad hoc se non natum intelligit. D. Thomas in q. disp. de pœn. pecc. orig. q. 3. & in 2. sent. dist 33. q. 2. art. 1. & 2. in arg. sed contra, & in resp. ad 5. & *conformem eorum pueorum diuinæ iustitiæ, & non inordinatam inesse voluntatem, & rationem* contendit: *at scire se non esse proportionatos ad vitam æternam ex naturalibus, propterea non dolere de priuatione visionis Dei.* Imò, ait in resp. ad 5. *licet sint separati, à Deo per coniunctionem quoad gloriam non tamen ab eo sunt separati, imò sibi coniunguntur per participationem naturalium bonorum, & inde ipso gaudere poterunt naturali cognitione, & dilectione.* Idem fusius in corp. eiusdem art. 2. *Nihil dolebunt* (ait) *de carentia visionis diuinæ, imò participabunt multum de diuina bonitate, & perfectionibus naturalibus.* Idem Fer. in 4. cont. Gent. c. 90. Catharinus, Viguerius, & Durandus in 4. d. 44. q. 9. & meliores Scolastici, naturalibus bonis eos contentos fore decetnunt. Idem Greg. Nazian. orat. in lauacr. Greg. Nyss. in lib. de præmaturè arreptis, pollicetur ex eo quod sunt ipsi etiam sub prouidentia Redemptoris, bona naturalia infantibus. Similiter S. Iustinus q. 13. & 65. ad Orthod. & Richard. in 4. d. 50. q. vlt. & Scotus ibidem: &, quia secundum S. Thom. ibidem, habent voluntatem nil obuiantem diuinæ iustitiæ, & rationem rectam: & in 4. d. 43. q. 1. præsertim in Resp. ad 5. & 5. docet omnes homines resurgere, & non baptizatos, propter conformitatem cum Christo in naturalibus, ergo gaudebunt de diuinis naturaliter cognitis saltem post iudicium. S. Aug. vel hoc sentit, vel rigidius locutus est, vt longius à Pelagianis discederet.

Ergo patet, in Baptismo renasci hominem in Christo supernaturaliter, & nihil contrarium naturæ reperiri, nec gratiæ arctationem, qua nascimur supernaturaliter in schola Christi. Et vt D. Tho. ait in 3. p. & in 4. d. 34. q. 1. ad 5. Natiuitas Christi facit nos consimi-

les sibi in naturalibus: passio autem, cui per sacramenta incorporamur, supernaturaliter.

Responsio pro sancto Chrismate.

V. Porrò cum itur ad prælium, naturale est militibus aliquo se corroborare symbolo. Itaque milites prisci, præsertim Lacedæmones ad Marathonam pectebant se, & oleo vngebant. Nihil ergo naturæ dissentiens, si iisdem significationibus vtens inungit Christus nos milites interiori oleo lætitiæ Chrismatis sensibilis Elemento ad pugnam. Vnde militia Christiana testimonium suæ credibilitatis & conuenientiæ habet in Sacramento Chrismatis rationabile.

Responsio pro Matrimonio.

VI. Matrimonii contractum naturalem esse nemo neget: quem Deus congruenter ad supernaturalem rationem sacramenti eleuauit; tum ob necessitatem vitandi peccatum in illo sæpe implicabile: tum ad multiplicandum fœliciter Deo populum absque carnis vehementi conturbatione, vt dicitur in Ciuitate Solis.

Respõsio pro sacris Ordinibus.

VII. Initiari Sacris per cæremonias, omnibus fuit naturale Nationibus, & Græcis, & Romanis, & Iudæis ipsis, quibus Sacerdotium carnali successione propagatur: ergo cùm per Sacramentum Ordinis initiat suos Christus, non destruit politicam, sed perficit, augetque, decoratque.

Profectò, qui in Sapientia, quam veteres vocant Magiam naturalem, periti sunt, rectè norunt, quantum ista conferant symbola; saltem ad excitandam fidem, & opinionem hominum, & animandos ad nouitatem cogitationum, & operationum, sicut docet S. Tho. 3. cont. Gen. & Dionys. de Eccles. hast. Hier. vtque reuerẽdi fiãt populo; cui necessaria est Rectorum venerabilitas: quo alacrius, & syncerius legem obseruet. Vnde non est mirum, si Christus nostræ naturæ author & cognitor, per ea quæ sunt nobis familiaria, nos ad suorum donorum promouere participationem constituit.

Responsio pro Extrema, Vnctione.

VIII. Sic & in Extrema Vnctione, etiam præter gratiæ, quæ per illam confertur, donum, vnde morientibus consolatio adsit, & fiducia ad conualescendum, aut moriendum alacriter in spe alterius vitæ, vtilis esset omnibus etiam secundum naturam. Siquidem Socrates cohortatur, & commendat animam morientis, in Antiocho. Quin

Pato in Antiocho.

sæpe (ait Auicen.) *confidentia de bono Medico sanat ægrotum.* Magis autem, quæ in Sacerdote Medico fundatur, ait Gal. in lib. de Morb. vulg. Ergò rectè loqueretur S. Iacobus etiam extra gratiam in puris naturalibus: quanto magis accedente Dei gratia? *Vngat*, inquiens, *Presbiter cum oleo, & oratio fidei alleuiabit infirmum &c.* Ego quoque in lib. 4. de sen. rer. scripsi sapientiam Christi diuinam, & Moysis habere certum in Gentilibus quoque testimonium, licet ipsi magiam appellauerint, quę in natura est sapientia, & in gratia, Dei instrumentum.

IX. Sacramentum Eucharistiæ præter fidem supernaturalem, qua creditur realiter ibi inesse Christus, quatenus signum, & memoria illius est, quod illi homines vnit, videtur quoque secundum naturam incedere, quoniam nos coniungit omnes in eadem mensa in mutuum amorem in Christo; eiusque meminisse monet, & obseruare, quæ docuit.

Resp. pro Eucharistia.

Item secundum naturalem rationem conciliandi amicitias, huiusmodi commemorationes & cæremoniæ homines imbui afficique eo, cuius gratia in eis sese exercent, mirificè efficiunt. Reuerentiæ quoque, nudationes capitis, salutationes, continuæ consuetudines, & simul comedere, amicitiam conciliant, & in mente plantant imaginem amici: Vnde ad cogitandum de illo, & operandum; quæ edicit, inclinant magis animum, quàm in contrarium. de quibus alibi. Colligunt, reuocantque animos ab aliis adhoc vnum cogitatum, & consuetudinem. *Consueta autem omnia iucunda*; ait Arist. in Rhet.

Responsio pro Cõfessionis secretæ Sacramento.

X. De confessionis secretæ Sacramento superius dictum est, quod congruè vtatur natura hominis, cuius est pœnitere peccatorum. Quin pœna, quæ naturaliter sequitur peccata, nos admonet. Podagra enim nos reprehendit vitio crapulæ: anxietas, auaritiæ: erubescentia, ignauiæ: rixa, & vulnus, iniuriæ illatæ: inflatio intestinorum, otii, &c. Plurimi etiam extra Legem Christi, cùm patrant crimen, se ipsos percutiunt, & cum perperam obloquuntur linguam sibi mordent in pœnam; seque ipsos obiurgant, & puniunt peccantes multi, nolentes etiam sumere cibum; vt M. Alexander, quando iniustè occidit socios. Socrates autem intellexit hanc voluntariam punitionem esse veram, & rationalem animis dignam Philosophorum. Insuper consuetum est errantibus, confidere secretum amico sapientiori: dicendo, Incidi in talem culpam; dic mihi quomodo cauendum est ab imminentibus per eam malis; & consilium petere. Sic igitur Sacerdos præter quam quod diuina potestate sibi tradita te absoluit; vt caueas ab erroribus: dat tibi pœnitentiam, in memoriam, & satisfactionem diuinæ iustitiæ, iubet satisfacere parti offensæ per tuam culpam, purgat animum, illuminatque ad melius viuendum. Efficitque te membrum vtile, qui prius noxium eras tibi, & Reip.

Necessitas Sacramenti Pœnitentiæ in Repub.

Verum quicunque hoc irrident vtilissimum Sacramentum, considerent, quomodo amici, & serui eorum insidiantur eis, & furantur, & nocent absque tali Sacramento; & Angli de hoc valde conqueruntur, postquam hoc Sacramentum expulerunt.

Profectò exterior iustitia peccata tantum publica de Repub. pellit, & illorum modò, qui legibus coerceri possunt: sed occultis, & Procerum, Potentiumque peccatis, obuiam iri non potest, nisi

per hoc diuinum Sacramentum; quod conſcientiæ examen, & rationem petit. Si igitur bonum eſt iam congruens naturæ noſtræ, qui illum contemnit, naturam contemnit, & Deum Auctorem eius. Equidem non inuenio legem vtiliorem hac de Confeſſione inter Chriſtianos, niſi ea abuterentur peruerſi, & parum crederetur ab aliquibus.

XI. Ergo iam perſpicuè nouimus naturali etiam examine in præceptis moralibus, ac ceremonialibus Chriſtianæ legis nihil eſſe niſi ſuauitatem, veritatem, certitudinem, innocentiam, amorem, rationem, totamque fælicitatem in hoc Sæculo, & in futuro, vt etiam Simoni Mago apud S. Clement. reſpondit Simon Petrus.

Examen aliarum legum collatarum ad Chriſtianam in moralibus, & ceremonialibus.

I. COnſpiciens autem ſub eodem examine leges aliarum Nationum, inueni eas prolixas, ex parte irrationales, partim impias, maculatas iniuſtitia, latas ad Tyranni vtilitatem, vel potentum, vel plebis licentioſæ, permittentes vitia plurima, & remediis ſolidis vacuas, habentes pro fundamento præſentem fœlicitatem. Quod ſanè non corrigit, niſi publica crimina, & exteriora. Et pro regula habentes iuſtitiam exteriorem, quæ in commutationibus, & diſtributionibus, & vindictis exercetur. Ideoque peccata tantum contra Reſpub. dominium, & contra Proximum, teſtibus tantum comprobata, punit; atque ſcopum ipſarum eſſe facere homines ciues bonos, non autem homines bonos, vt fatetur Ariſt. & tollere mala, non autem radices malorum. Nec enim habent pro fine Deum.

Leges gentium nec totam iuſtitiam humanã, nec diuinam amplecti rationem, nec politicæ finem, nec ſcelera niſi exteriora, nec omnia hæc tollere.

II. De antiquis legibus Romanis, & Græcis, & Aegyptiis, & Babylonicis, & Medis, & Perſis, exempla adducere ſuperfluum eſt, quippe cum ipſorum hiſtoriæ id teſtantur, & Philoſophi, ac Poetæ ipſorum, eas prænotatis culpent criminibus. Et quidem non hominibus modo, ſed etiam Diis licita faciebant enormia ſcelera, & canebant ea, vt ſales, & lepores politię.

III. Romana quidem, quæ præ cęteris, quoad mortalitatem laudatur in lib. 2. Maccab. pro ſuo ſcopo, & fundamento gloriam habebat, teſte Saluſtio; cuius acquirendæ gratia multa declinabant vitia, cæteris communia Nationibus. Id nihilominus cupiditatem vincendi quacunque via ingenerabat; efficiebatque, vt bellum, quod nimirum inter homines pro medicamine inuentum eſt

De Romanorum lege ſub Romulo, & ſequentibus.

cum

cum contra naturam sit aduersus propriam Speciem pugnare, esset scopus ipsorum principalis; vt & Lacedæmonibus fuit, incusatis in hoc à Platone, & Aristotele duriter. Viceruńt quidem armis Romani Mundum : at à patuulis Christianis inermibus mox victi sunt. Erectumque est Romæ Christi tribunal: Romuli verò prostratum, & Numæ; Cæsaris verò subactum, correctum, translatumque. Quod, si Christiana Lex non longè antecelleret illam Romanam, nunquam euenisset. At diuina veritas, absque armis vincit magis. Item omnes potentiores Nationes domitæ sunt per Religionem ab impotentioribus, vt Gothi, Hunni, Vandali, Tartari. Gens quidem omnis, omnisque humana res præda est hominum armatorum. At deinde Arma veniunt in potestatem profitentium Sapientiam Religionis, etiam apud Infideles. Quandoquidem videmus Turcas, & Tartaros post victorias ipsorum ingentes, prædam factos esse sacerdotum Mahomettanorum: Quibus colla sponte supposuerunt. Prædictæ præterea leges idolatræ fuerunt, & Prophetas, & Sapientes, & miracula secundum Deum non fecere, & Christianæ succubuere; & succumbent, vt sequentes indicabunt sermones; nec habuere, in quo Christianam expugnarent, ergo.

IV Lex autem Mahometti super gloriam armorum & ipsa fundatur: & quamuis aliquam retineat mortalitatem, facit nihilominus homines crudeles, & ignorantes. Permittit vitia multa vsque ad sodomiam cum extraneis. Ponit atrocem seruitutem libertatis loco. Negat liberum arbitrium, ergo facit hominem bestiam, vel mancipium. Nec Rempnb. fundare quis potest secundum hanc legem, sed Tyrannidem modò absolutam. Ponit Paradisum carnalem fabulosum: & ad relaxandas humanas cupiditates aptissima est. Multitudo vxorum, licet contra naturam subitò ac primò non sit, cum etiam Patriarchis concessa fuerit, parum prolificationi prodest: ponit rixas inter mulieres quas reddit etiam viles, & ancillas, dum vxores quatuor & concubinas concedit innumeras. Obligationes quoque eius ad ceremonias multas, & lauacra crebra, & ciborum delectus, olent superstitionem & impossibilitatem; potiusque spectant ad gentem particularem, & puerilem, quam ad Mundum vniuersum, & ad prouectos in via Dei. Vinum interdicere omnibus, quia inebriatur vnus, aut duo, stultitia est contra salubritatem: & quidem fundat eam super fabula quadam impia; Quia nimirum aliquando Angeli duo à fœmina, cuius concubitum petebant, inebriati sunt. Sic etiam abstinentia ab carne Suilla, vtilis est leprosis modò. Ipse autem fundat eam super fabula, quam ait, Iaphetum suscitatum narrasse coram Christo, & Discipulis eius; videlicet natum fuisse

De Mahometana lege examen in Religione, & politica.

porcum ex ſtercore humano, miſto Elephanti, excrementis, in Arca Noë: Ideoque non eſſe comedendum. Et quotquot præcepta dat, totidem fingit fabulas pro fundamentis, contrarias ſacris Libris, & rationi omnium Mortalium. Et ſingula moralia præcepta, licet bona, maculat tamen his cerebroſis dicteriis. Nec quiſpiam credet profectò facile, quàm impius, ſtultus, ac fabuloſus ſit, niſi prius eius legat librum; quem fingit, ſibi miſſum eſſe à cœlo in plaribus vicibus. Nec quis reperitur tantillum ſapiens, etiam inter Mahometanos, qui illum non irrideat. At violentia, & ignorantia illum defendunt. Hoc vnum laudaui in eis, quòd nobilitas acquiritur, licet acquiſitione nequam. Non peperit hæc lex Prophetas, ac Sanctos, & miracula; Sed tantummodo Medicos, Aſtrologos, & Philoſophos, qui nihil credunt Mahometto, vt inferius memorabimus.

De lege Tartarorum.

V Lex Gangin parum diſtat à Mahometana. Patitur eadem vitia, ac videntur pariter eſſe ſectatiorum inuentiones, ex modico, quod ad noſtram de illis peruenit notitiam.

De lege Americanorum.

VI. Peruini, & Mexicani, quoniam veſcuntur carne humana, vtuntur ſodomia, & moribus impiis, & ſuperſtitioſiſſimis, qualibet polluuntur Idolatria ineptiſſima, & Tyrãnos, vt Deos colunt: Militibus Hiſpanis in prædam dignam, iam de nefandis eiuſmodi vitiis pœnam daturi, deuenerunt.

De Iaponenſium lege.

VII. Iaponenſes ægrè propriæ legi credunt, nihil liberum arbitrium: ſeipſos in mari necant plurimi decepti, ad Deum Amidam tranſmigrare putantes: & quidem plebicula tantum aliam poſt præſentem credit manere vitam. Sunt effrenes in paſſionibus ſuis: Virtutem veram non norunt: commercium habent cum dæmonibus; & ſequentes eos ſe præcipitant de rupi altiſſima: vbi eriam ſeſe in ſtatera ad præcipitium pendente librant, peccata ſua confitentes, in quo vmbram Sacramenti Confeſſionis noſtræ ferunt (quod & in Cuzeo, & Mexico ſeruatur) non penitus à Chriſtianis abhorrent, Diabolo Deum æmulante, vt antiquus Tertullianus, & S. Iuſtinus monuerunt, ne veritas Chriſtiana melior ſua falſitate illis videretur. Non tamen mortalitates, & ceremonias habent, quæ toti queant Mundo conuenire. Et dum amant colorem nigrum etiam in dentibus, ſicut etiam Cataini, indicium prauæ opinionis oſtentant.

VIII. Inter Gentiles videntur Chinenſes à iuſtitia minus recedere; & politicam ſatis habere rationalem. Sed non omnia explodunt vitia per legem. Plures habent Deos; & amicos quiſque ſuos facit Deos; adoratque viuentes: Indicium prauæ religionis: cæremonias habent impias, quoniam Idola ſua maledicunt, & proiiciunt in ignem, & deinde mulcent blanditiis, prout

sortem meliorem, aut peiorem illis significant. Libidini sunt obnoxii. Virgines singulas tribus ducatis emunt: vtunturque ad libidinem. Tandem non reperio in moralibus, multoque minus in cæremonialibus, puritatem, nec possibilitatem conueniendi cunctis Nationibus.

IX. Consideraui & Indos, vbi Bracmani leges ab antiquo retineant; vidi multa bona, sed superstitiones quoque multas: non occidere animalia: maximi facere vaccas, in quas putant migrasse Maiorum animas: Deos lapideos colere, & pyramides: permittere se pediculis vorari. Quidam ex eis abstinent à coitu ad certum tempus, quo tamen expleto deinde miscentur ad libitum quibuscumque obuiis mulieribus, reputantes se iam impeccabiles factos esse propter merita præteritæ vitæ. Idem facere consueuerunt in Africa sanctones Mahomettani; quos Marabutos vocant. De Inderum legè.

X. Tandem omnes percurri Nationes, & leges; vidique eas bonas in quo adhærent legi Rationis primæ; malas autem in quo ab illa recedunt. Dicerem de Tartaris, Georgianis, & de Monopotapa, & de Abissinis, qui Christiani Æthyopes sunt, deque aliis Populis Africanis; sed minimè opus est: quippe cum Macchiauellista nullus eorum ineptiis adularetur. Et in lib. attitulato, quòd Reminiscentur, posteà latius de omnibus scriptum est. Leges meliores, quo rationi primæ propinquiores: deteriores verò, quò distantiores.

XI. Lex Moysi à Deo lata palam videtur, sed pueris, donec crescant, & huiusmodi erant Hæbrei manentes in seruitute Ægyptiorum, rustico, vilique animo iam effecti. Nam sicut carnit Homerus. De Lege Moysis.

Dimidium sanè ingenii Deus abstulit illi:
Qui in miseriam serui fortunam venerit vnquam.

Quapropter oportuit quoque eos docere, quomodo corpus euacuarent, & excrementa tegerent, quod cati faciunt naturaliter: vtque non aspicerent bestias coeuntes, quo eos à libidinosa cogitatione amoueret: vt non caperent matrem simul & natos ex nido auium: nec coquerent hedum in lacte matris suæ: multaque huiusmodi. Profecto in edictis multam ostentat pietatem, & partim naturalem sapientiam, partim significata moralia, & diuina, vt alibi declarauimus. Ideoque non videtur lex hominum liberorum, sed seruorum imperitorum, suppositorum pædagogi disciplinæ.

Cæremoniæ autem in victu, & vestitu, ciborum differentiæ vtiles erant eorum rusticitati, & lepræ, quam naturaliter illa gens patiebatur. Quæ omnia sustulit Christus, qui primum, & solum respexit hominem plenè bonum facere secundum Deum. Qui enim talis est, ipse, sibimet est lex; & per se sciet ea, quæ sibi,

ac proximo prosunt, obseruare. Præuaricantes autem reliquit corrigendos per Pragmaticas, & Bullas humanas, ex lege Naturæ Euangelicâque desumptas à Sapientioribus, in auctoritate constitutis, prout conuenit variis Nationibus, varietas. Vnde Isidorus citatus à Gratiano, inquit; *lex naturalis est, quæ continetur in lege, & Euangelio.* Vtilis erat (etiam politicè loquendo) circumcisio, vt diuideret eos ab aliis populis: & à seditione, & defectione ad alios arceret. Propter hoc enim & mancipia in carne signamus indelebiliter. Sed lex Christi cum toti sit data Mundo, hanc distinctionem, & partialitatem abiicit; retinetque Sacramenta, possibilia masculis, & fœminis, barbaris, & ciuilibus, in vno spiritu conflatis, nobilitatisque simul.

Permisit Moyses vsuras cum exteris: indicium legis partialis, non autem vniuersalis, quæ omnes copulet Gentes in vnum. Diuortium verò quacunque ex causa, pernicioſum est; aliaque huiusmodi, quæ perpetnò durare non possunt, nec omnibus conuenire: sed donec Mundus sub pædago detinendus erat, vtilia erant: at hodierno tempore, & semper, molesta esset nimis. Attamen in moralibus. quòd diuina esset lex, & primæ Rationis regula, liquido constat. Vbi nota Mahometti ignorantiam, quippe enim accipit à Moyse quæ erant permissa, & non iussa; & quæ erant cæremoniæ ad tempus propter corporis salutem; & regioni vni congruebant: non autem quæ ex iure naturæ, cunctisque communia Nationibus, perpetuò subsistere debebant; vnde videtur transcribere quodam catu, & superstitiosè, non autem rectâ ratione, vt Moyses, dictânteque Deo.

Peperit lex Mosaica viros sanctos, & Prophetas mirificos, celebres adhuc nomine per totum Mundum: vnde constat, quòd sit diuina lex, à nemine rationaliter impugnanda. Quoniam verò post Christum charismata amisit, deberent animaduertere Iudæi, Christum fuisse finem illius & quia Christiana non amisit, ex quo prædicauit Mahomettus: non ergo Mahomettus fuit finis Christianismi secundum Deum, sed flagellum. De his inferior disputabit sermo.

Responsio ad Macchiauellum, & Iulianum, de Virute, & Re militari, Gentilismum, præ Prophetis, & Christo, laudantes.

1 AT Macchiauellus obiicit; quòd quamuis Moyses glorietur se habere Deum Ducem, ac Præceptorem in operibus suis, non tamen maiora, & clariora facinora fecit maiusue imperium acquisiuit, quàm Cyrus Persarum Rex, qui totum subiugauit Orientem; gloriámque sibi, suæque Nationi immortalem comparauit. Iulianus verò ignauiæ (vt ait) Christianæ improperat Magnum Alexandrum, & I. Cæsaris præclarè gesta, &c. Argum. 1 Macchiauelli in libro, vbi instituit Principem, contra Moysem.

II. Ego verè rectè hoc examinans, inuenio Macchiauellum esse ignorantissimum omnis politicæ doctrinæ veræ; sed astutiæ tantum seruillis, esse magistrum. Neque enim Cyrus, præter quam quod turpiter occubuit cum Tomiri fœmina committens bellum, in improperium suæ crudelitatis in vtrem, sanguinis plenum, capite ipsius coniecto (licet Xenophon in illius persona Ducem sapientem simulans, secus dicat) fecit quicquam Heroe dignum, si Moysi comparetur. Nam, præter miracula, & victorias mirificas contra Magos Ægypti, & contra proprium Regem, & quod ex populo, seruituti diræ subdito, per portenta, & signa multa, fecit Regnum nobilissimum; & innumeros expulit ex natiuis populos sedibus: dum Cyrus, & alij, in armis tantum naturalibus, liberi populi fundauerunt Regnum: Insuper legem condidit Moses, sic sapienter, quòd totus hodie Mundus post tria millia annorum credit à Deo manasse. Hæbræi enim, & Christiani, & Mahomettani, Turcæ, Mauri, Persæ, Arabes, Tartari, &c. sic credunt; & à cunctis colitur Moyses, tanquam Discipulus, & Nuncius, & Propheta Dei, & propter suæ auctoritatis defensionem quilibet libenter mori vellet, seque beatum existimaret. Et de stirpe Abrahæ, qui fuit fundamentum, & origo Moysis, & legis eius, omnes Nationes dependere gloriantur. Et de principio, & progressu Mundi, saltem vsque ad diluuium ipse solus habetur ab omnibus diuinus Scriptor, & certus. At Cyrus floccipenditur etiam in Persidis suo, in quo nunc regnat Mahomettus: & Moyses, & Christus venerantur, saltem tanquam Prophetæ. Resp ad dictum argumentum.

III. Sed omisso Cyro, veniamus, ad Alexandrum Magnum,

& jul. Cæsarem, qui heroicis gestis, & doctrina, longè Cyrum antecellunt, quos Iulianus opponit nobis. Et hi profectò re nulla præ Moysé magnificari possunt, & in eorum Regnis Moyses hodie imperat. Lex Alexandri annihilata est. Leges Cæsaris, & successorum emendatæ fuerunt à Christianis Pontificibus; & Christo seruiunt, & Moysi credunt, cedúntque.

Resp. ad Iuliani Apostatæ.

IV. Si obiiciis, fuisse larvas, & deceptiones, miracula, & prætensam diuinitatem, qua vicere Moyses, & Christus: tunc cur (inquam) tu Macchiauelle, tuique discipuli non molimini eadem deceptiones ad regna comparanda miraculosè: quandoquidem regnandi gratia omnia vobis licent, & hoc vnum est studium vestrum? & hoc putatis docere melius, quam Christus, & Moyses, quos dicitis regnandi causa simulasse; sed tanquam ignaros nesciuisse armare suos credentes, ac sequaces? Ergo deceptiones vestræ sunt astutiæ pueriles, quæ repente deteguntur. Cur ergo tantum profitemini magisterium super Moysem, & Christum, & Prophetas, quos ignauiæ, & ignorantiæ politicæ accusatis? Præterea vos nobiscum fatemini, Zamolxim, Pythagoram, Numam, Minoem, aliósque simulasse, se esse Dei Legatos, & Nuncios ad ferendam Legem: Cyrus quoque dixit, se à Deo esse Missum, & Alexander fecit se filium Ammonis Dei: nihilominus non reperitur, eis qui velit credere: & quidem post Moysem extitere. Ergo Moyses prudentior fuit illis etiam secundum politicam tuam, ò false astute Macchiauelle. Nec nos mouet Mahomettus, & Cynhus, de quibus is finis erit, qui fuit Herculis, & Apollinis, & Zamolxis, & aliorum simulantium, vt inferius disputabimus Ergo diuturniorem dominatum fundauit Moyses, & in pluribus Nationibus, & in animabus hominum; illi autem exterius, & cadentem, vt & latrones omnes.

Macchiauell. in Principe obiicit Christo, & Prophetis, & Hieronym. Sauonarolæ, ignorantiam suos sequaces non armauerunt.

V. Sed replicat Macchiauelista. Cyrus occupauit plures nationes, quam Moyses, & prævaluit in vita sua.

Argum. 2. ex Mach contra Mosen.

Respondeo hoc argumentum indocti, ac plebei animi esse. Excellentia enim hominis non consistit in armorum victoria: vincere namque corporeis viribus bestiarum est quoque munus: Rationis autem viribus, proprium est hominis. Hoc autem modo longè plura Regna subiecit sibi Moyses; ac continuò acquirit semper Cyrus autem paulatim amisit omnia Regna sua; & lex eius, & ditio eius annihilata est.

Responsio.

Insuper dico, reperiri Regnum animorum, & corporum & fortunarum. Qui vincit, occupatque fortunas, & non corpora, est Pyrata, & prædator, & latro, qui Dominium fundare nequit. Qui autem vincit corpora, & fortunas, non autem animos; subitò dominium fundat, & subitò amittit illud, sicut Tamberlanus, & Pyrrhus & Vitellius, Phoca, & consimiles. Qui autem vincit animos, & corpora, & fortunas simul, subito regnat, & longum dominium

Distinctio modorum acquirendi regnum.

ad posteros trasmittit, sicut fecit Mahometus, & Cæsar, & Cinghus, & Constantinus, aliique. Qui autem animos, & corpora, idem facit, sed diuiniori modo, & his consequenter adiiciuntur fortunæ. Sic fecit Moyses, qui in deserto captiuauit animos, dominatus est super corpora, sed deerant fortunæ, ex quibus viuerent; sed miraculosis modis conseruauit dominium illud, tranfuditque in posteros: simili quodam modo fecit Dauid. Qui autem captiuat tantummodo animos, serò vincit, vt Imperium fiat: sed cùm sit inermis, quoniam vtitur solo verbo, vitam amittit: sed quò veracior est doctrina, eò diuturnius durat; & quò magis oppugnatur, eò accenditur magis, vt ignis vento molestatus. Sic fecit Christus & Prophetæ, qui animos hominum sibi, vt Dei ministris, subiecerunt, verbo: quos confestim sequuntur corpora, seruientia animis; ac mox fortunæ, & politica exterior, tanquam additamentum. Vnde ait Christus. *Primum quærite Regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis.* Et id vidimus passim in Ecclesia eius. Ex his palam est, Moysem captiuasse animos longè sapientiùs, & fortius quam Cyrum; & paucos elegisse homines, & Regiones paucas, vt plantaret legem. Et tamen vicit etiam Ægyptios, multosque Reges; sed hęc nulla fuit ad victoriam animorum, quæ expansa est per totum Orbem, & durat in æternum. Captiuare autem animos hominum, secretum diuinæ est artis, Macchiauello ignotæ. In hoc tamen Moyses à Christo exuperatur, vt suo loco declarabimus, quia sinè armis Christus vicit Mundum, gente idiota vtens, & exili: & Principatum suũ vniuersalem fundauit in Regia Monarchæ Romani, potentissimi super omnes totius Orbis; & Vicariorum suorum pedem osculantur omnes Principes Terræ, qui primæ omnium Rationis esse volunt serui: & habent ipsum, vt Deum Deorum; & suprà Moysem animatum, tanquam Ministrũ Christus inermis, vt Dominus, adoratur, mira res.

Occurrit nouæ obiectioni, & conuincit.

At si quis dicat, id fuisse fortunæ euentum, & non artem Christi diuinam: is tenetur nos docere, qua ratione Deus, seu eius prouidentia, quam Fatum vocant, hoc efficiat. Et cui Macchiauellistis non est notum: qui profitentur se Sapientiore Christo, & Prophetis; & propterea contrariam viam, tanquam meliorem ad dominium acquirendum, seruandúmque, docent. At quoniam artè carent hæc magnalia patrandi; ergo truncata, & incerta est doctrina Macchiauelli, & cœci sunt eius sequaces.

Io. 8.
1. Cor. 15.
Psalm. 109.

Sed non (inquam) casu, sed diuinitus hoc fecit Christus, & prædixit, ne casu venisse putemus, dicens, *Omnia traham ad me ipsum*; Et quod *Euangelium eius prædicabitur in toto Mundo.* Et Apostol. Paulus, quod *euacuabit Principatus, & Potestates, & sedet à dexteris Dei*, donec *ponat omnes inimicos scabellum pedum suorum*; vt olim prophetatum erat. Et non ne in Apocalipsi, dum exi-

Apoc. 3. lis erat, & turbatur eius cætus, dicit Iesus, *faciam illos, vt veniant, & adorent ante pedes tuos?* Et ipse dixit. *Quodcunque solueris, aut ligaueris super Terram, erit solutum, aut ligatum in Cælis?* Et hæc promissa non ne verificata sunt? Ergo ars Christi fuit; & præscientia id docet, & prophetia eius, & suorum: ergo non fortuna. Ipsi enim ignorassent hæc, si casu tantum futura erant. Vbi nunc est astutia tua ô Mastigia inepte? vbi in venies politicam hanc, quæ per Crucem dominetur in totum Mundum?

Matt. 16.

Saltem hoc animaduertere debuisset, quòd seu vera, seu falsa, Religio semper in Politicam dominatur. Græci, & Romani creabant Magistratus: tunc si dixisset Sacerdos, vitio creatos esse, statim illis repulsis, alij eligebantur. Si pullarius dicebat, pullos tripudium non fecisse; bellum non committebatur à Ducibus: omnia prout Augures, & Aruspices iubebant, fiebant. Sic & Assyrij, & Chaldæi, & Phryges, & Ægyptij. Idem obseruat Turcarum Rex erga suos Muctthios. Omnisque Natio propriis paret Sacerdotibus: in quantum existimant esse Ministros veri Dei.

Qua propter stultitia est belluina Macchiauellistarum, putantium Religionem esse artem quandam politicæ astutiæ; non autem potius reuerentiam erga Deum Factorem, & Gubernatorem, sicut ipsa natura docet: cui omnes inclinantur, vt bonorum omnium largitori summo Bono.

Veluti enim iis, qui se diploma Regis habere ostendunt, seu falsum, seu verum habeant diploma, dum certiores reddi non possumus, paremus: sic etiam Sacerdotibus, & veris, & falsis, ex debito timore Dei, siue falsis, siue veris literis patentibus ostendant se missos à Deo, consequenter obedimus. Vide quanta fecit Mahomettus in diplomate hoc falso.

VII. Subsannat deinde Macchiauellus Prophetas, & consequẽter Christum, dicens quod credentes suos armare debuissent, sicquè vicissent, salua eorum vita, quam perperam amiserunt.

Occurrit obiicienti: Cur etiam Religio falsa dominatur Politicæ inter Nationes.

VIII. Hoc examinans, vidi plurimos quoque armatos vitam amisisse, vt Cyrus, Asdrubal, Frater Dulcius, Ioannes Leidensis, qui nec gloriosa facinora, & durabilia patrarunt. Qui verò armati vitam non amiserunt, nec millesimam partem gloriæ, & Regni, quod Prophetis etiam occisis perpetuò partum est, sibi compararunt. Et quidem, loquor etiam in hoc Sæculo mortali, si homo perennem victurus esset vitam, nisi occidatur, eius argumentum aliquid valeret; sed omnes morimur; nec scimus quando: Ergo melius est vitam impendere pro defensione diuinæ Rationis, quæ te in hoc, & in futuro Sæculo æternet, quam armis ipsam defendere, sicuti rem humanam, præsertim in principio fundationis. Sed hi spiritu Dei aguntur: quid nos doceamus eos?

Argum. Macch.

Responsio.

Hodie Romæ regnat Petrus, & Paulus, olim occisi inermes, non autem

autem Romulus armatus, neque Nero, interfector; cuius memoriæ, & ſtatuæ proſtratæ ſunt; erectaque Templa, Altaria, Statuæ, & Lampades in memoriam Petri, & Pauli. Et qui his contradicit, ſubitò perit. Neroni autem detrahunt omnes. Quin glorioſior eſt Socrates hodie, quam Melitus, & Anitus, eius accuſatores, victores, & interfectores per calumniam; quorum memoria in maledictione eſt. Et Seneca, & Lucanus celebriores ſunt Nerone, occiſore ipſorum. Quin etiam Seiano, & Tiberio Macchiauelliſtarum patre. Probitas ergo victoriam parit, & ſublimis amor erga genus humannm, & zelus Dei, & Rationis æternæ, etiam in morte ſicut ſcriptum eſt. *Condemnat iuſtus mortuus viuos impios.* Verba Apoſtolorum aureis literis & vocibus vbique reſonant, & conſtant ſingula verba ſanguinis mare; & quicunque ſeſe eis opponit. habetur tanquam beſtia, ſeque ipſum exitio dat. At è contra futilem, vel nullam victoriam parit proprius amor: in quo fundat ſuam Macchiauellus Politicam rationem, quam vocant *deſtatu* ſui ſequaces; Paulus verò, *prudentiam carnis eōrum, qui terrena ſapiunt.* Et quicunque ipſam ſectati ſunt, turpiter in ſe, vel ſubitò in poſteris perierunt. Inſpicè Cæſarem Valentinum diſcipulum eius, & Oliuerottum, & Tyberium, & Caſtruccium, & Ezzelinum, Abſalonem, aliáque id genus monſtra, quomodo perierunt, ac memoria eorum in maledictione eſt. Profectò ad pauca reſpicit homo iſte, & vt eius conterraneus Poëta canit. Prouerb.

», *Inuer queſto amor proprio hà del beſtiale, &c.*

Vt autem reſpondeamus Iuliano, qui deridet Chriſtum, non modò, quia ſuos non armauit; ſed quia nec heroes peperit lex illius, quales, Gentiliſmus habuit, Cæſares, Alexandros, Achilles, & c. dico quod Heroes Chriſtianæ, legis imperant Cæſaribus, & Alexandris ſuis: & illi quidem inermes Mundum ſubiugauerunt, quem Cæſar, & Alexander armati, nec exparte potuerunt. Et ſublimitas Chriſti fuit ſine armis vincere, nō vilitas. Qui indiget armis diuina caret virtute. Neque profectò arma Cæſarem magnificarunt, cum in illiseſſet inferior Pompeio, ſed militaris virtus, & Prudentia. Veram autem virtutem in Apoſtolis cernimus exuberare adeò, vt Dij præ Cæſare videantur. At ſi & in armis Heroes cupit: poſtquam victoria animorum parta eſt Chriſto; habemus Conſtantinum, & Carolum Magnum, Alexandro, & Cæſare ſuperiorem; & Orlandum, Achille: quoniam vtrorumque vita fictionibus magnificatur. Goffredus verò Cyro non cedit: Fernādus Corteſius longe exuperat, ſed Chriſto phorus Columbus omnes mortales antecellit; ne dū fictos Theſeos, Iaſones, & Typhes. Scanderbegus Iudæ Machabeo adæquatur. Sed nouos Mundos inuenire, Oceanum domare, Typographiam, & Archibugia, & vſum magnetis reperire; non niſi diuinorum ingeniorum Chriſtianorum fuit. & tamen hæc à nobis pro-

Iuliani arg. 2. contra Chriſtum.

Reſp. quòd armis, literis, religione, & virtutibus mirificis exſuperent Chriſtiani omnes Nationes.

nihilo habentur, si minimi ex Sanctis, ab Ecclesia canonizati, virtutibus comparentur. Profectò in scientiis naturalibus excellimus Gentilismum. Copernicus enim & Tyco, & Galilæus, præstantiores sunt Ptolemæo in Astronomia; Telesius exuperat Aristotelem in Philosophia naturali, ac morali, quamuis vtriusque lucubrationes erroribus non careant. Basilius magnus, Platonem: Origenes, Porphyrij, hostis nostri, testimonio, ingenio, & scientiarum abundantia, omnes Gentiles exuperauit. Augustinus verò acumine, Hieronymus peritia linguarum. Sed quidquid boni habent Gentiles, notum est nostris, & multo plura. Albertus, & Diuus Thomas sub se totum Peripateticismum ambiunt. Vtuntur quidem Christiani Gentilium libris, quatenus rationi congruunt: sic enim sunt à Christo Ratione diuina, vt Sanctus Iustinus docet: quatenus irrationales, eosdem reprobat. Nos enim non ponimus schisma inter bonũ, & bonũ sicut illi, sed inter malum & bonũ; vnde Medicina vtimus Hippocratis, in quo rationalis, non autem, vt irrationalis. Omnia approbamus, & quod bonũ est tenemus. At in Theologia Christiani, omnes mortales vicerunt. Quin & Angeli prædicatione Apostolorũ multa didicerunt: & mysteria Dei apud eos sunt, & librorũ copia: & sapientia omnibus præstant. Et in mortalitate, & religione, & miraculis sic exuperant totum Mundum, pro vt æmulatur similia, vt Cælum fabã vnam. Sed Macchiauellistæ non gustant Chrysostomum, Athanasium, Hylarium, cæteróque Patres, & Scolasticos; Ideo ad pauca respicientes, de facili enunciant. Omisi, quod Poëma Danthis omnes Mundi Poëtas antecellit: & Ariostus quamplurimos.

Responsio iterum ad Iulianum.

Ad Iulianum ergo dicimus, Christum non dedisse legem de arte bellica: hæc enim ars extabat iam in lege naturali, ad quam ipse à se perfectam restituit Mundum; & in principio fundat legem in sanctitate, non in armis: & vincebat diuinitus, non humanitus. Protulit præcepta cunctis vniuersalia Nationibus particulares verò illorum applicationes suis reliquit successoribus. *Pasce* (ait) *oues meas &c.* & *qui vos audit, me audit &c.* eisque insuper Spiritum largitus est sanctum, vt possint omnia inuenire, & docere moralia, & cæremonias, & Iudicia: quoniam non amplius infantes erant sed viri: nec serui, sed liberi. De quo, suo loco, cùm personam legislatoris examinabimus.

Ioan. 21.

EXAMEN SECVNDVM naturam credibilitatis eorum, quæ proponuntur tanquam supernaturalia, & fundamenta legum in quacunque Natione Christianam præcellere omnes puritate pietate, ratione, vtilitate, & congruentia cum natura.

CAP. XI.

CIRCA fidem veritatum, quæ proponuntur vt suprà naturales, examinando inueni, Christianam quasdam pati difficultates, plusquam Hebraicam, & fortasse Mahometanam; propterea quod sublimiora, & difficillima reuelat mysteria, quæ non nisi præuio lumine auxilij diuini, credere potes. Ac si Metapyhcam, pro Theologia Christiana assequēda perfectam ex Arcanis Primalitatibus Naturæ non calles suprà impiam Aristotelicam pædagogicam videntur impossibilia. Ideóque Hebræi obstinati permanent; similiter & Turcæ contra Christianos. Quoniam promptissimum est quauis in scientia credere Deum esse vnum, simplicissimum, æternum, infinitum, Creatorem, & Rectorem omnium. Quòd autem hic Vnus sit etiam Trinus, mendacium reputatur à Turcis, & Hebræis, & irridetur à Mahometto tanquam impossibile; & contra hoc dogma se missum esse dicit. Philosophi autem eis applaudunt magis, nisi maiore lumine eorum intellectus roboretur.

Difficultates Fide Christiana.

II. Ego autem arcana Dei in suis imaginibus, ac vestigiis perscrutatus in hoc examine, inuenio etiam apud philosophos præsertim, Platonicos, & Stoicos, aliquam distinctionem inter Deum, & Rationem. seu Artem suam, per quam fecit regitque Mundum. Vnde Senec. 4. de benef. cap. 7. *Quid aliud est Natura (inquit) quàm Deus, & diuina Ratio toti Mundo, & partibus eius inserta?* & in epist. 65. *Materia, ait, est rerum causa, & Ratio faciens, ideſt Deus.* Similiter Plato Deum, & Verbum, seu exemplar in Tim. in epist. & sæpissimè principia rerum ponit Trismegist. in Pym. Deum, Verbum, & Spiritum agnouit in Diuinis. Ergo sequitur, quòd cùm

Demonstrantur euidentia credibilitatis SS. Trinit. & persuadetur veritas.

deberet Mundum recuperare relaxatum, corruptúmque falsis credulitatibus, proculdubio à Diabolo inuectis, conueniens erat, quòd Filius, qui dicitur Verbum, Sapientia, & Ratio, incarnaretur. Ex incarnatione autem patefacta est distinctio personalis Patris, ac Filij explicita; quæ apud Philosophos nesciebatur, nisi sub vmbra, & aliquo pacto, aut secundum rationem tantùm. Posteà verò in apparitione Spiritus sancti, huius ab eis distinctio patuit, qui per modum amoris abditi ab eis procedit. Vidi etiam subtiliter inquirendo, rem omnem licet simplicem, qualis est calor, constitui, vel integrari participationibus Potentiæ, Sapientiæ, & Amoris; & ipsum esse rerum Propotentiam, & Prosapientiam, & Proamorem existere. Iuxta modum, & gradum suum, à primo Ente manantem Potentissimo, Sapientissimo, & Amorosissimo. Ac tantum esse rem quamcumque, quantum potest & esse, prosentit esse, & amat esse. Nam & D. Thom. ait, *quòd omne ens tantum amat, quantum habet de esse.* Et cùm horum destituitur vel vno, tunc mori. Dehinc percepi, quòd Potentia, vt sic, quodammodo est à se: & potest, quia potest: non autem scit, quia scit, sed quia potest scire. Ergo Sapientia latentem quandam processionem habet à Potentia. Et deinde amat, quia scit, & potest. Quod enim ignoratur, amari nequit. Sic & quod non potest amari. Ergo Amor à Potentia, & Sapientia procedit. Et quoniam hæ primalitates Metaphysicæ compositionem non faciunt in rebus simplicibus, quales sunt calor & frigus. Igitur, dixi, non debet impossibile videri, quod fides docet, nec sine vestigio, exemplóque, licet remoto, & testimonio in causatis, quòd in Deo, vt ait Plotinus, sit prima Potentia, Prima Sapientia, & primus Amor; ac proinde processiones, & Vnitas, & Trinitas sine compositione. Scire enim & amare est esse res scita, & amata, vel fieri. Quod autem est, non fit. Deus intelligens est Deus idem intellectus à se, ac Deus amatus à se intelligente, & intellecto. Et reperi, quòd appellare tres Personas, vt Fides nos admonet, quia singulæ per se sonant aliquid distinctum realiter realitate relatiua tantùm, non debet irrationabile videri: Et quòd meliori modo non possumus de his in terra enunciare: & video ex vestigiis, quæ sunt in natura, taliter insinuari id quod Fides docet, quòd animaduerto, nullatenus probari posse, quòd sit impossibile; sed esse euidenter credibile; & mortaliter persuasibile; per Metaphys. Vnde & rectè dixit S. Thomas cont. Gent. disputando. *Quod piè consideranti semper magis, ac magis rationes suppetunt de mysteriis supernaturalibus.* Et propterea Rich. de S. Vict. sex libros de Trinitate condens, dixit se velle probare solis rationibus absque autoritate Scripturarum, mysterium Trinitatis:

Vide postillam paginæ 11. quot vocabula dant Patres Filio: dicitur enim Sermo, Logos, Ratio, Ars, Exemplar, Lex.

Amb. lib. de Dignit. hom. & Richar. ad Bern. ita procedunt.

1. 2. q. 109. art. 3.

1. q. 109. art. 3.

Hanc processionem in ordinibus potentiarum, D. Thom. in 1. d. 3. q. 4. ar. 1. & 3. ex Aug. & Mag. agnoscit, probatque, ne dum præfati Patres.

hoc ad eius credibilitatem: Quoniam in natura sunt res omnes similes quoquo pacto suo Autori. Neque enim non sibi, sed alij, fecerit eas similes. Et sic procedunt rationes Patruin persuasiuæ. Vnde Trinitas prædicata, quæ in natura non videtur impossibilis, in veritate per Fidem declarata extare realiter videtur sagaciter & piè contemplati. Esse autem idem essentialiter, Potentiam, Sapientiam, & Amorem, dixi nuperrimè: ac Metaphysica hæc pro principia Entis docet. Nec profectò Christus vnquam dixisset, vt baptizaremur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, nisi summa æqualitas, & vnitas esset inter personas. Dare enim creaturis honorem Patris Dei Creatoris, esset ignorantia impia valde, pariter pari loco, & dignitate collocans in infinitum distantia; quam ignorantiam rimatus cætera non inuenio in Christo, sed piissimam, vbique supereminentem Sapientiam. Ergo (dixi) verum est quod Ecclesia Romana prædicat; & mentitur Arrius, & Photinus. Deinde Apost. Paulus me certum reddidit prorsus, quando ait: *Christus ipse est ante omnes & omnia in ipso constant &c.* At quomodo constarent in Christo omnia, nisi esset ipse Deus? Et ait. *In ipso sunt omnes Thesauri Sapientiæ &c.* & *habitat omnis plenitudo diuinitatis &c.* Et alibi, *Qui est super omnia Deus benedictus.* Et Ioan. *Hic est verus Deus, & vita æterna.* Et in Euang. docet idemmet, Verbum, & Rationem, quod erat apud Deum, & per quod Deus fecit omnia, incarnatum fuisse. *In principio* (dicens) *Erat Verbum, & Verbum erat apud Deum,* (ergo distinctum, si apud) deinde ait: *Et Deus erat Verbum*; vt ostenderet vnitatem essentialem, cum distinctione personali. Vnde potuit hæc fingere Piscator, scribendi, ac legendi ignarus?

Coloss. 1. Coloss. 2. Ibidem. Rom. 9. 1 Ioan. 5. Ioan.

III. Porrò cùm credideris in Deo existere distinctionem, ac Trinitatem, & prouidentiam, nullum obstabit inconueniens, quominus Deus se ostendat hominibus in hominis forma vera, quando in apparenti multis se ostendit. Quippe cùm infinitus Deus non finiatur in ea; quoniam non contrahitur in hominem, sed assumit ad se humanitatem, vt Instrumentum personaliter coniunctum suarum actionum, apud homines visibilium. Et Arist. & Auer. pater Macchiauellistarum, & Auicen. & Alexander, ponentes vnicum intellectum in sphæra hominis, qui nobis cunctis coniungitur continuo absque concretione, & finitione sui in vnitate personæ eum in modum, quo Deum vnitum esse humanitati, nostra Theologia declarat, habēt modū, licet falsum, satis manducenté ad illud Incarnationi mysteriū; Sanctus Augustinus contra Felicianum, & D. Thom. in 4. cont. Gent. animaduertunt. Vnde non est cur refugiant credere hoc mysterium; tanquam impossibile, dum in cunctis hominibus eandem Mentem primam cum Anaxagora, seu Calcodeam, seu Intellectum, seu Deum incarnari ponunt. Quod Stoicis, & Pythagoricis congruit aliquanto magis. Hac autem credita Incarnatione,

Vide cap. 7. vbi has opiniones tractauimus.

omnia secundum rationem ex hoc procedunt, vt concludit S. Chrysost. quamdoctissimè per naturam rationabilis, & euidenter credibilis consequentiæ in Christianismo.

Quòd nascatur ex Virgine Deus, dignum est. Et qnod resurgat à mortuis, ascendat in Cælum, miracula faciat: Spiritum Sanctum det; & peccatorum remissionem &c. Quòd autem moriatur, & patiatur atrocissima, sitiat &c. conuenit ipsi secundum humanitatem; omniaque argumenta sic de facili dissoluuntur.

IV. Dogma de Sacramento Eucharistiæ durum mihi videbatur. Sed qui credit, Christum esse Deum & testimonium habet quatuor Euangelistarum, & quintum Pauli, dicentium *Hoc est corpus meum: & Panis quem ego dedero, caro mea est &c.* fatuè & impudenter id inficiabitur. Quod si ais, esse in signo, non in re cum Caluinistis: Ego magis Deo dignum asserо relinquere nobis signum substantiale, quam accidentale; sicut cyathus vini in taberna significat Vinum, & verè Vinum est, circulus lauri significat Vinum, & Vinum non est. Quod autem id totum sit credibile, in Dialogo, quem contra Lutheranos scripsi, ostensum est. Cùm Rex dat titulum Marchionis seruo suo, repe[illegible] te mutatur seruus, & vestibus, & cogitationibus, & desideriis. Christus autem dans titulum Corporis sui ipsi pani, non ne rationabile est, vt credamus, facere mutationem intrinsecam longe maiorem in eo, si est Deus, & quanta requiritur, vt verba plenè verificentur?

V. De his cunctis libros scripsi secundum rectam doctrinam: itaque prorsus certus sum quæcumque docuit Christus, & Religiosa Fides supernaturaliter in Ecclesia approbat, nullatenus impossibilia per philosophiam demonstrari posse; quæ fiunt certa in Theologia per miracula, & sanguinem; & testes, omni fide dignos; qui viderunt, & tetigerunt, & aliis palpandum præbuerunt, sicut ait S. Ioan. *Quod vidimus, quod audiuimus, & manus nostræ contrectauerunt &c.*

Profectò qui de diuina benignitate erga nos, & de prouidentia dubitat, is tantùm de his articulis dubitabit. Sed qui rectè credens considerat, quod Deus Creaturarum nihil indigens, ipsas tamen creat, & regit: incunctanter credere potest quòd absque indigentia quoque potest incarnari, & auxiliari, & manifestari nobis. Vnus enim articulus confirmat alterum, ac proinde probat, ex D. Thoma contr. Gent.

Quòd si te tangit falsa cogitatio, quòd Mundum fecerit propter suam iucunditatem, & etiam propter indigentiam quandam; pariter dicere debes, similiter propter iucunditatem, & indigentiam incarnatum esse, si potes id intelligere Omnes namque fatemur Deum esse in omni re absque sui diuisione, ergo est in hac penna, qua scribo, & non finitur ab hac, & in hac penna, sic neque finitus est à cor-

pore humano, sibi coniuncto, neque à Mundo, neque ab vlla re, Res enim in ipso sunt, esse accipientes, non autem sic ipse in eis (sublimiter considerando.) Quòd si pergis: Quid opus erat Deo incarnari? Non ne poterat ipse per se saluare gentes, se non vilitato, exinanitoque? Iam respondi, non esse vilitatem, sed nobilitatem, hoc modo, qui vilis videtur nobis, ingentia facere beneficia. Et cùm creaturæ omnes effectus sint illius, non minuitur dignitas eius, quia sibi eas coniungit modo aliquo nouo: quippe quibus semper coniunctus est intrinsecùs. *Portat enim omnia verbo virtutis suæ, &c. In quo omnia, & per quem omnia, &c. Exinaniuit se*, hoc est, accepit naturam inanem, non tamen propterea ipse Deus in se. & secundum diuinitatem est passus inanitionem. Neque enim, quia est in Mundo, & Mundus in eo, inanis est ipse. Animaduerti etiam Deum quodam ordine in cunctis incedere operibus. Posset quidem Deus totum augmentum hominis complere in vno die, nihilominus non nisi in xxv. ferè annis hoc facit. Sic de arboribus, cæteris que rebus, quæ in Mundo fiunt, quæ sanè absque arte diuina, vt dictum est, non fiunt: nihilominus cum tempore, & numero, & mensura operatur, quoniam rebus ipse condescendit, cùm non possint ad ipsum res eleuari.

Resp ad quid opus erat Deo incarnari

Heb. 1. Rom. 11. Philip. 2.

VI. Et dixi. Potest Deus facere, quæ non facit, si puram eius consideres potentiam, & potest arborem facere Solem, & existere plures Soles, & Mundum esse aureum, & omnes homines diuites. Sed non facit, quoniam omnia sapienter fecit, & rationabiliter. Vtrum autem congruat sapientiæ, ac rationi aliquid, nec ne, non possumus nos animulæ clausæ in tenebris intra pugillum cerebri, iudicare. Ergo existimare debemus, non posse meliorem fieri Mundum, cùm semper fiant quæ fiunt, qualia, & quanta, & sicut Deus vult fieri; & verò vult res quàm optimè, quoniam optimus est, vt Plato in Timæo concludit, & Patres sacerrimi. Neque enim sibi dissimilia facit, aut dissimiliter. Nec inuidia tangitur, nec pigritia, nec ignorantia, nec impotentia. Porrò si duo extarent Soles, cremarent Terram si omnia essent aurum, ludibrium Midæ pateremur. Si omnes diuites, quis ministraret cibum in culina?

VII. Sed hic priora argumenta resurgunt.

REPARANTVR ARGVMENTA ad responsiones.

1. SI Christus est Deus prouidus, cur prioribus non venit sæculis ad saluandum homines?

2. Et cur nunc tam innumeræ damnantur Gentes? ergo vanus fuit aduentus eius. Et cur alias multas perire, absque remedio permisit postmodum in altero Hemispherio, quem vocant Nouum Orbem?

3. Et cur creat animas, quas prænouit esse damnandas? & plures saluandis.

4. Et cur vnius pomi morsus tantum inuexit malorum, vt totus exitio sic debeatur Mundus ex tam leui crimine, quòd Deus necesse habeat incarnari, & redimere eum per grauius crimen, in sua morte ab homine commissum?

5. Si enim homo ob tantillum inobedientiæ tanta passus est mala, nunc quia occidit Deum ipsum, quanto maiora pati debet, nec saluari illius sanguine, sed irreparabilius damnari?

6. Et cur hodierno tempore Diabolus locupletior, & potentior est, quàm Christus super homines?

VIII. Respon. semper fuisse diuinam Sapientiam, & Rationem, in Mundo saluantem eos, qui per eius gratiam volunt rationaliter, & secundum diuinam rectitudinem viuere: omnesque, qui sic vixerunt, vsque ad finem, iam saluos esse in illa. Christum verò, qui est ipsa Patris Æterni Sapientia genita, se se ostendisse in carne, quando magis necesse fuit, quia Gens deflectebat multum à Rationis regula: & instaurasse Cælum, & Terram. Et de hoc arcano multum ignoramus in Cælo, & in Terra. Et qui voluerunt plus sapere, quàm reuelatur, ceciderunt, nisi ad Deum recursum habuerint, volente Deo, vt multa subticeantur, quemadmodum dicitur in 4. Esdræ; & sciamus ea tantùm, quæ ad nostram spectant salutem. Sed hoc scimus, nos cogitare debere, hoc rationabile fuisse, & per Prophetas prænunciatum olim esse: & quadam mensura, naturæ nostræ se attemperante, processisse: attandem venisse, quando illi optimum visum est venire. Scimus præterea ex Metaph. nos nullius rei posse sufficientes ostendere rationes, nisi vt nobis congruit: Quomodò de diuinis poterimus? sufficere nobis debet ipsum, Quia est, vt Logici loquuntur.

Nostra Religio docet, quòd ingredi Cælum corporaliter non potera-

poteramus, nisi ipse corpus assumpsisset humanum; ac viam fecisset. Multa huiusmodi conuenienter docet Ecclesia, quæ piis satisfaciunt intellectibus. Sed Sophista, ac Macchiauellista non acquiescit, quoniam videtur eis esse id contra rationem Politicam de statu. Et verè sic est: qnoniam vt inquit Apostolus, *Prudentia carnis inimica est Deo &c.* & *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Dei &c.* & *Quia non cognouit Mundus per Sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam Crucis saluos facere credentes; quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus.* Atqui hi terrena sapiunt intelligere non valent, tantam celsitudinem in tanta relucere humilitate; & benignitatem Dei assumpsisse carnem propter charitatem, licet posset aliter saluare. Rom. 8. 1. Cor. 2. 1. Cor 1.

Ad 2. De his qui pereunt, dicendum videtur, quòd Christus venerit tanquam Medicus. Qui autem Medici præcepta spernit, non sanatur. Et quòd non conueniebat ei, per arma, sicuti Legislatores cœteri, cogere gentes ad huiusmodi præcepta. sed per virtutem vincere, & per charitatem instruere. Et hoc ipse fecit, & continuo fit in virtute eius. Sed illis, ad quos hæc Gratiæ lex & remedia non dum determinatè peruenerunt, non deest ipse illuminando, & prouidendo supernaturaliter, quantum sufficit saluti eorum: nulli enim deest; sed nos illi, vt supra ostendimus. Et pro comperto habeo, deceptores damnati in quacunque lege, non autem damnari deceptos ex hoc, quòd viuunt secundum leges patrias, quanquam erroneas, dum tamen non contineant errores, quos possit dignoscere, qui sub tali est natus, educatusque, fide, ac Religione. Si tamen legem naturalem per gratiam, & fidem Christi, quæ præstò eis erit, obseruauerunt. Imò, ait S. Thom. opus. 61. cap. 17. & 4. sen. d. 17. & in opusc. de præsc. quod facienti quod in se est, necessitas est ad habendum gratiam non necessitas coactionis quæ imponat Deo obligationem: sed necessitas Deo debitum imponens, sed necessitas immutabilitatis, qua necesse est Deum esse Deum, & ideò bonum, & ideo affluentem: & ideo accipienti dantem. Imò neque vltimâ hanc dispositionem, vt necessariam liberalissimus dator expectat, sed aliquo modo conuertenti se, & disponenti etiam nõ secundũ totum quod in se est multoties dat Iacob. 1. qui dat omnibus affluenter & in 4. sen. per dispositionẽ ex eo quod sciunt de Deo naturaliter conuerti docet homines gentiles ad fidem. & ver. q. 24. 14 & 2. d. 41. q. 1. idem in p. 1. quoniam omnes preuenimur auxilio. Neque enim. (ait S. Leo.) obligat ad impossibile, sed dat prius vt possint, vt dicitur etiam in Conc. Trident. & in quo peccant, veniam à Deo ex puro corde petunt. Et hoc reuelatum fuit S. Brigidæ non semel. & Theologi meliores sapiunt. Vnde fortasse non tot damnantur, quot putamus: sed iudicium Dei occultum est: Ad illud me refero &c. Resp. ad 2 cur aduentus Christi non

Quapropter Deo gratias quisque agere de suo beneficio debet, & orare pro aliis. Profectò hæc ratio me captiuat. Quod si nos optamus omnes homines saluos fieri cum simus mali, & non eorum auctores, multo magis Deus bonus, ipsorum auctor. Curam Patri relinquamus; nosque quod debemus faciamus. Propterea Esdræ hoc quærenti respondit, *Multum tibi deest, vt amare possis creaturas meas plusquam ego.* Tu fac quod tuum &c. Sentite de Domino in bonitate christiana; non in dolo Caluini: non in crudelitate Mahomettis. Vide in Centone quæ dicit S. Thomas contra istos prædicatores disgratiæ, & deprauatores copiosæ redemptionis.

Responsio ad 3. cur creat animas, quas prænouit damnandas.

Creat Deus animas, nec propterea ipsarum debet omittere creationem, quia prænoscit damnationem. Non enim ipse debet non facere bonum, quia illæ facturæ sunt malum, quo damnentur. Alioquin bonum Dei præsens metu quodam à malo aliorum futuro vinceretur. Sic respondet S. Irenæus. Hæc iudicia Dei occulta sunt, ac parum ad politicum spectant, quo cum loquor. Hoc autem scimus, Deum non esse causam peccandi, & homines propria culpa damnari. In hoc stemus.

Non saluatur homo in omni lege, vt putat secta quædam Mahomet.

IX. Has easdem difficultates multò fortius reperiri, ac plures in cunctis legibus, comperi: & opinionem quorundam Mahomettanorum, qui in omni lege hominem saluari asserunt, stultam reputaui. Quoniam vbi naturaliter nota est falsitas, non est salus illi, cui est nota, & non recedit. At nos asserentes Christum, vt Deum, esse Rationem primam supernaturalem, cui subseruit naturalis, in omnibus Nationibus per eius gratiam, nulli deficientem, idiotarum, rectè viuentium, & inuincibiliter proprium errorem ignorantium, reperimus salutem Numerumque damnatorum esse minorem, quàm obiicientes intelligunt. Non enim intellectus, sed voluntas iudicatur. Nec Deus quibus non dat supernaturalia, negat naturalia bona, tollitve.

Quæstio cur permittit Deus multos damnari.

Hæc tamen quæstio mentem Esdræ valde exagitauit, responsumque accepit de peccato Adæ, quòd per illud omnes debemur exitio; Et quod Deus seruauit sibi acinum de botro; & quod pluris valet Mons vnus aureus, quàm centum lapidei: & sic differt inter bonos, & malos. Et quod libertas humani arbitrii reddit Deum excusatum, cum damnamur: & tandem, quis es tu, qui respondeas Deo?

Opinio, Origenis quam ipse non dixit esse de fide in Periarc. & Athanasius adnotauit in orat. contra Arr.

Origenes autem, vtinam tam fœlix, quam doctus, hac vexatus quæstione, opinatus est animas in cælo peccasse, ideoque alligatas fuisse corporeis carceribus; sed destructa, ac renouata Mundi Machina, Deum ignosciturum cunctis hominibus, & dæmonibus. Hocque dicebat dignum esse Dei clementia infinita, saluare omnia opera sua. Attamen Ecclesia, à Christo edocta, pœnam

prædicat æternam, quam Diabolis, & prauis hominibus paratam ex Euangelio didicit. Profecto si has Christi minas aspicimus, verissimum est, pœnam futuram esse æternam: & voluntas Dei signata talis est. Et ratio sic suadet, quoniam veluti homo peccaturus fuisset semper, si viueret semper, ideòque in illa voluntate peccandi semper impœnitens mortuus est: sic debet etiam pati semper in æternum in vigore illius voluntatis peccandi semper in æternum. Ergo impœnitentibus modo debetur æterna pœna. Præterea contra Deum æternum peccat homo, igitur pœnam meretur æternam: quoniam quantum ad se, vellet vt Deus non esset propter hoc, ne ipsum puniret. Ergo directè contra æternam peccat essentiam. At cùm aspicimus immensam Dei misericordiam erga creaturas suas, suboriri, nisi nos retineret diuinum Magisterium, posset suspicio, quòd voluntas beneplaciti eius sit saluare omnes post Mundi renouationem: vt aliquando Gregor. Nyss. & Hieron. disputant: Infinitáque eius bonitas interficiet finitam nostram malitiam, si infinita hæc non est, nisi in illa finali impœnitentia, quam ipse mutare potest. Et quemadmodum dixit, se velle subuertere Niniuem: quod deinde non fecit; sed vtili pœnitentia illam reddidit meliorem: sic posset quis opinari Deum indixisse pœnam æternam peccatoribus, quò à peccatis cauerent: at post multa sæcula, quibus in inferno cruciabuntur, misericordiâ motus ad pœnitudinem eos conuertet salutarem. Veruntamen asserere quòd sic erit, falsissima assertio, & maxima temeritas est, speciem quidem pietatis habens ex altera parte, vel potiùs adulatoria: sed ex altera reuera hæretica; dum aliter ab Ecclesia docemur, & ab Euangelio. Quamuis ab Origene, cui Hieronymus videtur Rufino, non tamen rectè, assentiri, aliter interpretetur, quàm ab Augustino; & huic subscribunt Doctores. Animas autem in corpora immitti, non quia peccarunt, sed in exercitium & in occasionem merendi, dictum est prius Aug. addit, & ob propensionem ad regendum corpora.

Augu. 7. super Gen. c. 7.

X. Hominem esse liberum, palam est, saltem ad velle, & nolle, in quo peccatum, & meritum constituitur, vt scripsi contra Caluinum. Nefanda quoque fatuitas est, credere Deum intrinsecùs adigere hominem ad peccandum: atque cum Diabolo certare, quisnam meliùs hoc officium faciat; & hominem, quando blasphemat Deum, impelli à Deo ad blasphemandum Deum: ergo Deus contra se ipsum? ergo ne diuisus?

Libertatis humanæ a Deo non esse peccatum.

XI. Quod creditur de peccato Adæ, efficacius est & intellectui satisfacit. Tantum enim chaos, & turbationem variarum sectarum, & falsitatum, & iniquitatum, quibus obcœcantur homines; & potentiam prauorum, & ærumnas bonorum, & miserias, & calamitates miserorum mortalium omnium, à Deo verisimile non

Causa humanarum calamitatum vnde.

Resp. ad 4. de peccato Adæ.

est per se seminata fuisse. Porrò verum est, quod Comedia agitor coram illo, propterea quòd res omnis, etiam mala, in illius gloriam resultat non tamen ipse ita voluisset antecedenter. Nos obijcimus Equum prædam Leonibus, & spectamus ludum : non tamen hunc vellemus ludum, nisi quia Equus ille superbus erat, & indomabilis. At quomodo valeat hæc similitudo in Deo, qui omnia scit & mutare potest, & prohibere, ne mutentur, alibi scriptum reliqui. Et quod Philosophi tribuunt seriei Planetarum succedentium in regimine rerum, & de Cæli reuersione, & gubernatoribus superuenientibus, alibi ostendimus fictitium esse, quoniam Naturalia Moralibus & Transnaturalibus subseruire non aduertunt. Et qualiter hæc, & cætera omnia, absque nutu Dei non mutantur, sed propter peccatum hominis, domini creaturarum inferiorum, omnes mutatas esse contra homines, facilè est creditu magis, magisque pium, præsertim cùm cernamus S. Franciscum, & Blasium, aliosque pios homines innocentes iubere creaturis, & obedientiam subitò exigere. Ex quo rectè monemur, Christum venisse ad restituendum, & perficiendum sæculum innocentiæ; idque factum esse, & fieri ordine quodam inuisibili, quem natura in plantarum augmento imitatur. Id forsan patebit quando fiet vnum ouile, & vnus Pastor, & perfectè consummabitur in beatitudine.

Et dixi ad obiectiones : Peccatum Adæ, quia accidit in Mundo, non adhuc corrupto, nec radicem infectam in eo habebat, nec exemplum aliorum peccantium, vti nunc; & quia ipse erat origo, & radix, & semen generis humani; fuit quasi infinitum; & propagatur ipsa inobedientia, & culpa; non autem morsus Pomi. Nec tamen hoc peccatum damnat cruciatibus æternis, qui pertinent ad pœnam sensus, sed priuat bonis æternis, supernaturaliter promissis, non autem naturaliter conuenientibus. Et contra hanc priuationem remedium in Redemptione parauit.

Nec mors Christi saluat nos, quatenus est culpa suorum interficientium, sed in quantum est pœna ipsius interfecti, & solutio pœnarum, quas nos pati debebamus, Et ita Pretiosa fuit, quòd etiam peccatum interficentium deleuisset, dum tamen remedium agnoscere voluissent, vt S. Bernar. dicit contra P. Abailardum. Sed locus iste has disputationes non requirit, quoniam declaramus tantummodo, rectè nos id factum credere, quod impossibile non est : & quòd saltem propter amorem suum in nos, & in exemplum nobis viuendi, & moriendi propter virtutem, diuina Sapientia carnem sumpserit.

XII. Facilius est credere ex naturalibus, quòd sit incarnata Sapientia, vt legifer, verbo, & exemplo; difficilius verò credere, quòd & vt Redemptor. In hoc enim plus credibilitatis, quàm

in illo. Sed qui considerat calamitates humanas, huius etiam necessitatem intelligit; ac proinde non impossibile esse decernit. Sed hoc in sequenti cap.

XIII. Non continet ergo Euangelium in supernaturalibus articulis mendacium vllum, neque impossibilitatem, neque stultitiam; sed summum amorem Dei, pietatem, prouidentiamque nimiam erga nos; & peperit, parturitque in dies Viros sacros, qui miraculis, & virtutibus, & sanguine, & doctrina id comprobant, eleuantur in Deum, communicant cum Angelis, & certam, euidentémque credibilitatem Christianæ faciunt Fidei. Iterum de causa humanarum calamitatum.

Harum quæstionum de malis Mundi, & remedio diuino, & prouidentia, cæteisque suprà positis, reddere rationem, aliæ nesciunt sectæ huius Mundi. Plato enim adscribit hoc materiæ repugnanti animabus. Sed cùm Deus materiam longè exuperet, poterat ipsam sic animabus subiicere, vt malum ex ea nullum timeri queat. Alij elementorum pugnæ. Sed causa potior inuenitur vtens elementis. Nec enim possunt facere animal, & plantam sine Artifice, sicut nec ignis, lima, & malleus clauem sine Ferrario. Alij Deorum contrariorum discordiæ. Sed nos vnum Deum ostendimus. Alij siderum varietati. Sed Auctorem suprà sidera inuenimus. Igitur cùm ille Auctor sapientia regat, & hominem etiam libertate: hominis repugnantiam contra Deum oportet malorum causam dicere; ergo non incongrua est Adami defectio ad soluendum nodum. De his alibi. Et apud Philosophos Christiana hebetur pro omnibus rationalis maxime, ac pia. Et Sanctorum experientia continua, & dominium super animalia, & reuelatio probata, qua cæteræ carent, satisfaciunt cuilibet inquirenti.

EXAMEN MAHOMETTIS.

COntra verò Mahometti leg, quanquam Idolatriam tollit, & vnum modò Deum asserit, nihilominus prædicat opiniones irrationabiles, nimis fabulosas, & mendacia, & impossibilia, & obscœna.

Primò quidem videtur facere Deum corporeum, quoniam sedere dicit in solio delato ab Angelis quibusdam, quorum tanta est magnitudo, quòd ab altero in alterum oculorum vnius Angeli, non potest volitans avis peruenire in centum millibus dierum, dicit etiam hos Angelos habere cornua immensa, quæ composita sunt ex niue, & igne simul, aliisque misturis incompossibilium. Et addit tanquam derisorum in cathedra loquens: *Nontamen ignis dissoluit niuem, nec nix extinguit ignem.* Vbi de industria videtur loqui, Examen Mahometanæ sectæ circa supernaturalia.

vt videatur dicere mirifica, & portentifica, vel vt deriſor, vel ſicut dementatus. Dicit in principio creaſſe Deum plumam multifidam, vt ſcriberentur futura. Totam Geneſim peruertit, & Mundum prius habitatum fuiſſe ab Angelis, & deinde condemnatum fuiſſe Beelzebud à Deo, quoniam noluit adorare hominem, quem Deus propterea prætulit illi, quoniam ſciuit rectius imponere nomina rebus. Item duos Angelos inebriatos fuiſſe à quadam muliere laſciua, cuius concubitum appetebant, quæ pacta eſt ſeipſam, ſi illi patefacerent nomen Dei, quo volatur in Cælum. Quod cùm reſciuiſſet, inebriatis Angelis, deceptiſque, volauit in virtute illius nominis. Quam Deus videns conuertit in Stellam. Item peccatum Adæ fuiſſe, quòd manducarit vnum, ac dimidium frumenti granum. Et quòd ex dimidio poſteà in minutias redacto fecerit omnium plantarum ſemina. Item Cælos ſuſtineri, ne cadant, à Monte Caf, cuius colore repercuſſo videntur cærulei. Stellas ligatas eſſe partim catenis aureis, pendentibus à ſolio Dei. Et extare Cælum aliud ex adamante, aliud ex luce, aliud ex Smaragdo. Et ſuper Cælum extare Maria, Deinde alios Cælos turbidos. Deinde Montes ſuperbiſſimos. Deinde alia Maria. Deinde multa millia interualla. Et de huiuſmodi, caſu quodam loquitur quicquid in buccam venit; & re vera tanquam Dæmonoplexia arreptus, nihil prorſus perpendens, aut curans; quod dicit, Dicit & ſub noſtra terra extare mare, & ſub eo alias ſeptem terras; aliam ſuper aliam. Deinde Bouem magnum ab Oriente vſque in Occidentem protenſum, qui ſuſtinet Mundum: Bouem verò ſuſtineri ab aliis montibus, & montes à maribus aliis, & ſub his piſcem ab Oriente in Occidentem vſque longum ſuſtinentem hæc ſyſtemata, & piſcem ab aëre alio ſuſtineri. Et ſic interrogatus ſemper reſpondet hæc dicteria ſine fine. Ponit Paradiſum poſt mortem, in quo manducatur, & bibitur ex fluminibus vini, & lactis, & coeunt homines cum mulieribus formoſiſſimis, & mundiſſimis, quæ habent papillas breuiſſimas. Et quoties vult homo, coitu venereo vtitur, & ſemper voluptuoſius, & ſine zelotypia; & edunt piſcem, quem illis ſeruauit Deus, & hæc accipit à Talmudiſtis. Et innumera addit id genus. Et quòd in examinandis culpis, & meritis durabit iudicium vniuerſale ann. 50000. Dicit ſe miſſum fuiſſe à Deo in virtute gladij, & non miraculorum, quoniam homines non credunt propter miracula: ergo *ſi non vis* (inquit) *credere me eſſe prophetam Dei, auferam tibi vxorem, & opes, & interficiam te; vel ſub tributo cogam.* At in alio Capitulo ait, ſe non miſſum à Deo, vt cogeret homines ad credendum. Alibi ait; Lunã cecidiſſe, & diruptam eſſe; at Mahomettum amplexatum eam ſanaſſe, & in Cælum remiſiſſe; ideoque maculas adhuc habere. Item in principio Mundi Lunam fuiſſe æqualis luminis cum Sole; Sed alis Gabrielis peruolantis

Alc. Azocr. 1.

imprudenter, extinctam esse; & nunc parum lucere; & similia innumera dicteria fabulosa, quæ narrare non sufficio. Dicit, se licentiam à Deo habuisse subagitandi omnes mulieres, etiam consanguineas; & virtutem in rembus tot subagitandi, quot possent quadraginta homines, quò generaret plures prophetas: nec tamen genuit, nisi fœminas duas. Ecce signa sanctitatis, & sapientiæ eius.

Porrò omnibus Prophetis, Moysi, & Euangeliis aduersatur, manifestissimis vtens mendaciis, etiam historicè: & nihilominus acceptat has scripturas omnes, tanquam veras, & à Deo. Sed quia ipse legere nesciebat, vt fatetur, neque scribere, dum laudat suam sapientiam, quasi diuinam; nec recordabatur ea quæ audierat, & sibi legebantur à duobus Hæbreis, quos secum habebat, & à Sergio Monacho, & alio quodam hæretico; ideò dictabat Scriptori suo quidquid in buccam veniebat. Cùm verò alij obiiciebant scripturam aliquam suæ contrariam, respondebat, illam falsificatam esse. Historiam Geneseos penè totam deprauat; præsertim de Ioseph; & præponit Ismaëlem, & Agar, vnde ipse genus ducit, Sarræ, & Isaac. Deprauat historias Dauid, & Salomonis, & libros Regum: & arbitratu suo loquitur de cunctis. De Christo inter cætera mendacia manifesta per historias Christianorum, & Iudæorum, ac Gentilium, refert, quòd non fuerit crucifixus, sed mutato vultu, volauit in Cælum, & decepit Iudæos, vt loco suo Iudam crucifigerent. Qui legerit, longè plures deprehendet insanias.

Quapropter Rex Persatum de secta Haly, has sententias Mahometti vertit in sensus mysticos, & alteratos, repugnantes historico. Vnde Turcæ irrident Persas, habentque, vt Hæreticos. Sunt inter eos variæ sectæ, parum subsistentiæ ostentantes. At astutiores substulerunt omnes libros, & scientias de Regno suo; & solo gladio defendunt mendacia hæc, maximo profectò cum damno, ac dedecore totius generis humani. Sed de his in p. 3. Reminiscentur, &c. Hæc recitasse est confutasse.

EXAMEN IVDAICÆ.

CRedulitas legis Hæbraicæ rationalis est in hoc: quòd sit vnus Deus viuus, incorporeus, æternus (licet C. Tacito, propterea quia tollit Deorum cultum, videatur praua, voluntaria gaudenti cæcitate) quod dederit legē Moysi, quod Moyses, & Prophetæ prædixerint Messiam Instauratorem, & Legislatorem totius generis humani. Sed assertiones Talmudistarum, & mendacia de Christo, quòd non fuerit Vir sanctus, nec Messias, & quæ fingunt de eius natiuitate, & educatione, & morte, deliria sunt, similia Mahometticis, ab omnibus confutata Historicis, præcipuè à Iosepho Hebræorum sapientissimo, qui loquitur de Ioanne Baptista, tanquam de magno propheta, & de Christo, tanquam plus quam homine. Et quoniam contra Moysen, & Deū ipsum, vidi Talmudistas obloqui stultè, mendaciter, & fabulosè, intellexi, quæ de Christo dicunt, vanissima esse. Nam præferunt Talmud Moysi, concedunt sodomiam cum vxore, & retentionē inventi alieni marsupij; & iubent odium vsque ad mortem contra inimicum: & falsos testes non puniendos, si accusatus iam pœna est affectus; & multa simila, contraria Moysi. Et qui contrà dixerit Rabbinis, morte plectendus, non autem qui Moysi; sed absolui posse. Item quòd Deus multos Mundos fecit, & destruxit, antequam disceret facere hunc Mundum, exercendo se in hoc labore. Et quòd Deus facit precationes quotidie deuotò animo; & vestit caput vittis, & corrigiolis; & procumbit in genua, & orat. Quòd aliquando in loco separato plorat, & pœnitentiam agit. Quòd iratus iniustè contrà Iudæos, miserit eos in captiuitatem. Et quòd prædolore, quem habet de Iudæis, emittit duas lacrymas in Oceanum quoties reminiscitur; & quòd propter scelus à se perpetratum, quando abstulit iniustè lumen Lunæ, & dedit Soli, iussit fieri in lege Moysi festa plenilunij & sacrificia ad expiandam sui ipsius culpam. Quòd tres horas diei consumit in studio legis Iudaicæ. Quòd disputans cum Rabinis victus est ab eis, & anathematis sententia percussus, dixerit: *Filij mei vicerunt me.* Quòd astutia cuiusdam Rabini victus est Diabolus, & Deus vice quadam. Quòd Adam coiuit cum omnibus animalibus masculis, & fœminis, neque appetitui satisfecit, donec concubuit cum Eua. Quòd Coruus missus à Noë, nolebat egredi de Arca, timens, ne Noë post discessum cum Cornice vxore sua coiret. Sed quis narret omnia dicteria, & blasphemias, & fabulas istorum? Et vidi,

di, quod veniente Christo, eo non recepto, Iudæi traditi sunt in reprobum sensum. Non habent prophetiam, & charismata priora; & dereliquerunt legem Moysis reuerà, sed in voce tantum gloriantur de ea. Nunc autem lex eorum est Talmud impiissimum.

Examinaui Prophetas eorum, & tempus aduentus Messiæ, & agnoui Diabolicam esse pertinaciam, infamare Iesum Christum vsurpatione falsi nominis Messiæ, & negare tot miracula, & historias Hebreas, Romanas, & Græcas. Et ipsi Talmudistæ dicunt, Solem in quarta die creatum esse: & ideò Messiam affuturum in quarto Millenario; & Iesum natum esse cernentes circa finem quarti Millenarij, nec alium Messiam comparere; & iam sumus post quintum millenarium, & dimidium: & nihilominus dicunt propter peccata sua dilatatum esse aduentum Messiæ: & contra propria Dogmata, & ea, quæ dicunt esse Heliæ oracula, manent obstinati; & contra Deum: quasi Deus fuerit deceptus in tempore adventus Messiæ; vel nesciuerit eos peccaturos, & impedituros aduentum eius per duo millia annorum. O dedecus insanum, pefidúmque, diabolicúmque! Vident Christum mutasse leges Mundi, & omnes Gentes ad Fidem vocasse; fecisse omnia, quæ de Messia prædicta erant: attulisse cælestia præmia, quæ tacuit Moyses; mortuum fuisse secundum Scripturas; resurrexisse, ascendisse in Cælum, & promisisse se rediturum; nihilominus obstinati perseuerant in perfidia sua. Vide legat. ad Iudeos.

Quam euidẽtererent Iudæi Christũ Messiam non acceptando.

In quo obstinatio Iudæorum.

Sed tota obstinatio eorum in eo consistit, quòd non restituit Regnum Iraël, non reædificauit Templum, neque Ierusalem, nec regnauit super sedem Dauid in vniuersum Orbem, nec vicit armis omnia Regna Mundi, ita vt adorent illum omnes Reges Terræ; neque sæculum aureum instaurauit, de quo Isaias, & Tobias, & Prophetæ alij cecinerunt; & ipsi solum materialiter intelligunt; vnde aliquid apparentiæ sibi videntur habere in hac parte. Ideoque in libro de Monarchia Messiæ, ostendi Christum sedere in sede Dauid, quæ est Ecclesia. Et per suos Successores Mundum totum vicisse, & vincere, donec ponat omnes Principes Terræ scabellum pedum suorum, & euacuet omnes Principatus, & potestates; & Iudæos decipi, quia putarunt armis in primo aduentu Christum omnia subiugaturum Regna, cùm tamen in Isaiæ cap. 53. post mortem illi promittantur omnia Regna in semine suo longæuo, qui est Papatus: & omnes Christianos pertinere ad Israël spiritualem, & similiter, Deo Duce, recte viuentes. Et Ierusalem esse Ecclesiam. Sed vtrum reædificanda in Palestina, disputaui in Prophetalibus. Et licet renouationem spiritualiter tantùm Doctores multi exponant: Ego tamen non video, quomodo qui in Terra etiam expectant ea ratione, qua superius scripsi, Regnum vnicum totius Mundi cum

illa fælicitate, quam omnes Sapientes, & Nationes expectant, denotari possint; saluo semper, quòd etiam si id ita non esset, non propter hoc cælestia oracula spiritualiter non subsisterent. Quòd sæculum quia descriptum est in Sripturis sanctis & prophanis instar Paradisi æterni, quem præcedet hoc Regnum tanquam præludium, fuit in causa, vt deciperetur Cherinus, & Mahometes, qui solum hunc Paradisum carnaliter accepit, sicut Chiliastæ, qui posuere anticipatam mille annis resurrectionem bonorum, & Paradisum in Terra. Sed profectò qui hoc punctum notat, potest facilius Iudæis, & Mahomettanis deceptionem suam ipsorum persuadendo aperire.

XVI. In verbis ergo Christi mendacium reperiri nullum Quæcunque prædixit, euentus comprobauit. Restitutionem Israël vidimus,, cùm totus Mundus Israëliticum, ideſt Christianum, rationalem se cupiat, faciatque. Regnum vnicum expecto, & video palam fieri post noui Orbis fidelitatem. Aduentum eius, vt proximum, qui cælestia considerat, expectat. Nec dubito quin Mahometes pertineat ad Antichristi Regnum; & cum multis Scriptoribus insuper sentio, ex Mahomettismo oriturum caput impiissimum, qui omnium peruersorum scelera recapitulabit: & durabit annos tres cum dimidio; Mahomettismus verò tot annos, quot sunt isti dies; & de hoc multa alibi scripsi.

Non latuisse nouum hemisphæriũ diuinos Scriptores Gen. 10. Ioan. 10

Dico etiam ad priores quæstiones, quòd de nouo Orbe loquutæ sunt Sybillæ, & Seneca, in Med. & Plato in Atlantico, & Moyses, quando dixit, *Insulas Gentium à filiis Iauan originem habuisse*; & Christus quando dixit: *Alias oues habeo, quæ non sunt de hoc ouile, & illas oportet me adducere.* Quod non intelligitur tantum de Gentilibus huius Hemisphærij, sed & alterius: dequo innuit quoque S. Brigida, quòd ante aduentum Antichristi replendum esset fide: & Esdr. lib. 4. cap. 7. reuelandum.

EXAMEN GENTILISMI.

XVII. AT cum Religionem Gentilium considero, comperio intolerabilem. Sed stultissima impiissimaque præ omnibus est, colentium, vt Deos, creaturas viliores, & deteriores se ipsis; sicut Ægyptij profitentes sapientiam coluere Vitulum, & Ibicem, & Cocodrilum: Chinenses vero stellionem: & alij lapides, pyramides, serpentes, & arbores, vt olim & nunc gentibus vtriusque hemispherij, mos est. Hi profecto inexcusabiles sunt coram Deo, vt primum loqui ferè, ne dum ratiocinari, norunt. Non

Non enim honorem diuinum dare debent deterioribus se, cum apud omnes palam sit vel ex instinctu, Deum esse meliorem nobis, & potentem facere quæcunque vult, & patrem esse creaturarum, & gubernatorem, & summum bonum, aut illud quo maius cogitari non potest. Gradus secundus.

Impij autem inexcusabiles in secundo gradu ii sunt, qui colunt homines, sibi æquales secundum naturam, sicuti Græci antiquiores, & Romani, & Ægyptij, & Assyrij, & quæ Nationes Deos fecere, Ioues, & Hercules, & Apollinem, Romulum, Augustum, & consimiles. Ergo pœna digni sunt, quoniam cum sit per se notum, Deum esse meliorem nobis, summúmque bonum, confestim nosse debebant, homines non esse Deos.

XXVIII. At si obiicias, quod hæ nationes cognouerunt vnum summum Deum viuum & verum: hosce autem secundos Deos putabant, & colebant in eo sensu, quo nos colimus Sanctos homines, qui etiam Dij appellantur propter excellentem participationem Diuinitatis.

Respon. quod in hoc sensu non peccassent, si ij, quos colebant habuissent veras virtutes, quod opinatus Plato, coluit Heroes, qui homines diuini sunt; qui ob virtutes, quæ videbantur ingentes, ac beneficia præstita humano generi, digni apparebant cultu, non latriæ, & seruitutis, sicut Deus, sed dulíæ, & obseruantiæ, & reuerentiæ, tanquam amici Dei veri: & hæc fuit Thologia Romana Varronis, Valerij, Sorani, Senecæ, & aliorum Philosophorum. Et Trismegistus in Ægypto declarauit verum Deum & permisit cultum Dijs in prædicto sensu. Nihilominus plebs eo lapsa est, quòd non modo dedidicit verum Deum, Primatum Ioui homini largiendo; sed post modum statuas Deorum ligneas, & marmoreas adorabant latriæ cultu. Et hoc fuit in causa, vt Moyses tolleret omnem picturam, & statuam; & de hoc conqueruntur Prophetæ, & Apostoli. Quinimo & Socrates cernens Alcibiadem pro voto coronam cuidam statuæ Apollinis impositum ire, suasit ei, quòd non essent Dij illi, neque statuæ veri Dei: & quòd magis statua, & imago Dei est sapiens vir, & probus, quam statua illa marmorea. Et ex hoc Plato docet, quod potius sit statua Dei tibi Pater tuus, quam illud figuratum lignum: plusque honoris tuo patri, quam illi debes. Stoici quoque idem opinati sunt. Vnde Cato apud Lucanum contemnit oraculum Ammonis, cum esset in Lybia accipere; sed ait in nobis, & vbique esse Deum, quem consulere oportet dicens. *Estque Dei sedes & Terra & Pontus, & aër, Et Cælum, & Virtus. Superos quid quærimus vltra? Iupiter est quodcúmque vides, quodcúmque mouetur.* Numa Pompilius reliquit libros absconditos aduersus Deos secundum rectam philosophiam. Sed Prætor Romanus zelo superstitionis patriæ concitus, stultè combussit eos postea

Plato in lib. de vo-to.

repertos. Seneca vnum esse Deum docet; Mercurium verò rationem Dei, Herculem Dei fortitudinem, Palladem eiusdem Sapientiam. Nec fuit schola etiã indocta in Mundo, quæ id non intelligeret.

Quare dico, quòd ii prædictorum Dii talem non meruere honorem, qualem nos Sanctis nostris exhibemus. Namque historiæ ipsorum narrant de Ioue, de Mercurio, de Venere, Marte, Cæsare, & aliis, adulteria, stupra, ambitiones, dolos, aliáque facinora, nec viro mediocriter probo tribuenda. De Iano non obloquor; quoniam credo ipsum esse Noe: & meritò pro sancto habitum esse, sicut & Moyses, & Petrus, & Paulus, & Prophetæ. Puto etiã plurimos fuisse sapientes, & respectu virtutis adoratos à Gentilibus, qui non habebant eos tanquam essentialiter Deos.

Nomen Iouis esse Ieoua; & quis primus profanauit.

XIX. Inueni etiam apud vetutissimos Deum nuncupatum fuisse Iouem, ideóque Hebræorum lingua יהוה adhuc nominari, cuiusmodi Abraham Chaldeus ipsorum pater illos docuit. At Belum patrem Nini primum fuisse, cui nomen Iouis (idest Dei) tributum est; ex quo incepit Idolatria: deinde verò Osiri Ægyptio: Mox autem filio Aptere Saturni Cretensis, propter facinora ipsorum ingentia, posterorum obseruantiam, & amorem erga eos. At quidem Philosophi, semper hanc Religionem irrisérunt. Cato mirabatur quòd Sacerdotes conscij ridiculæ Religionis post sacra obuiis inuicem non corriderent, eo quod Populum tam deceptum apud se vidissent. Diogenes hecatombam ex pediculis fecit, vt si Dea à suis vaccas, à se animalcula paupere acciperet. Socrates nolens iurare per Iouem, aliósque per Deos mortuos, iurabat per Canem: cumque impietatis argueretur, respondebat, se iurare per Canem, Deum Ægyptiorum (quoniam & hunc colebant) quasi indicans in suo sensu, stultum esse habere pro Dijs statuas, mortuósque homines, talémque dignitatem potius posse conuenire canibus, qui viui sunt. Nec est vir sapiens apud veteres, Religionis eorum tenax. Vide Cic. de Nat. Deor.

Omnis impietas ex prudentia carnis.

XX. Hinc animaduerte, quàm atrox fuerit Ieroboam impietas, vitulorum aureas statuas colentis. Sed profecto hæc, sicut alia omnis impietas, ex politica prudentia Macchiauellica manauit, ne, videlicet, Populus iret in Ierusalem ad adorandum verum Deum, secundum legem, ac proinde rediret vniuersum Regnum ad Roboam Regem Ierusalem, à quo ipse desciuerat: nec putauit Deum, qui suæ ditioni decem tribus subdiderat, posse tueri illi Regnum, quemadmodum potuit & dare.

Vidi etiam omnes huiusmodi impietates introductas esse vel fomentatas ab impijs Principibus: vt per eas facerent populum ignorantem, vilem, & seruum Deorum vilissimorum, quò deinde possent ipsi facilius in illum dominari. Profecto enim Tyrannide premi ille populus haud potest, qui verum adorat Deum viuum: quoniam magnanimus, sublimisque, & audens, nec iniuriam tolerat

tantam, suique abiectionem. Tyranni autem prius eum reddunt vilem per religionem stultam, qui proinde derelictus à Deo, & ab illa celsitudine, & fiducia, quam indit, fouetque cultus omnipotentis Dei, tunc in pœnam sceleris remanet mancipium Tyranni. Postmodum verò Tyrannus fit præda extraneorum in se aut in posteris suis, sicuti ex cunctis erudimur historijs.

XXI. In tertio gradu comperi eos, qui colunt Elementa, quoniam cum hæc sint corpora ingenitia prima, & in viua appellata, ex quibus res nascuntur omnes, & ipsi dii homines, quibus diuinus tributus est honor; quo circa Plato tellurem appellat Deorum omnium parentem: minus malum videtur si ipsa vt Dij colantur, ex quibus animalia habent vitam, & corpus, & animam, quàm si colantur animalia, quæ illorum mistura sunt; præsertim apud eos qui animam, à Deo manare non norunt, sed ab igne, vel aëre, vel stellis. Adeóque minus absurda hæc sententia reputata est, quod etiam Philosophi ipsam amplexi sunt, aut tanquam minus malam sustinuerunt; & Gentes admonuerunt, quòd per Plutonem intelligitur Terra, per Neptunum Mare, & per Iouem Cælum, aut æther, cuiusmodi à Virgilio nuncupatur, & per Iunonem Aer, & per Apollinem Sol: & quidem ita melius fuit, vt tolleretur cultus rerum mortuarum. At mox ita applausum est huic sententiæ apud Romanos, quòd cuiuslibet rei proprium Deum inuenerunt: vnde fluuios dixere Deos, & Terminum agri, & Forculum, & Pomonam, & Cuninam, à foribus, hortis, & cuna Infantium: Febrem quoque Tremorem, & Pallorem, & Fortunam Deos vocitarunt, putántes numina inuisibilia quædam esse horum morborum causas propriας. Tertius gradus impietatis.

Varro autem hanc opinionem defendit, quia (inquit) Deus est ipsum Totum, Mundusque à Deo animatur, vnde inferebat, ergo res omnis coli potest, tanquam membrum Dei, aut spiritus, & motus aut actus illius Dei, qui animat vniuersum. Hæc sane Theologia minus stulta est: sed subuersio est indoctis; doctis verò impossibilis reperitur. Nam licet Deus vbique sit rerum, non tamen inest tanquã anima in ipsis; tunc enim à corpulentia fatigaretur, sicuti nostra Anima. Mundúsque æternus esset quod rationes plurimæ explodũt: essétque mũdus continens Deũ non contentus. Atqui per Metaphysicũ examen inueni, Mundum non esse coæternũ Deo; nec spatium, in quo Mundus insidet. At in Deo extare spatium, & Mundum, non autem Deum in eis; quippe qui vt sit, eis non indiget. Sublimiter hoc intelligendo. Nec decere facere membrum Dei stercus & vrinam, omnesque res viles, stultas, ignorantes, blasphemas, impotentes. Attamen cum hoc stat, quod res omnis participet esse à Deo variis modis; ipseque sit in eis eminenter, non autem tanquam anima, nisi per similitudinem. Hic autem cogitatus longe dignior est de Deo altissimo, dum nos intelligimus potestatem, sapientiam, Varronis Theologia. Ex Aug. De Ciuit. lib. 4. cap. 31.

& amorem infinitum, ſicut alibi ſcripſi. Quinimo nec Deus ſit in Chriſto ipſo tanquam anima informans, ſed tanquam eiuſdem perſonans etiam alteram naturam, vt inſtrumentum redemptionis coniunctum.

XXII. Minore tandem reprehenſione dignos deprehendieos, qui adorant Sidera, Cælum, & Solem : quoniam hæ portiones Mundi ſe oſtendunt, à corruptione diſtantes, & pulchritudine viuida, ſimplicique donatæ : ſuntque nobiliores rerum inferiorum cauſæ, & in ſublimi regione degunt, continuò beneficientes nobis, lucem effundendo, calorem, & influentias : generando, alterando, omniaque producendo : quas ob res magis mouere poſſunt Gentes ad credendum quòd ſint Dii. Africani multi hac tempeſtate, & in Ægypto antiquitus plurimi hanc opinionem ſectati ſunt; & Plato in Epinom. Similiter aſſerit, conuenientius eſſe Philoſophis colere ſtellas, quàm mortales Deos Nationum.

Hanc ipſe preſſius exanimando ſententiam, inueni non eſſe diuinum cultum Stellis tribuendum. Deus enim præ ſe fert Totum, & Animam in Mundo, ſi eſt aliquid eius : Quapropter ita error eſſet hic, veluti, ſi quis Regem adorare volens, Animam Regis adorare prætermitteret, quia ipſam non videt : ex membris verò adoraret dum taxat oculos, & aures, & caput, non autem pedes, & crura, & brachia. Nam re vera Sol, Cælum, & Stellæ, ſunt quaſi oculi, & caput & membra Mundi nobiliora : Tellus autem ſicut pedes, & crura, & ſcabellum. Præterea periculoſum eſt iſta colere, quoniam cum ſint formoſæ, & bonæ res, magis alliciunt gentem à cultu veri Dei inuiſibilis ad ſe; vt tandem incurrat ad illam iniquitatem maximam, quam tribuit Iob colentibus Lunam, & Solem. Nihilominus, quamquam vera eſſet ſententia Philonis, & Origenis, Platonicorumque, (quam Diuus Thomas non includi, nec excludi à doctrina fidei docet, licet Sanctus Hieronymus, & Diuus Auguſtinus dubitent, & Patres multi ita ſentire videantur,) videlicet, Solem & Sidera viua eſſe corpora, & ſentire prorſus longe, magiſque, quàm Animalia; ſenſus enim inexiſtit in Spiritu vitali paſſibili, cognoſcente; oculi autem, nares, aures, nequaquam ſenſus ſunt, ſed foramina, & feneſtræ, per quas intrat obiectum ſenſibile ad Animam ſentientem, vt probant Ambroſius, & Auguſtinus, propterea que, abſcedente Spiritu, non videt, licet apertus oculus, ſicuti multi apertis dormiunt oculis, nihil tunc videntes, nec auris audit, licet patens; ſed Spiritus qui itaque, reditque, vt Sanctus etiam Auguſtinus adnotauit. Nam & oculum (ait) alterum claudimus cum volumus totum Spiritum in alterum confluere, vt totus per baliſtæ Dioptram conſpiciat? vnde ex Auguſtini, & Ambroſii, & Gregorii Nyſſenii ſententia, perperam Ariſtoteles docuit potentiam informatiuam oculi, aliorumque organorum, videre, ſentireque. Spiritus enim

hoc munus obit, vt qui intermanet, quasi habitator domus, coniunctus tamen substantialiter, non vt forma Domus sicut probat S. Ambr. in libro de Isaac, & in lib. de Noe, & cum eo sæpè S. Aug. quanquam Anima intellectiua informet vtrumque, sicut lux aerem, & nubem, non tamen vt forma dependens à materia aeris & nubis: sed oculus non videt, dum Spiritus recedit ad dormiendum, vel cogitandum, vel audiendum. Igitur posito, vt aiunt Stellas esse totas Spiritum tenuem, (nam propterea putant Solem vocari Spiritum, Ecclesiast. 1.) & non videre per fenestram sicut nos, sed in propatulo, & se radiis tangere, & motus audire mutuos, & harmoniam edere: vnde consequens est, sensu exquisitissimo, vt Platonici ratiocinantur, præditas esse: nequaquam tamen adorandæ essent, sicuti neque Animalia, sentiente quæ viuunt Anima. At neque etiam si intellectuali Anima essent Animata, vt Plato, Origenes, & Philo volunt, & Aristoteles; & non discrepat Diuus Thomas in 2. cont. Gēt. cap. 70. & Caietan. super psal. 135. vbi dicitur. *Fecit Cælos in Intellectu*, ideſt (ait) intellectuales. Quare in Iob. Deus dicit, *Cum me laudarent Astra matutina, & iubilarent omnes filii Dei:* & Debbora, & Abacuc, & Baruc videntur confirmare. Hæc, inquam, si vera essent, quod non decerno, non propterea colendi essent Cæli diuino cultu, sicut nec Angeli, cum creaturæ sint. Imaginabitur quis esse Stellas statuas Dei viuas, totumque Cælum sedem Dei, & statuam appellari posse; sic & Mundum? ideoque dignum esse consideratione, laude, & reuerentia in gloriam Conditoris, quem manifestant. Et Plato idem sentit, quando appellat Mundum, & Solem filium summi Boni, Stellasque Dei statuas. Verum Diuus Augustinus dubitat, num Animæ Stellarum *pertineant ad societatem nostram, & Angelorum*, vt dicit Enchiridion 58. & Diuus Thomas 2. cont. Gent. cap. 70. At Caiet. putat hoc esse placitum Ecclesiæ, nec amplius dubitandum, quoniam in præfatione Missæ canit: quod *Deum laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates: Cæli, Cælorumque Virtutes, ac beata Seraphim &c. incessabili voce proclamant: cum quibus & nostras voces, vt admitti iubeas deprecamur.* Qua in re non modo ordines Angelorum, sed Cælos ipsos, & Cælorum virtutes, Deum laudare, sicut res animatas, & Animas, ipsi videtur, Ecclesiam velle, iuxtà illud Iob. *Cum me laudarent Astra matutina, & iubilarent omnes filii Dei &c.* Hæc cum cogitassem dubitabam, an Cælestia sint colenda: & tamen concluſi, quoniam hæc sunt incerta, & non probata mihi, & alium sensum in prosopopeia possunt habere, quod etiam si essent animata Anima intellectuali non informante, sed solum adsistente, & mouente, vt explicat Sanctus Thomas in quæst. 70. 1. par. conciliando Basilium, Damascenumque cum Origine, & Hieron. Platonizantibus. Igitur concluſi, non esse colenda, nec quidpiam sciri certi, an sint animata:

Etiam si animalia colerentur, coli non debent Sidera.

Deb. Iud. 5.
Hab. 3.
Bar. 3. dicit Stellæ dederunt lumen in custodiis suis: lætatæ sunt, & vocatæ sunt, dixerunt, Adsumus, & luxerunt cum iucundicateei, qui fecit illas.

Teleſius enim probat nec aſſiſtentes, nec informantes Cælis ineſſe Animas intellectuales, licet falli poſſit: Nihilominus propter populi inconſtantem ſtultitiam, & dogmatis incertitudinem, cùm à Deo non ſit reuelatum expreſsè, ſubticetur. Quin non minori ſapientia, ac magnanimitate adoratur Deus in ſe ipſo, quàm in his ſtatuis, imaginibuſque eius viuis: ex quibus poſtmodum elabi poſſumus ad cultum ſtatuarum inferiorem, vt Ægyptiis euenit. Quamobrem Moyſes, ipſis obſiſtens, cultum illum totum penitus ſuo prohibuit Populo, quod & conſilio Dei factum eſt.

Quintus gradus Gentil. ſini.

XXIII. Alias percurrens leges, in illis erroris inueni minus, qui Deitatem colunt incorpoream. Sed quoniam vident in Mundo contrarietatem, & bonum, & malum, quæ ab eodem procedere non poſſunt; duos ponunt Deos, alterum Cæli, alterum Terræ, vt Manichæi olim, ac hodie Tartari apud Sarmacandam, & Balduc, qui colunt Deum Cæli, à quo bona Animi & Cæleſtia petunt, & Deum Terræ, à quo bona corporis & terreſtria. Manichæus aſſerit Deum malum feciſſe legem Moyſis, & malum, & tenebras: Bonum verò legem Chriſti, & bonum & lucem; Et Simon Magus alium præficit noſtro Deo. Chinenſes pariter colunt Dæmones pro bonis terreſtribus impetrandis, & ne ſibi malefaciant: & in priſcis ſæculis apud Nationes vſurparunt ſibi nomen Deorum inferorum, & cultum; Et in Braſile, & Iapone inuenitur idem penè cultus erga eos: & Porphyloquitur de Diis bonis & malis, & Platonici omnes. Triſmegiſtus admiratur hominis præſtantiam qui ſtatuas animatas faci., & Deos, reſponſaque accepit ab eis. Hi oracula dedere, & quod placuit eis, fecere, vbi Chriſti lex ſeminata non fuit. Vnde Plutar. de ſilentio oraculorum cauſas rimatur inualidas & inanes: quas Chryſoſt. veras in Chriſto deprehendit, vt & oracula noui orbis, vbi Chriſtus annunciatus non erat, nos docere non ceſſant.

Hiſtoria veri experimenti, quod Dæmones, & Angeli ſint, &c. Plin. lib. 27.

Equidem Examine preſſo hanc ſcientiam ventilaui, admiratus quomodo Dæmones appareant multis, aliquibus verò minimè, quos ſcio perambulaſſe per loca tenebroſa, & ſtudioſa cruta indagaſſe & quomodo Nero plurimorum Magnorum opera vſus, vt videret eos, quod maximè capiebat, non potuit quidem vnum, vt Plinius refert. Ariſtot. verò irridet aſſertores Angelorum, & Dæmonum; ſed Deum ponit Animam primæ ſpheræ, & tot Angelos motores, quot ſunt ſpheræ. Inferiora verò nil ab eis gubernari, niſi ex conſequenti. Quin in libro de Mundo; *Si Deus curat*, ait, *inferiora, non indiget miniſtris, vt Rex Perſarum: quoniam Deus poteſt vbique & per ſe operatur omnia ſufficienter. Miniſtri verò indicium ſunt imbecillitatis.* Sic deprehēdi Peripateticos ferè omnes negare Dæmones eſſe: & quidā Ant. Mirand. qui ſcripſit de euerſione Monomachię, irridet Angelos, Dæmones miracula, & Deos, ſed cum Ariſtotele ſentit, quem putat non poſſe errare: & ſoluere conatur

prorſus

prorſus argumenta contraria, & in fine ponit tanquam commiſſuram, quòd credit ini Theologia aliter, vt Chriſtianus; palam oſtendens, ſe nihil credere in Chriſtum, niſi propter timorem tribunalium; Ariſtotelique erranti, tanquam Deo, inhærere, ſicut Auerrois. Multi quoque præſentis ſæculi Scriptores in hoc errore verſantur. Quapropter ipſe magno arſi deſiderio experiundæ huius veritatis: quod tandē nō ſine Dei prouidentia, ex eo malo operante mihi bonū, aſſecutus ſum. Aſtrologus quidam ingenuæ probitatis, Aſtrologica ſuperſtione Haly Abenragel curiosè prouocatus, nondùm expertus doctrinā ſanctorū quod in omnibus vanis obſeruationibus ſeſe ingerit dæmon: ex geneſi cuiuſdam iuuenis idiotæ argumentatus illi appatituros intellectus abſtractos, quamuis id nec ipſe crederet, experiundi gratia quod Plin. & Ariſt. contra dogma Chriſtianum falſum eſſe docent: inſtruxit inuenem quomodo inuocaret Angelos ſiderum, quos peripatetici ſolum extare concedunt: ad nos autem non deſcendere. Tunc iuuenis cæpit mirifica videre, & reſponſa accepit Aſtrologus per illum de rebus grauiſſimis, & qui apparebat ei Spiritus, ſimulabat ſe eſſe Angelum, & aliquando eſſe Lunam, aliquando ſolem, aliquando Deum. Sub his enim, & aliis formis apparebat inter ſomnum, & vigiliam. Veritates plurimas annunciabat. Multique apparuerunt; ſed paularim ad magis falſa pertrahere conati ſunt idiotam adoleſcentem; ſcilicet non extare inferos: & animas migrare de corpore in corpus, etiam brutorum, & plantarum; vt Pythagoras fortè credidit & quidam Phariſei. Nec liberum arbitrium eſſe in homine. Oracula dederunt futurorum euentuum, & aliqua ſic contigerunt. Dixerunt, non extare Diabolos in Mundo, ſed omnes eſſe Angelos, magis, minusque bonos, ſapientesque magis, & minus. Et Gentilibus reſpondiſſe per ampnibologiam eos, qui minori pollent ſapientia. Tandem amicus ſigna petit, ſicut Gedeon, per iuuenem. Pollicitus eſt qui apparebat: ſed exinde dolis vſus eſt incredibilibus, quò curioſum virum Aſtrologum dubitantem, & meliora conſulentem, ab illo miſero iuuene ſepararet. Quem deindè ſeparatum, vt libuit, deceperunt, & ad violentam necem pertraxerunt. Tunc alium virum præſtolantem promiſſa ante caſum iuuenis, ærumnæ atrociſſimæ ad maiorem experientiam tenuerunt diù, donec propriis viſionibus agnouit, quæ vix vnquam intellexiſſet, quamuis viri ſancti & philoſophi multi hæc aſſerant. Alloquuntur, inquit, inter ſomnum, & vigiliam, vnica voce, præſertim, cum quid mali paſſurus eſt, Hæc cum ille mihi, quem nec deceptum, nec me decepiſſe credo, communicauit, cognoui vera eſſe, quæ narrantur de Dæmone Socratis, & Genio Bruti: & hinc certus ergo experimentis omninò ſum extare Diabolos peruerſæ voluntatis: ſic etiam bonos Angelos. Et antiquos Gentiles ab illis nequam deceptos fuiſſe. Non

quidem facere possunt quidquid rogantur, ideò dixerunt decepto iuueni, omnes Deos fato subiacere; ipsum quoque iouem. Sic enim ipsum introduxit Ouidius, & Homerus. Itaque deceperunt Nationes omnes, quæ plures colunt Deos, & veluti homines pro Deis sese haberi faciunt per superbiam, vel quià putant non extare Deum: sic faciunt Dæmones. Vndè percepi ego, eos nihil posse miraculosum facere, nisi vtendo naturalium rerum viribus, & applicationibus. Et deceptos fuisse ab eis Magos imperitos, & mulierculas sæpius. Et quò liberius quisque peccet, negant infernum; Et quò clàm sit, eos ibi cruciari: vtque corporibus intermaneant humanis, transmigrationem fingunt Animarum. Et Cacodæmones decipere amplius satagentes, Astrologo per iuuenem interroganti de multis, dixerunt, quòd ipse scripsisset de libero arbitrio; sed rectius Caluinum (vtique ad illorum gratiam;) vnde de S. Augustino, & Chrysostomo simul interroganti an benè scripserint de libero arbitrio, non responderunt. Et quoniam ego semper pessimè sensi, & scripsi de Caluino, ex hac certa relatione, agnoui Caluinum esse Diabolorum instrumentum, quoniam magno illis est vsui: cum scribat Deum impellere sic ad malum, vt ad bonum, homines, tanquam instrumenta, & si spontanea, non libera; quibus repleat Infernum, & Paradisum. Vndè per ipsum sequitur, quòd Deus sit peruersior Diabolo; aut quòd peccatum non sit peccatum; vt dicunt libertini. Quod per Philosophiam examinatum, stultitia deprehenditur impia. Non enim differentia esset inter scelestum, & sanctum: & inter sapientem, & ignatum: & Cæsar, & Moyses, & Melchisedech pares essent Parasito, & Circulatori cuiuis: imò inferiores. Circulatores enim delitiis fruuntur magis. Præterea manifesta est differentia inter vitium, & virtutem; omnemque actum, qui nos destruit, aut Rempublicam, aut eius partes vel ad destructionem disponit, peccatum esse contra nos, aut contra Rempublicam. Qui autem conseruat, meritum, iustitiamque. Hosce, negantes peccatum, quilibet verberare deberet duriter; & eis vindictam negare: quoniam vindicare non debent id, quod non est malum, & culpa. Oracula Græcorum, & Ægyptiorum, & Persarum, & omnium Gentium extare Diabolos manifestant vbique Terrarum. Nec si Pythia aliquando dolosè mentita est, non sint qui respondent ea quæ nemo scire posset. Porphyrius præterea, & Plutarchus, & Scriptores multi, Dæmones, & Angelos extare norunt; & qui afflantur Dæmone, idem conuincunt. Responsa etiam à Diabolis in corporibus obsessis femellarum idiotarum, loquentibus Latinè, Hebraicè, aliisque linguis, indicant extare Diabolos, quod doctus L. Ananias curiosissimè expertus est, & Philippus Columna Dux, & Magnus Regni Neapolitani Comestabilis,

Ex his nosce quantopere curiositates superstitiosæ & Aristotelicæ damnandæ.

prudentia, & probitate clarus, teſtatur, quòd ſe preſente exiens expulſus Dæmon, lampadem longe diſtantem extinxit iuſſu Exorciſtæ, & Patauii cum ibi moraret, pulſauit campanam & multa huiuſmodi ſatis probant dubitantibus, extare Dæmones. Item Paulus Grillandus. Bar. Spina, Amb. Vignates, Volfangus, & alii multi Inquiſitores publicis libris experimenta innumera coacer uauerunt, vt qui hoc negant, hiſtorias & teſtes, contra naturæ ius negare conuincantur. Nec enim quia in multis atrabilioſis ægritudo eſt ſimilis demonoplexiæ, non datur dæmonoplexia, quæ tot ſignis mirificis, atræbili nullo pucto congruentibus, comprobatur, & tandem ſi vis, ô Macchiauelliſta experimenta certa, vade ad S. Antoninum Surrentinum: qui reſpondet Oraculis, ſoluit ligatos ad columnam; fugat Dæmones, cogitque fateri mirifica, & quidquid poſtulas.

Quapropter ego experimentis jactis argumentatus ſum efficaciſſimè, quod non ſit Deus verus & primus alius, niſi vnus, ſed Dæmones vſurpando diuinitatem introduxere pluralitatem. Et in ſuperioribus iam ſentire profeſſus ſum, cælum terramque à conſimilibus poteſtatibus actiuis conſtituta eſſe, ideſt à calore, & frigore, ambobus actiuis, corporeitate concretis, diffuſiuis, proſentientibus: & contrarietatem ſuboriri inter ſimilia propter amorem eiuſdem boni inſufficientis vtriſque: Vnde Rex Regi contrarius, non Dauo: ergo conueniunt in aliquo. Ergo extat cauſa eis communis, à qua conſimilitudinem habent, dependentque. Ergo Cælum, & Terra ab vno Deo. Et mox dixi, non poſſe Mundum ex contrariis compoſitum ſubſiſtere abſque vna principe cauſa, colligente contraria, ipſorumque pugnam temerariam ad productionem rerum artificioſè ordinante. Argum. ex hiſtoria prædicta. Et Reſp. ad Manicheos, & Catainos

Nec propter omnipotentiam Dei, ſed propter ordinem extant Angeli, & Dæmones. Si enim Ariſtotelis Ratio valeret, neque Angelos oporteret ponere, quos ipſe ponit Motores ſpherarum; ſufficeret namque Deus mouere omnes abſque miniſtris: nec opus eſſet Sole in Mundo; Deus enim poteſt per ſe omnia colluſtrare: ſic etiam calor tollendus eſſet, omneſque cauſæ. Ergo conueniunt maieſtati, non indigentiæ. Aſſerendum ergo eſt, quòd totus expertus eſt Mundus, extare Angelos, & Diabolos, variis muneribus à Deo deſtinatos, & Sadducæos multum erraſſe in hoc. Deumque eſſe cauſam bonorum cæleſtium, & terreſtrium, cum Mundus ſit vnus, vnumque modo Principem admittit Quin videmus Cælum influere Terræ virtutes parturiendi bona terreſtria, & vtrumque colligatum eſſe ſub gubernatione vna, ergo ſunt ab vno. Reſp. ad Ariſt. & Sadducæos.

XXIV. Si ita non eſſet, lex Chriſti etiam à Diabolo eſſet, quoniam in terra Deus malus ſolus exercet dominatum. Quod

si ais; Deum bonum in terra per Christum occupasse partem Regni contra malum: condemnas te ipsum, ô Manichæe. Christus enim allegat sententias multas scripturæ Mosaycæ, tanquam diuinæ, & dicit Moysen de ipso scripsisse; & in Prophetis fuit premissus. Ergo est idem Deus. Item idem Deus, qui Moysi comparuit, allegatur à Christo. Quòd si putas Euangelia depravata esse, depravatus es tu. Non enim bonus Deus, passus est malum in scriptura sua, vt & tu decernis; sed de his alibi.

Magnopere deinde animum meum vellicabat, quòd Moyses non loquutus est de creatione Angelorum, & Dæmonum; propterea que Sadducei eos esse negant, & Iulianus Moysen incusat; Platonique postponit: quia eorum Creationem docuit in Timæo, Moses vetò tacuit. Id etiam maxime exagitauit me, quod Moyses expressè nusquam promittit Paradisum, & Infernum post mortem, sed tantummodo bona, & mala temporalia; sed nec Prophetæ id tam apertè promiserunt, vt animis curiosis omnibus satisfieri queat. S. Augustinus accipit sermonem eius mysticè, vt, cum dixit, *Fiat lux*, intelligatur natura Angelica; sed hoc non satisfacit, quoniam dogmata fundantur in sensu litterali: ideo Hieron. dicit, à Moyse præsupponi creationem Angelorum multis ante sæculis; sic Basilius, Nazianzenus, Damascenus, Chrysostomus, Cassianus, & Origenes, & Græci omnes, & Ambrosius, Hylarius, & alij, quos D. Thom. Canoni decretalium conciliat. Sed hoc nihil ad præsentem causam. Sed palam deinde Moyses meminit Angelorum, & Dæmonum in serpente, qui decepit Euam: & de Angelis qui apparuerunt Abrahæ, & Lots: & in Iob de Satan, & & de Angelis sæpe loquitur. Hunc autem librum Moyses scripsit. Ergò hoc silentium non debet suadere, quòd non sint.

XXV. Quòd verò ajunt: Propterea non promisisse bona, aut mala post mortem, quod populus rudis erat, & puerilis, qui malis bonisque præsentibus tantum in officio detineretur, non satisfacit Politico. Nam Salomon in Sap. vocat *Populum sine querela, Sanctum & Sapientem*, aliis comparatum populis. Nihilominus Chaldei credebant Infernum, & Paradisum; & Plato, & Pythagoras, & Græci omnes, & Romani: & Salustius refert, Catonem exprobasse Cæsari hæresim, quòd nimirum non crederet Inferos extare. Quapropter dixi adhuc inquirens; si omnes Nationes rudiores hanc fidem habebant, debebat saltem, nisi alia subest ratio, Moyses inter, vel post præmia, & pœnas temporales, addere semel æternas, quæ vim maiorem habent ad mouendum animum, eoque magis iunctæ temporalibus. Alij cogitare possent Esdram instauasse perditas Scripturas, idcircò diminutas esse, & mancas. Sed ego comperio Esdram commemorare pœnas, & præmia post mortem, & loca mortuorum, & resurrectionem mirificè in lib. 4. Quod autem eius sit, alibi declarauimus.

Idcircò cogitaui, veram esse doctrinam illam, quòd tunc vsque Cæli Ianua aperta non erat. Et, quia Deus facit opera sua ordinatim, & oportunè, spectabat ad Christum ea aperire: & huius veritatis notitiam expressè reuelare; quam Moyses mysterio deseruiens non explicauit tam manifestè, vt relinqueret Christo munus proprium: præterquam quòd id erat alias tam notum, vt non indigeret exprossiori reuelatione pro tunc. Nam quia ante Christi aduentum deponebantur Animæ in Lymbo; dicebat Iacob, & Iob, *Descendam ad inferos.* Et quoniam aliæ Nationes doctrinam de peccato originali ignorabant, putauere beatitudinem esse apud Inferos, & in campis Eliseis, qui est Sinus Abrahæ: Infælicitatem verò in Inferiori Tartaro; quoniam Abraham cæterique Sancti Patres, & Heroes eo in loco detinebantur. Item Ezechiel loquitur de lacu in quem descenderunt Rex Tyri, Rex Ægypti, & alij post mortem, & & sermones inter eos narrat. similiter Zach. de vinctis in lacu. Et huius arcani publica, vt puto, reuelatio erat in Mundo, deriuata etiam ad Poëtas, & leges Gentium. Vnde Iob, cuius librum à Moyse scriptum credimus, loquitur de Inferis, & de fluuio Cocito, de resurrectione mortuorum: sic Sapientia, & Ecclesiasticus palam. Prophetæ autem mysticè, sed in lib. Regum historicè. Vnde & Phariseorum, & Essenorum secta hanc fidem indubitanter confitebantur. Christus autem multos Prophetarum locos, id docentes, exponit. Attamen quoniam ab antiquo fides Gentium omnium erat de Paradiso, & Inferno, & Purgatorio, sicuti Socrates, Plato, Pythagoras, Virgilius, Homerus, aliique testantur: At non omnibus aduentus Messiæ notus erat: vel ignotum erat, quòd ad ipsum pertinebat primum esse, qui in Cælum ascenderet; Idcircò scripserunt, Heroes quosdam, non in Campos Eliseos, sed in Cælum, extemplò fuisse assumptos, vt Romulum, Cæsarem, persimilésque. Hæc autem mysteria velauit Moyses in lege, quia tempus non dum erat: at in Iob clarè docuit, & simul Animæ immortalitatem; quam falsò putant ab ipso negatam Manichæi, & Sadducæi: addiditque corporum resurrectionem.

Nec existimandum est, Diabolum esse causam per se, à Deo non dependentem, & plura Regna possidentem, & potentem super nos plus, quam Deus. Nam & si Homines cunctos sub ditione sua haberet, nihil sunt cõparati Angelorum multitudini. Porrò asserendum est, Diabolum esse carnificem, & lictorem Iustitiæ Dei; non autem competitorem, vt vulgus opinatur. Cum enim Deus reos punire deberet, idque per se nollet, cum sit procliuior ad miserandum, quam ad puniendum, nec à bono in quantum bonus, sed in quantum iustus punitio sit, quoniam optimus est, ac suauissimus; ideo hoc munus Dæmonio demandauit peruerso; in quo relucet Dei potestas in modum punitiuum, vtens etiam in bonum peruer-

Resp. ad argum. cur Diabolus plura possidet quam Deus.

sitate exequutoris.

Diabolus autem hoc munere gaudet. & qui secum torquentur, blasphemant Deum secundum qualitatem, quam ipsi affingunt in imaginatione sua; non secundum quod in se est. Hæc autem est cælicolis comedia; & sicut qui sibi scabiem, & alopeciam scalpunt vnguibus, aliquam capiunt ex hoc voluptatem falsam, & sibi plus malefaciunt scalpendo: sic Diaboli, ac Damnati *metaphorice* gaudent malefactis, & pruritu quodam perfusi, maledicentia quasi perfruuntur. Hoc autem in eis pœnam adauget, magno, & vero, cum gaudio Beatorum.

Et profectò hæc crudelitas Reip. necessaria est ad reprimenda vitia, & fouendas virtutes, clàm, & palàm. Etenim veluti mendacium impedit bona particularia, & communia in politia, homines deprauando, nec subsistentiam habet, neque potest super mendacio Resp. vlla fundari, aut stabiliri: sic è contrà veritas palàm, & clàm prodest; facit homines probos; & ad omnia vtilis est, & in omni euentu subsistit periculis, probationibúsque cunctis.

Religionis dogmata etiam politicè necessaria.

Item Iustitia Dei deficiens mutiláque foret, si pios morientes pro Dei defensione, Rationísque, & virtutis, non manerent præmia in alio sæculo: Neque impios, in hoc gaudentes, & præualentes, pœnæ. Fama enim non esset ipsorum præmium, cum sit illis prorsus extinctis ignotum. Multi autem nulla relicta fama, sanctam obiere mortem. Achilles autem, & fabulosi homines, qui nec in Mundo extiterunt, aut sceleratissimi fuerunt, fama glorioſa diuturnáque donati sunt.

Item ex Dei Iustitia.

XXVI. Nec profectò hæc fides Legislatorum astutiæ, vt putat Auer. tribuenda est; qui vt Varro scribit, quò leges ipsorum obseruarentur, suadebant timorem, & spem pœnarum, & præmiorum post mortem: seque ipsos Deos faciebant, suáque corpora occultari post obitum prouidebant: & cum Deo se loqui, & leges accipere ab eo simulabant, sicut de Romulo, & Numa, & Minoe, & Pythagora, & Mahometto, & Zamalxi legimus. Nam hæc credulitas Inferni, & Paradisi, & Purgatorij, conformis est Iustitiæ Dei, & voluntati bonorum; & stabilita est miraculis, martyrio, & visione. Credulitas autem Deorum falsorum odiosa est Philosophis, iustitiæ; voluntati, & iudicio piorum, & sapientum, politicæ vitæ, quæ per illam vilescit, & scinditur, vt dictum est. Non ergo pari passu incedit fides de Paradiso, & Inferno, cum fide de Diis.

Dogma de præmiis pœnisque post mortem non esse Legislatorum astutiam.

Plato in lib. de voto. Trism. in Pym. Cic. de legib.

XXVII. Item veritas iam patefacta est contra falsos Deos: & semper crescit in fauorem alterius sæculi. Tot autem falsitates prosunt; vt cognoscamus necessitatem aduentus Dei in terram, prophetati vsque à tempore Enoch. Socrates quoque, & Plato, &

Cicero præstolabantur quandam instaurationem diuini cultus; & omnes nationes; vt per Sybillas innotescit.

Resp. ad argumentum, quod Christus vere nos liberauit.

XXVIII. Nunc ad eos sermonem dirigo qui dicunt Christum non liberasse nos à Diabolo. An non vides olim orbem totum coluisse Diabolos, hodie verò neque Mahomettanos agnoscere, nisi vnum Deum? Gentes autem omnes, paulatim ad fidem Christi reducuntur. Et ignorantia alterius sæculi sublata est. Et differentiæ inter peccatum, & non peccatum; positusque est in terra modus, & vsus vincendi Diabolos sancta doctrinâ, non contentiosa (qui corrumpunt eam, illis væ) & patientia, & probitate, conteruntur arma; & Imperium Romanum euersum est, & Idola eius; positúmque est Romæ Solium Christi ab idiotis Piscatoribus mirabiliter: totúsque Mundus paulatim fermentatur, vt Christus prædixit. Conueniebat Deo opera sua facere non per vim. Qui ergo saluatur propria voluntate, à Deo id habet, & saluatur per gratiam Dei indeficientem. Qui lucem renuit auxiliúmque, propria cadit prauitate. Christus lucem miram dedit, & legem immaculatam omni loco, & tempori conuenientem. Et quidquid pollicitus est, factum est, & fit. Et quamquam nos iacturam multam fecerimus in probitate, & fide, quam docuit; ipse quoque & id prædixit, vt mox patebit. Quidquid autem possidet Diabolus, non est suum, sed depositum diuinæ Iustitiæ.

Nunc libra omnes Mundi Religiones cum ista, & videbis tantum distare eas ab ista, quantum Auricalcum ab Auro: quod impius Boccaccius non considerauit, nec qui de tribus impostoribus scripsit.

APPENDIX.

De causa mali, ex Metaphys.

OMnium veritatum examinatoribus origo mali pernoscenda est. Quoniam enim ignorabatur tot malorum, quæ in Mundo sunt, origo, & causa, alij negarunt Deum esse; putantes impossibile, & inconueniens, si Deus est summum Bonum, fieri, vel permitti tantum in orbe malorum, vt Epicurus, & Democritus. Alij negarunt prouidentiam Dei in rebus inferioribus, vt Arist. & Auer. Alij posuere Deos duos, vt Manichæus, & Symon Magus. Alij plures, quibus varia mala, & contrarietatem, & bona tribuerunt; Alij omnem transcendentes impietatem asseruerunt, eumdem Deũ efficere mala, & bona, & esse in nobis causam efficacem, ita ad

Omnes errores Politici, & Theologici ex hoc quod causa mali ignoratur.

peccandum, vt ad bene agendum; nos autem libertate bene vel male operandi priuarunt, vti Lutherus, & Caluinus, ab Alcorano edocti. Quos Cicero cum suis Stoicis religiositate præcellit. Dum enim soluere argumentum non posset; vnde nam malum oriatur, statuit potius negandam esse prouidentiam in his, quæ pertinent ad arbitrium hominis, quàm Deo peccatum imponere, & libertatem humanàm negare, omnibus manifestam sensibus; vt patet in lib. de Diuin. licet alibi vtrúmque asserat. Damasc. etiam eximit liberos actus à prouidentia, sed determinatiua necessario, vt exponit D. Thom. 3. contr. Gent. Alij vero negarunt extare malum, omniáque posuere indifferentia; excepto vitio, vt Stoici. At Libertini recentiores considerantes ex doctrina Caluini sui Deum esse causam mali, dixerunt Deum facere quidem malum, sed malum non esse reuera aliquod, neque peccatum, quandoquidem à Deo fit. Et hi minus impietatis redolent, quam Caluinus: excusantes Deum. Alij putarunt mala euenire propter peccatum ante corporationem Animarum commissum, vt Origenes, dum quærit excusare Deum, & Manichæis respondere.

Has cunctas examine presso per Metaph. discussi opiniones; & vidi, non extare malum vllum nisi peccatum, & vitium: Calamitates verò & mortes, & generationes, & dolores, & corruptiones, posse in malum, & in bonum reuerti, prout ea capessimus, & vtimur bene, vel male, vt Stoici asserunt. Et quia non potest in Mundi partibus non esse distinctio, neque productio rerum variarum, nisi adsit contrarietas elementorum: Ex contrarietate autem illa deriuantur, quæ mala putamus: ideò non posse non esse malum, stante huiusmodi ordine. Sed verò contrarietatem esse, vt sic bonam, & duraturam, donec rationabile est apud Deum. Deinde vidi vitia, & peccata moralia carere essentia, & esse deficientias, & Deum concurrere ad quodcumque esse, & actionem quamcunque; quoniam est diffusio esse. Non autem sic ad non esse, & ad passionem, & ad mortem, & corruptionem, quæ sunt defectus Esse; nisi permittẽdo corruptionem & mortem, & passionem, quatenus, & dum, concurrit efficienter ad generationem, & vitam, & actionem, quæ ad illa consequuntur, & in illis includuntur. Quinetiam calor dum occidit frigus, aliud nihil facit, quàm calefacere materiam, in qua inest frigus. Ergo actionem, quæ est calefacere, facit per se: at per accidens sequitur passio, & mors frigoris; quæ non à calore emanat, sed à Nonente, & eo quod frigus non est calor; vnde fit, vt secum permanere non possit; sic enim esse, & non esse manerent simul.

Hinc plane comperi, Deum non cõcurrere ad malum, nisi permissiuè, si permissio cadat super voluntatẽ, faciendi quidquid libet, non superpeccatum: & malũ non habere causam agentem, sed solũmodo defi-

do deficientem: peccatum, verò esse nihil, id est defectum boni maioris, & abusum ipsius boni. Quia nos, amplectimur minus bonum, & apparens, ipsumque anteponimus maiori bono, & vero contra Regulam Dei & Naturæ; Et quatenus est actus, & motus ad bonum, non esse peccatum, sed entitatem: quatenus verò est defectus, & tendentia ad ipsum minus quod est in illo bono, peccatum esse, & annihilationem partim peccantis. Et formaliter (vt aiunt) esse nihil, materialiter ens. Hoc autem accidit nobis ex defectu potentiæ, vel sapientiæ, vel voluntatis; sed non imputari in peccatum, nisi ex defectu voluntatis, quia ipsa præsupponit posse, & scire. Et tunc solum completè peruersa est voluntas, cum potest, & scit melius eligere, & melius facere, & nihilominus eligit peius; vel minus bonum. Malum enim quà malum eligi non potest, necà Creatore, nec à Creaturis.

Non ergo existit dualitas Deorum; Sed Ens, & Non Ens sunt proprincipia Metaphysica: Et qui adhæret Non Enti peccat, id est, bono, quod minoritatem habet: & Non Ens sapit, comparatum illi, quod Deus tibi, tanquam melius proponit. Non Enti enim in quantum Non Ens inhærere animo non possumus, nisi ei substernatur aliquod Ens. Vnde priuationem vocat malum D. Thomas, & Dion. non malè. Ergo furari, & mæchari, physicè bona sunt apparentia parua: Non Entis participia: modicum afferentia fructum, & satisfactionem falsam, vilem, & exiguam, & breuem. Deinde verò trahunt, secum commistum malum, pœnitentia plenum nimis. Fallaciæ autem nostræ, ac deceptionis, causa est confusio mali cum bono. Si enim separari possent, peccatum committi non posset. Vllum malum enim per se diligi non potest; neque odio haberi bonum. Sed per accidens, quia commista sunt, dum complectimur minus bonum, quo cum inest maius malum, peccamus, contrà Deum, & naturam, qui ostendunt, iubentque aliud bonum verum, maiúsque. Amplectentes autem illud malum, quod secum affert multum bonum, vt medicinas, pœnitentias, & labores, meremur, vt palam est in omni arte. Malum autem essentialiter non extat, nisi respectu particularis Entis, vt dictum est.

Hinc innotescit qualiter Deus concurrit ad peccatum, in quantũ habet existentiam, & bonitatem substratam; sic ad peccatum naturæ, vt ad peccatum moris. Non autem concurrit, quatenus caret existentia, & bonitate vera; Estque ordinis rationalis defectus.

Deinde consideraui contra Tartaros stultum esse arbitrari, quòd bona terrena non dependeant à Cælo, cum videamus à Sole, & Stellis, Terram immutantibus, cuncta Entia nostra produci. Ergo idem Deus est vtriusque Elementi. Diabolus autem non est

Dominus, sed lictor miser; tentatque nos ad faciendum malum, quoniam ipse malus est, non natura, quoniam à Deo bono creatus est, sed voluntate peruersa: gaudétque similes habere. Hoc autem in nobis ipsis experimur, cum sæpè possumus, & scimus benefacere, & tamen potius eligimus malefacere. Autuma ergo idem euenisse Diabolo; Deúmque permisisse; quem posteà, malum effectum, voluit ad iustitiam faciendam vsui esse.

De hoc casu Diaboli Moyses loquutus non est, neque Christus, nisi parum; quòd scilicet, *Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, &c.* Sed hoc scimus per traditionem, & historias Nationum omnium, & per sensus Scripturæ sanctæ mysticos, & per declarationes Apostolorum. Nos autem in tenebris versantes maximum finem horum ignoramus, quem diuina intendit prouidentia; & timor errandi, audaciam inuestigandi, & loquendi aufert.

Hoc addo, peccatum non esse à Deo, neque partem liberi arbitrij; sed oriri ex Nonente, ex quo facti sumus, traducti que ad esse per virtutem primi Entis. Posse autem peccare est impotentia, qua magis possimus inniti bonis exiguis participantibus Nonens, & non esse bonum; quam magnis participantibus plus Entis, & esse bonum. Nos enim quatenus sumus, ad Esse incedimus; quatenus non sumus (& quidem innumeræ res non sumus), currimus ad Non esse. Sic facit Diabolus, putans melius esse non subiici voluntati diuinæ, quàm subesse: Quòniam amor proprius essendi per se, & à se, quod quidem nihil est per se, & à se, sed per Deum, & à Deo, decepit illum; sicut & nos decepit, exorbitantes à regula primi Entis, per eius verbum, Rationemuè manifestata. Non ergo datur Deus mali, neque malum, nisi respectiuè: & omne malum est minus bonum: quod id ipsum concludit simul cum nihilitate sua: quæ non facit causam existentem. Vide Metaphysicam.

Ioan. 8.

EXAMEN CVLTVS DIVINI

exterioris ſecundum Religionem Chriſtianorum, & aliarum Nationum, per indaginem certiſſimam, cum conſonantia ad naturam bene inſtitutam, & reſtitutam, voluntatem rectam, & Sapientiam veram; ex quo probatur cultum, & ſacrificium Chriſtianum eſſe rationabile in ſummo gradu: & de Sapientiæ diuinæ præſentia in Euchariſtia.

CAP. XII.

QVEMADMODVM naturale eſt hominibus, poteſtates, ſuperiores ſe, cognoſcere: explorare cæleſtia, & horum effectus: & primam inquirere cauſam, ex qua omnia deriuantur bona, & nos dependemus, de inſtinctu & iure naturæ eſt: ſic etiam eſt colere ſuperiores: maximè autem cauſam primam. Quoniam verò iſthanc Potentiſſimam, Sapientiſſimam, & Optimam eodem cultu, qui cæteris tribuitur, honorare, ignorantia impia foret: propterea peculiaris modus ipſius venerationi adhibendus eſt: & quoniam ab ipſo omnia bona procedunt, res meliores, quas ab eo accipimus, à cunctis Nationibus eidem dedicatæ, oblatæque fuerunt. Nec gratiorem comperterunt, quàm animalium frugúmque, ex quibus viuimus, oblationem. Significantes enim ſe ſe à Deo omnia recipere bona; Idcirco illi in ſignum eadem offerunt: quæ optimo iure poſtmodum in Sacerdotum Deo viuis animis ſeruientium, cedunt vſum.

D. Thom. 3. cont. Gen. cap. 119. *Non ſolum homo inſtinctu naturali cognoſcit ſe obligatum colere Deũ ſed etiam colere ſuo modo, ideſt per actus exteriores.*

At verò impia, ſtultáque cogitatio eſt, quòd Deus largiatur nobis gratias ſuas, & placetur, ignoſcátque peccatis, propter exteriora tãtũ ſacrificia noſtra, niſi ad interiora ordinentur. *Num quid ait, mãducabo carnes Taurorũ &c.* & *Non qui dicunt, Domine, Domine, &c.* Neque enim homo magnanimus placatur donis, ſi intelligit ſe non amari à Donatore, vel non libenti animo ea dari; præſertim cum non indiget. Ergo ſacrificium vtile eſt, quando exhibetur in ſignũ ſacrificij

Actus exterior Religionis ordinatur ad actum interiorem, qui eſt per intellectum & voluntatem: propterea exteriora ſignificãt intellectui, & afficiunt voluntatem: ex D. Thoma p. 2. q. 99. ar. 3. Pſal. 49.

animi intrinsecùs: vnde Plato relegandum præcipit ex sua Reipub. Versiculum illum.

Matt. 7. De Iusto dial. 3.

Munera crede mihi placant hominesque Deosque.

Quoniam verò certi sumus, nos à Deo nihil excellentius accipere, quàm animam: hanc offerendam illi censeo, & sacrificiis exterioribus protestandum; populúmque hoc sensu imbuendum.

Sacrificatio sui ipsius est potissimum sacrificium notum omnibus.

Quapropter palam fit sacrificium maius in Mundo non reperiri, secluſa reuelatione diuina, quàm cum homo sacrificat se ipsum, dum fit Religiosus, & cultui diuino se totum dedicat. Et licet Auerroes reputauerit hoc ociositatem, quoniam Reipublicæ nihil prodest; ipse aliam vitam agnoscere noluit, & irrisui habebat Christum, & Mahomettũ suum, & cunctas leges. Nec putabat, orationes nobis prodesse, neque proinde Eremitam orantem pro Repub. vtilem esse; nec exemplum patientiæ, & sanctitatis innoxiæ in eo agnoscebat, nobis vtile, vt honestè, & sine noxa viueremus, & in timore Dei. Sine quo profecto timore à Sapientibus, piisque, bene refoto, benéque roborato, nulla potest subsistere Resp. neque secundũ Macchiauellum. Omitto, quod sæpè Deus flagella vniuersalia non immittit propter paucorum sanctitatem. Omnes quoque Nationes huic assenserunt sententiæ, nec frustra, infert Seneca. *Deum quoque preces humanas exaudire, manifesta nos experientia admonent.* Et quamquam ab æterno statuerit quæcunque facturus est, nihilominus etiam statuit faciendas preces, effectúsque suos per illas reuelandos patrandósque, veluti & frumentum dat multiplicatum, si tamen seminamus. Idcircò Hebræi Leuitas habuere, & Nazareos, & Pharisæos, aliósque Religiosos, diuino cultui addictos. Turcæ, Arabes, & Persæ, plures quoque ordines, qui se dicunt Religiosos, habent. Multóque plures sunt apud Indos Orientales; & Iaponenses habent plurimos, quos vocant Bongos. Christiani habent Clericos, & Monachos, & Fratres. Et vbique hæc gens diuino cultui mancipata, est suæ nationis pars sapientissima, & exempta tributis fiscalibus. *Filij enim Dei sunt*, qui vere Religiosi sunt: *ideóque liberi*, vt dixit Christus, quia mediatores inter Deum, & homines. Non veri autem apud Nationes sunt exempti, quoniam veri reputantur apud illos, Idem Arist. refert de antiquis Græcorum Sacerdotibus. Idem legimus de Romanis, & de Ægyptiis in Bibliis, & de Leuitis. Quin apud omnes aluntur decimis & stipendiis publicis, vel eleemosina: adeo præ cæteris hæc Reip. pars vtilissima existimatur, vel ex solo lumine naturæ. Si enim Sacerdotes non extarent, nulla prorsus Resp. subsisteret; quoniam non extaret Religionis doctrina, quæ est anima vnitiua propter diuinam vnitatem animorum omnium Ciuium, & consequenter corporum; & fortunarum. Nec populi obedirent legibus, neque Principibus, sublato Religionis metu: Neque Principes quod iustum est iudicarent,

Religiosi vbique exempti tributis, & præferuntur aliis de iure naturæ D. Tho. in 13. cap. ad Rom.

Religio est Anima Reip. non Princeps vt vult. Arist.

Tunc continuo erumperent Tyrannides, seditiones, schismata, crudelitates, excidia Regnorum, vt alibi ostendimus; ergo diuina res est Religio, non autem humana astutia, vt putant Macchiauellistæ. In Politicis.

Ergo primum sacrificium est animi, & ad hoc omnes obligamur. Secundum est nostri corporis, at non sine animo, quo Sacerdotes perpetuo sacrificati visuntur. Tertium est bonorum exteriorum, quæ offerimus. Et hoc est animalium aut frugum, aut supellectilium &c. At istorum nihil potest Deo placere nisi sit etiam signum interioris seruitutis. Triplex sacrificiū.

Posset cuipiam videri post sacrificium animi optimum esse sacrificium nostri corporis. Et reuerà sic est, sed non quando à nobis occiditur, vt mos est Mexicanis, Brasilienſibus, Peruinis, aliisque Barbaris. Imò & Romani, & Druides Galli, priscis temporibus huiusmodi sacrificio vsi sunt. Sed iste vsus profectò maledictus est, execrabilisque. Deus enim cum sit Pater noster, nostris malis non gaudet. Cum ergo malorum extremum sit interfectio, sacrificium illi acceptum esse non potest. Item ex hoc abusu inducuntur ad vescendum homines hominibus. Nec verò perniciosius quippiam reperitur, magisque naturæ aduersum, quàm carnem eiusdem speciei in propria specie manducare. Et quamuis Cati sæpe natos deuorent proprios, aliaque animalia carnes propriæ speciei, & vtiles sint, & sapidæ, vnde Diogenes existimauit non esse contra naturam manducare eos saltem, qui Bello, aut iustitia necantur: nihilominus hoc exemplum suadebit manducare quoscunque: & insidias in inuicem moliri multiplices in Tabernis, & Syluis; & corrumpere Iustitiam propter esum carnis, & pietatem, & humanitatem. Nec homo bestias imitari, sed rationem sequi debet. Existimandum est etiam quicquid nobis malum est exitiumque, displicere Deo, patri benigno, non crudeli: Cum præsertim videamus, Diabolos his delectari sacrificiis. Præcepit quidem Abrahæ sacrificare Isaac, quo nobis obedientiæ exemplum poneret. Sed deinde renuit impediuitque cædem. Quando autem decem de stirpe Saul vt placaretur ira sua ex peccatis Saulis: non quidem sacrificium fuit, nisi illo sensu Senecæ. *Victima nulla Ioui magis optima, quàm cædes Tyranni.* Occurrit obiectioni. Christus quoque permisit se occidi propter peccata hominum, vtque exemplum præberet moriendi pro ratione; & quomodo moriendo ita vincimus. Obtulitque seipsum in sacrificium, sed non in virtute eorum, qui ipsum occiderunt, tanquam impii, non tanquam Sacerdotes; sed sui ipsius: qui tanquam Sacerdos seipsum obtulit Deo. Et hac ratione quicunque propter virtutem moritur, est Martyr, & sacrificium Deo suauissimum, dum non hac ambitione, & per se, sed resistendo Tyrannis propter virtutem, se morti offert in honoris Dei, ac rationis defensionem.

IV. Posthæc respiciens ad sacrificia nationum Deo, facta, non inuenirem quid accuses, si creaturis non exhibent honorem Creatoris; sed ex effectibus manantibus tali ex cultu, & omni ex sacrificio, de illorum bonitate iudicium haberi potest.

Sacrificium animalium apud Iudæos qu d.

Apud Hebræos inueni Prophetas, ac viros olim sapientissimos, qui cum Deo loquuti sunt, & miracula fecerunt insignia. Vnde non potest eorum cultus, nisi rationabilis æstimari, Deoque acceptus. Erat quidem seruitus Dei plena cæremoniis, lauacris, oblationibus ita vt penè impossibile videatur, quòd ad expiandas tot contaminationes, in quas incurritur secundum legem ipsorũ, ob peccata, & ob alias causas, possint tot animalia educari, præsertim à pauperibus. Præterea semper apud ipsos suspicio, & scrupulus vellicat mentem contra sycophantiam Sacerdotum: quòd peccata desiderarent, vt sacrificia multa in eorum veniant vsum: & palam est, quod Populus sæpe sæpius quacunque ex causa à lege illa recedebat. Et Sanctus Petrus existimauit eam intolerabile iugum. Cognoscitur quoque ad tempus lata. Nam abstinere à carne suilla, vtile erat populo illi leproso, recens è seruitute liberato: Et in Palestina porcus non est salubris, sicut in Regionibus nostris: plurimæque aliæ ciborum abstinentiæ non prosunt apud nos, Vnde cognoscimus, Deum illam legem non ad perpetuum tempus tulisse, pro omnibus Nationibus: quandoquidem non omnibus, nec semper vtilis est. Vnde & extra Prouinciam, & templum Iudææ vetuit sacrificari. Ergo non est pro toto Mundo. Minus quoque decorum videretur semper sordere cibo & carnibus; & bestias tot in Ecclesia mactare. Deus autem condescendit, donec verus, & perfectus cultus reuelaretur. tunc enim ægre poterant vsum Aegyptiorum, & Gentium relinquere, vt Ierem. & S. Clem. docent, & de hoc inferius.

De Cultu exteriori Mahomettanorum defectus.

V. Mahomettana lex sacrificium non habet, nisi orationum. Sed hoc est argumentum impietatis; cum quia debetur Deo particularis cultus exteriùs in protestationem seruitutis; qui Solis conueniat Sacerdotibus, ad id consecratis: Tum quia à Daniele prophetatum est; quod Antichristus ablaturus erat sacrificium. Mahomettus autem est vnus ex eius magnis Præcursoribus, & Capitibus, vt in Prophetalibus docuimus, & inferiùs patebit. Oratio quidem communis est omnibus. Quid ergo opus est Sacerdotio, vbi non est sacrificium? Nunquid qui in ministerio Regis sunt eandem seruitutem exhibent, quam plebicula omnis? Item ex hoc sequitur, quod Sæcularis Princeps sit maior Sacerdote, non faciente aliquid erga Deum, quod non faciat Princeps. Hoc autem est contra legem naturæ, & diuinam, & humanam, vt alibi docui. Sed Caluinus Mahomettanus est in hoc. Præterea hic cultus Mahometticus non peperit homines supernaturales, & diuinos, & miraculorum, & charismatum gloria decoratos, qui per prophetias certissimas, ecstasim, & miracula declarent,

se cum Deo in eiusmodi cultu communicare. Quin apud Turcas, neque literati reperiuntur. Omnis namque doctrina, & disputatio veritatis ostensiua; illis odiosa est.

Mauri autem sicut & Turcæ habent Religiosos, qui carnes sibi incidunt amore Mahometti; alii oculos ignito calybe sibi obcæcant postquam viderunt sepulchrum eius: Res profectò irrationalis; quæ Deo non prodest, Reipublicæ nocet. Et sanctones illi Ægyptii & Fezitæ, qui per multos scientiæ gradus transeuntes existimantur postea impeccabiles, & subagitant quascunque palam obuias mulieres, & ab omnibus propter hoc magis coluntur, & admirationi habentur: nonnè manifestè indicant Religionis illius turpitudinem, scelestam: & irrationalitatem stultiorem, quàm Bacchi olim cultus, imitantur? Facinora non dissimilia Iaponenses Bongi, & Indi Sanctones committunt.

Abstinentia à vino Mahomettica, licet Religiosis sit laudabilis, nil prodest toti Reipublicæ, nisi fortè militibus, ne ferant impedimenta, & quacunque sint re contenti. Ob hoc enim ipsum instituit eam Mahomettus. Et circumcidit suos, vt diuideret eos ab aliis Principibus, quibus rebellabant; vtque attraheret Hebræos Circumcisione & Christianos, Baptismo. Pluribus enim vtuntur lauacris, quæ ad munditiam non essent inutiles; sed ad diuinum cultum superstitiones sunt: faciuntque hominem in his ludicris, non autem in vero Baptismo Christi Sapientiæ Dei, qui Animam, & corpus abluit, confidere. De Abstinentia à vino in Mahometismo.

VI. De Americanis cum admiratione audiui, quòd confessione peccatorum vtebantur; plebs Principibus, Principes Regi, Rex Soli confitebantur, Sol autem Deo, vt putabant: & panem quasi Eucharistiæ manducabant, formantes Idolum ex sanguine, & pasta, & distribuentes, & communicantes in illo, quem vocabant nomine Dei sui, æmulantes de Diaboli magisterio Christianum ritum. Vnde quoniam non sunt ritus ex cognitione veri Dei, nec eius instinctu, vel lege instituti, & irrationabiles sunt: cum palam sit esse commenta Diaboli, simię Dei: siquidem sacrificabant Homines, colebant Dæmones, multaque Idola obscena valde: vescebantur carnibus humanis: Sacerdotes se lanceolis forabant in obsequium Tyranni Dæmonis: habebant auguria, vt olim Romani: & cum defunctis res cariores sepeliebant: quibus in alia vita vterentur, & sæpè seruos, & vxores viuos, qui mos etiam apud plures Indos, & Tartaros extat, & Dæmonis nutu faciebant omnia isthæc, aliaque: palam veniunt reprobandi. De cultu Americanorum.

Plurimos variosque ritus diuersæ Nationes habent. Sed quia carent rationalitate de his alibi.

At vero Nationes cuuctæ præsertim Hebræi, & Mahomettani irrident, improperantque Christianis idolatriam in Sacramanto Eu- De sacrificio Christianorum.

charistiæ: opinantes impossibile esse, Christum esse Deum, & insuper manducari in pane: *vidi gentem comedentem Deum suum*, dixit quidam Maurus. Et argumenta Ieremiæ in gentiles torquere solent diabolico instinctu in Christianos. Nam ex eadem farina partem manducamus, partem facimus nostrum Deum. Huncque Deum Muscæ irridēt & mures & vermes, qui ipsum deuorāt: sæpéque vertitur in vermes: si ipsum non mutant noui panis consecratione. Subditus est igni: aquæ; latrones furantur pixidem aureā, in quo seruatur, ipsumque humi prosternunt: ipse autem sese non defendit. Ergo non est Deus. Item qui fieri potest, vt sit integer in singulis hostiæ particulis? at simul sit in Cælo & in Terra, & multis locis idem corpus numero. Attamen *Pie consideranti semper magis, ac magis suppetunt rationes ostendentes credibilitatem in mysteriis supernaturalibus*, D. Tho. ait, p. cont. Gent non semel.

Ex demōstratis, & creditis alia demōstrantur, credibilia esse.

VIII. Equidem post considerationem respondeo: inter Christiana dogmata, hoc de Sacramento difficillimum esse, nec aliud subiectum magis Hæreticorum blasphemiis, & stultis irrisionibus politicorum reperiri. Si certus non essem, à Christo institutum fuisse ex testimonio concordi quatuor Euangelistarum & Pauli Apostoli: & Christum esse verum Deum, & Rationem omnium primam ex iam dictis; nunquam ita philosophatus essem, vt huius rei credibilitatem inquirerem, & tandem acquiescerem. Et dixi. Procul dubio Christus est sapientia Dei, cui nihil est impossibile; & ipse dixit de Pane consecrato: *Hoc est corpus meum*. hoc necesse est fieri aliquam ingentem mutationem in pane, dum Sacerdos secundum Christum ordinatus eadem verba, prout ipse instruit in eius memoriam, cum vera intentione iuxta fidem Ecclesiæ profert (in nobis verò per ipsum mirificatis interior fit cum fide suscipientibus sacrum, mutatio, non autem ita & incrudelis.) Si vis tanta est in naturali Magia, quòd aliquando res ipsas immutat, vt testatur Auicen. præsertim in se: & nobis in 4. lib. de Sensu Rerum probatum est in eo, quem subitaneus timor subito canem fecit, & in aliis alia mira imaginatio & fides promit. Ergo cum fide supernaturali longe plus in nobis ex instituto diuino Deum hospitantibus: efficiet.

Prima Ratio ex testimonio.

Secunda ex minori ad maius.

Item si Rex (dicebam) qui nihil immutare potest secundum substantiam, solo verbo suo præbendo titulum Consiliarii, aut Marchionis alicui viro, efficit miram mutationem cogitationem, operationum, vestimentorum, & vitæ; longe maiorem mutationem in pane Christus omnipotens facere existimandus est: dum titulum sui Corporis cum veritate illi confert; veramque esse edicit transubstantiationem. Nec esse signum dumtaxat extrinsecum, sicut laurus in vinaria taberna, vini est signum, sed esse substantiale, sicut ampulla vini ante tabernam posita, est signum, quòd ibi vinum venumdetur, & vinum est. Huiusmodi autem, signum est Christo dignius. At etiā

Occurit Zuinglio dicenti purum signū

si non appareat extrinseca mutatio in pane, vt piæ locus fidei, & communicationi relinquatur, credibile tamen est valdè, quòd intrinsecus fiat: si Christus est potentior humanis Regibus ad suos titulatos transformandos.

Item dixi: Conuenit hoc diuinæ benignitati; vt quia natus est, & mortuus est pro nobis, amans nobiscum manere, reliquerit se ipsum in Sacramento, vt nos magis vniremur in illo sibi, & inter nos communicando, & manducando idemmet corpus omnes simul: quandoquidem sumus omnes simul corpus vnum mysticum suæ Reipublicæ; & in suo corpore vero, ab omnibus simul manducato, communicamus. Et quantò magis arcani huius altitudinem considero, tantò magis Deo dignam comperio. Porrò Resp. humanæ, quanto magis, vnitæ sunt, tanto magis referunt corpus vnum, conseruabile magis, secundum Platonem, & Telesium, & quemcunque Philosophum optimum. Ergo conuenit Christo suam efficere vnitissimam longe magis, quam describitur à Platone tota prorsus in communitate. Hoc autem vnum modo arcanum reperitur quod fiat interius vnitas præceteris maxima. (*Volo Pater vt omnes vnum sint in me*) ipse orando dixit. Pari modo qui coniurant in negotium egregium, vt fides, & amor inter eos copuletur, mutuo edunt bibuntque ex eadem mensa, & sanguinem interdum communem in eodem poculo bibunt, vt idem spiritus in cunctis communicetur, sicut Catilina cum suis coniuratis omnibus fecit. Igitur, quò Christiani fiant corpus vnum, cuius est vnus consensus, vnaque membrorum conspiratio, vt dixit magnus Hypocrates; magna sapientia fuit, sicut sciunt peritiores in naturali secreta sapientia, quam magiam vocant, talem inuenisse modum compaginandi, & vniendi, membra vnius Reipublicæ per corpus suum, sanguinemque vitalem hominis Dei; vnde nos deificat in eo, & vnit diuino amore in vnum spiritum Rationis diuinæ: aptiorem profectò, longe magis ad id faciendum, quàm per quamcumque, vel naturalem magiam.

Qui duobus, amoris conciliandi gratia, rem eamdem plenam spiritu in cibum dat, aut res duas amore vnitas, sicuti Columbas duas masculum, & fœminam: quoniam nutrimentum mutat in se partim nutritum, vt vinum inebrians ostendit, & caro bouis, qui comedit rapas, olet rapas: saltem symbolum producit. Carni ergo Christi, Deo vnitæ, quæ mutat nos in se, vim mirabilem inesse faciendi nos omnes vnam rem; cum sit ipsa eadem vna in omnibus, affirmandum est pariter. Nosque verò vt plurimum id non magis plenè sentire in nobis, quoniam ea fide viua caremus, quæ nos facit vnum cum eo, cui confidimus. Qui in meretricibus confidit, fit animo meretricius; qui prorsus Philosophis se credit, fit animo philosophicus: qui ergo prorsus in Deo, fit

Quarta ex requisita vnione reip.

Ioan. 17.

Cõfirmatio, ex magia naturali.

Confirmatio ab exẽplo eiusdem Magiæ

Occurrit obiectioni.

5. Experimento.

animo diuinus. Idcirco innumeri sancti homines, hoc Sacramentum sumentes, rapiuntur in ecstasim, vident mirabilia, absorbentur in gaudium, sunt Dei, ac proximi amatores. Nec carere possunt hoc Sacramento vlla die, vt S. Catharina Senensis, quæ plures menses hoc solo nutrita cibo perseuerauit. Et voluptate & ectasi afficiebatur, quando sumebat Eucharistiam hanc; quando autem non dabatur, mœrebat & affligebatur. Ecce Christi veluti Magiam supernaturalem. Omitto hic miracula multa, quomodo sanguis, & puer Iesus in eo sæpe comparuit: Et à perfidis laceratus manauit cruore, ad conuincendam perfidiam: non sui physicam passionem.

Recapitulatio responsionis ad argumentum.

Quapropter quando Ieremias irridet Deos ligneos, iure optimo id facit; quoniam ab hominibus fiebant ex eodem ligno, quo calefacti erant; illudque institutum erat humanum. At hoc est diuinum; & in virtute Dei peragitur mira transmutatio. Nec quia materia humana est, transmutatio à Christo promissa negari debet. Arca quidem etiam in veteri Testamento lignea erat, & quoniam Deo præcipiente facta est à Moyse, magna ab Hebræis, & ab ipso Ieremia obseruabatur reuerentia; Et quia Ozias ipsam tantummodo, & sine dolo, tetigit, perenssus est ad mortem propter temeritatem, & Azotici in partibus posterioribus. Nec tamen erat in arca illa transmutatio intrinseca, vt in pane sacro, sed solum habitaculum Dei cum hominibus. Nec quia Turcæ deridebunt nos, & Caluinistæ, & Hebræi, magni refert. Ipsi enim mysterium non perspiciunt, nec Christum esse sapientiam primam. At non irrideret Trismegistus, si viueret, neque Magi sapientissimi, scientiæ huius cultores. Tandem absque superna sapientia, & charitate viua, percipere hoc mysterium, & per experimentum saporis degustare, nemo sufficit.

De muscis & vermibus in Eucharistia quid.

Contumelia muscarum & vermium, & murium, potest de quacunque re sacra exprobrari. In omnibus enim Nationibus, & in Templis, & in Altaribus, & in Tabernaculo veteris Legis muscæ sordebant. Haud tamen id Deo, aut nobis, est ignominia. Deus profecto in omnia inexistit. Ergo nec mingere, nec excrementa emittere aliasque spurcitias licet, ne Deum offenderemus Id plane stultius est. Deus enim in rebus modo tam eminenti est, vt nihil ex illis contrahat labis. Inter res autem obscœnitas non extat, nec malum, nec immunditia, respectu Mundi, & Dei, sed solum respectu partium contrariarum. Quod nobis amarum est sordidumque, perplacet cani, & porco, & arboribus. Quod autem ipsis est immundum, nos mauducamus. Zipetium colligitur ex testiculis sudantis animalis, muscus quoque testiculus est Castoris, vt multis scribitur, frigus immundum videtur calori, non autem Telluri: Febricitanti aqua placet, quæ vinosis exosa est.

Porro Deus, qui est omnia entia eminenter, & causaliter, & vbique est, à nullo afficitur. Qui autem id non percipit, rudi, stultoque donatus est iudicio, qui omnia metitur proprio sensu crasso particulari, miseroque, non autem mensura entis & veri vniuersalis, & absoluti, quod Totum iucundum Toti est, vt in superioribus ostensum est sermonibus. Quapropter haud propterea, quòd bestiolæ contemnunt Eucharistiæ accidentia extrinseca; quæ etiam in vermes conuertuntur, materiæ vicem tenentes, aut comburuntur: Christus Deus pati quippiam existimandus est. Hoc autem faciunt bestiolæ, quoniam non cognoscunt illam rem, sicut nos, idcirco nec colunt eam reuerentia vlla. Omnis quippe natio eas reueretur res, in quibus religionem ponit: in quibus tamen aliæ nationes, & bestiæ, non credentes, aut nescientes, haud quaquam reuerentiam agnoscunt, aut Deitatem, quamuis Deus vbique sit & in rebus illis. Nec in Eucharistia est, vt in aliis rebus religio, in quibus non, sicut hic, ex instituto Dei, necessarium edente promissum effectum, sed iuxta operantis affectus, aut iuxta Dei nouum iudicium religionis actus effectum habent; propterea doctiores Theologi ex Ezechielis doctrina, & experimento declarant, Deum respondere interdum hominibus illis in rebus, in quibus inuocatur: nec respicere ad ignorantiam, vbi malitia non est, sed ad voluntatem pie credulam. Vbi sane nos ipsum credimus, ibi respondet nobis: vbi credunt alii, ibi respondet aliis, dum credulitas impia non sit. Sepe quoque impiis ipsis respondet, vt capiantur in malitia sua; vel, vt mutationem aliquam in Regnis humanis, veluti consueuit, ea faciat ratione,

Ezech. 14.

Tandem dico, quòd alia Christianismi Dogmata irreprehensibilia, hoc quoque difficillimum mihi credibile faciunt. Et addo: quòd, cum natura dictet hominibus Deum sacrificiis colere, & omnia sacrificia nationum sint perse inepta ad placandum Deum: Deus enim nostris haud indiget: sed solum valeant ex vi fidei, ac deuotionis, quæ offeruntur, & tanquam signa protestantia nostram subiectionem Deo, eiusque iurisdictionem (loquor etiam de Hebraicis) volens Deus magnificare populum suum sacrificio ab aliis differenti, quod Deo per se ipsum esset acceptum, vt aliquid plene dignum se largiretur, non potuit, nec decuit eum aliud largiri, quam se ipsum in Sacramento. Solum enim Deus acceptus est per se Deo, vt etiam inquit Plato. In hoc autem Sacramento ineſt diuinitas concomitanter cum substantia humanitatis. Ergo à quocunque offeratur, placet Deo, etiam à scelestis Sacerdotibus, non propter deuotionem, qua ipsi carent, sed propter essentiam ipsam huiusmodi sacrificii, quod prodest. Hanc mirificam dignitatem consideret, qui in animo pietatem

Mirificentia amoris in Eucharistia.

vilibus non contaminatam ratiunculis affectibusque, & cognitionem infinitæ misericordiæ, & prouidentiæ sollicitissimæ Domini Dei Patris erga suas creaturas, gestat, considerat que. Et quicunque verè amat.

Profecto cum personam quampiam reuera amamus, & ardemus nos illi euiscerari, & vellemus, si potis esset, sanguinem & animam, & nos ipsos penitus illi dare, præsertim in discessu (hoc recogitet, qui medullitus amauit vnquam) cur ergo Deus, qui longe nos in amando excellit, suis amatis non dederit creaturis seipsum, cum posset sanguinem, & corpus suum, quod à nobis accepit; sicut Amans abamata rehausit imaginem, & verius & intimius essentiam sibi copulauit?

Cur irrisa Eucharistia miracula nõ facit semper.

Hæc profecto euidenter mihi suadent credibilitatem veracitatis Eucharistiæ; Et non iniuria Caluinistis absconditam esse, nec miracula irridentibus & frangentibus per ludibrium hostiam sacram, exhiberi, quoniam generatio praua est, expers charitatis Dei, idcirco signum non dabitur ei, vt pereat in iniquitate sua. Sed sæpe vidimus sanctos, Deo caros, in virtute Eucharistiæ miracula fecisse, & eius dogmatis fidem, confirmasse. Quid enim patiatur Deus à Caluinistis? Non ne seipsos lædunt in blasphemia, vt in superioribus ostensum est, dum Deum blasphemant?

Quid persuasionis in Theologorum rationibus.

Rationes Theologorum, quod Christus sit in Hostia consecrata realiter per conuersionem alterius in ipsum, vel præsentialitatis multiplicationem: Quòd accidentia remaneant absque subiecto: Quòd substantia Christi insit ex vi consecrationis: corporalis verò figura, & alia accidentia ex concomitantia: Quod non frangatur corpus: sed signum, & accidens; aliæque similes rationes, sunt pulchræ sane ad persuadendum. & respondendum disputantibus: sed profectò ille, cui deest pia affectio, nunquam intelliget hoc mysterium. Cui autem inest, satis est audire, quòd Christus ibi insit realiter, & sacramentaliter per transubstantiationem: hoc est modo quodam vero, sed secreto, & substantiali quem capere non possumus nisi Deus illud nobis interiori operatione reuelet intrinsecus: Et quidem sic est. Ego per scientias perueni ad ipsum euidens credibilitatis ipsius quia est, Vltra progredi ratio humana non potest. Hic Macchiauellistas relinquo.

IX. Cùm verò è contra sacrificia cæterarum Nationum, solerter inspectauimus, ea partim impia, partim sordida, & spurca adipibus animalium inuenimus. Quæ quidem Deus populo olim suo ad tempus dedit, vt testatur Ieremias, & Ezechiel, *Dedi eis præcepta non bona; & potius eos in muneribus eorum.* Quod quidem fecit, moribus eorum, in Ægypto sacrificiis huiusmodi assuetorum iuxta ritum omnium gentium, condescendendo;

vtque detineret in his figuris vsque ad aduentum Christi, ait Clemens. Talia enim sacrificia dedit, quæ potse peccatum non tollebant; nec Deum placabant, nisi ex deuotione & signo, & protestatione. Insuper quasi specimen heluationis, & ingluuiei, & crudelitatis in Sacerdotibus præ se ferebant; sicut dixit Pytagoras; qui cædes animalium in sacrificio, & cibo vituperauit, vetuitque. Cato etiam miratur apud Ciceronem, cur Sacerdotes quando se mutuo contuebantur, non riderent. Interrogatusque quamobrem; Respondit, quoniam nobis illudunt in Idolis suis, & sacrificiis: comedunt, & helluantur, nobis applaudentibus. Itaque ridere quidem deberent (aiebat ille) quod apte nobis illo die illuserint: sicuti & Manticularij quando crumenã alicui subripiunt, mutuò sibi obuiam occurrentes, corrident. Diogenes quoque cernens, quòd Idolo fieret sacrificium centum boum, quod vocabant hecatombam, ipse quoque scandens super altari, centum occidit pediculos, dicens, se quoque velle facere hecatombam. Cúmque obiurgaretur, respondebat, quòd veluti ditiores offerunt Diis Boues, & animalia grandia, sic pauperes debent parua offerre, quæ habent. Nam si Dij boni sunt, acceptassent eius hecatombam non minus æquo animo; quandoquidem non minus deuotus erat oblator. Deuotio autem valet in sacrificiis. Dij enim non manducant. Nil ergo (vbi non interuenit diuinum præceptum sicut in lege veteri) mactare hoc, vel illud genus animalium, aut grande, aut paruum, interest. Ex quibus patet omnes ritus esse ludibriis subditos, excepto Christiano, vbi intrinsecùs perpenduntur.

Religio colendi imagines Sanctorum vbique recipitur, præterquam à Turcis, & Caluinistis. Hebræi quoque hostes sunt imaginum, eoquòd illusionibus videantur bestiarum, & ignis, & aquæ iniuriis subjacere: populúsque in eis idolatria contaminari possit. At nihilominus ego, vbi populus rationalis est, inuenio non dedecere secundum naturam ipsarum cultum. Nobis enim naturale est venerari imagines amasiæ, & amicorum, & cupere has in ipsorum absentia. Cum ergo Deus quoque factus sit homo, quod non erat Moysis temporib⁹; vtile, piúmque est imaginem colere, & Crucem, in qua repræsentatur Crucifixus. Nec quidem retinendæ sunt modò tanquam Scripturà ignarorum, & memoria omnium; hoc enim sub sensu nemo eas neget; sed vt adorentur in spiritu eleuato ad id, quod repræsentant; quoniam naturale est plus illud reuereri, quod plus repræsentat.

De Imaginum pia adoratione ex naturalibus argumentum.

Sanctos autem dignos esse adoratione duliæ, manifestum ex mutua inter viuentes obseruantia, præsertim erga sapientes, & pios, & Dominos. Rationabilis quoque credulitas est, quòd ipsi nostras indigentias cognoscant, cùm ex relatione Angelorum ad nos venientium, tùm ex visione Dei, in quo cuncta relucent. Igitur si cha-

ritatem habent, opem ferunt, & orant pro nobis. Negare autem intercessionem naturalem, etiam inter nos, est beatorum charitati derogare. Haud tamen Dei adoratio, & sacrificium illis debetur: Id enim esset idolatria. Quod autem Deus velit honorari in suis amicis, per quos miracula operatur, & diuinas actiones, digna fides est, probataque.

Signum quoque charitatis ingentis est, quando quis pro alio pœnam suscipit; & in Romano exercitu hic mos colebatur; & in Schola Grammaticorum, alter pro altero discipulo plagas in manibus excipiunt. Ergo communicatio meritorum, & satisfactionum pia est, secundum veram charitatem. Sed hic non est locus eius.

De Indulgentiis congruentia.

Satis ergò est ex naturæ decretis agnouisse naturalis Religionis veritatem; & supernaturalis credibilitatem; effectúsque eius mirabiles; quibus pij transhumanantur credentes.

PROPONITVR EXAMEN de persona Christi, aliorúmque Legislatorum Nationum cæterarum: & inquirendas esse notas: quibus, quem Deus miserit, quem Diabolus, quem ratio, aut astutia propria, pernoscatur.

CAP. XIII.

Vide primum lib. nostræ Metaphys.

DEVS solus, semperque verax est. Ergò solus dignus est fide indubitata. Omnis autem homo mendax, vel ex ignorantia, vel malitia, vel fragilitate.

Triplex mentiendi modus.

Primus, ex fragilitate.

Qui mentitur per iocum, aut metum, aut consuetudinem vrbanitatis Aulicæ, inter fragiles mendaces numeratur. Adeò conualuit hoc genus mentiendi, quòd venustas, & humanitas nostro sæculo apparet. Nam pro Iy, Tu, dicunt, Voi, e Vossignoria.

Secundus, ex ignorantia.

Qui veritatem ignorant, eámque enunciant, ac si scirent: aut qui putant falsum esse verum: in Scholis humanis reperiuntur innumeri.

Mendacium ex malitia pessimum est; quod propter lucrum, &

honorem, aut diuitias, aut alterius exitium, aut, vt regnet quis per violentiam, & per sophisma, vsurpatur. Mundum corrupit. Mendacium Legislatorum, & Doctorum, & Principum, pernicioſius est quoniam multos in perditionem trahit.

Tertius, ex malitia

Nemo igitur fide dignus est, nisi sit bonus; potens, vel animo; & sapiens. Propterea ergo naturale est nobis credere Patribus, & amicis, quoniam credimus eos esse bonos, saltem erga nos; nec proinde nos decipere velle. At si in eis ignorantiam cernimus, fidem non præstamus in eo, quòd ignorant; idcircò Medicis ægrotantes credimus, magis quàm Patribus; & Nautis magis in nauigatione; & Philosophis in philosophando. Insuper plus fidei præstamus Diogeni, absque metu veritatem proferenti, quam Aristippo, dum Dionysio mentienti adulatur. Nullam quoque Poëtis adulatoribus, formidolosisque, aut Theologis, venundatis sub timorem, & lucri cupiditatem, aliisue talibus, credulitatem adhibemus.

Tria requiruntur ad veritatem fide dignam.

I. Hoc considerantes homines, lingua, calamoque potentes, vt compararent sibi fidem conati sunt fieri boni, & sapientes, & liberi, aut saltem tales apparere. At nec postmodum eo deuenire possunt, vt indubitata fide digni appareant. Neque enim homo homini in secreto animæ suæ subditur, licet foris subdi apparet, quoniam vt Poëta inquit,

Vnde fidem acquirunt sibi homines.

Qui velit ingenio cedere, nullus erit.

II. Et dixi. Ergo solus Deus est per se magister hominum certissimus, quoniam non habet, quem timeat, nec cui aduletur; nec quid cupiat: vnde veritatem corrumpat. Dein sapientissimus est, vt nullo possit eam ignorare pacto. Est demum optimus, & amorosissimus, expers ambitionis, fallaciæ, indigentiæ, fraudulentiæ, quæ à veritate ipsum distrahant. Ipse solus est Pater noster. Nostri enim Patres facere homines nesciunt, sed ad actum generationis amore, qui Dei est calcar, adiguntur, quod agendum est, ignorantes, & quo pacto formetur infans in vtero, sicut nec calamus scit, quid ego per ipsum scribo. Deus solus est insuper integrè hominum Dominus, Auctor vitæ, & mortis. Et sicuti Pastor superioris speciei; Grex verò inferioris est. Sic Deus Pastor: nos autem greges; Principes verò nostri, quasi Tauri, & Arietes: quorum collis Deus campanulam appendit; ad cuius sonum regitur grex. Sunt ergò loco Dei: nec punire possunt, nisi secundum regulam, à Principe Deo præscriptam: qui vnus est nostri Dominorúmque Dominus. Hæc regula est ipsa lex naturalis, vnde positiua deriuatur. A Philosophis autem vtraque nobis ostenditur, & à Legislatoribus imponitur; Eatenus fide dignis, quatenus sapientes rerum, amantes nostri, & liberi passionibus sunt, hoc est, Deo persimiles.

Solus Deus per se magister indubitata fide dignus, quoniam Potentissimus, Sapientissimus, & Optimus.

Deus solus Pater Dominus.

III. Et vidi, quod quicunque doctrinam religiosam, & legem, tulerunt hominibus, missi sunt, aut à Deo visibiliter illis comparē-

Qui nouam legem prædicant, aut mittuntur a Deo, aut à naturali ratione aut ab Astutia, aut à Diabolo.

te; quippe qui nobis est inaccessibilis, multóque magis plebibus, proptereaque aliquos adhoc munus auctorizat, cum sit prouidus, amorosúsque Dominus. Aut à Ratione naturali: Aut ab Astutia propria; aut à Diabolo.

Examen missorum à ratione.

Qui ratione moti ad hoc munus surrexerunt, laude quidem digni sunt. At quia errare potuerunt, fide indubitata haud itidem digni sunt. In horum numero vidi Philosophos multos, vt Platonem, Socratem, Senecam, Dantem, Telesium: qui ingenuè confessi sunt quicquid ignorabant, atque sciebant. Inter Legislatores vidi Draconem, Solonem, Lygurgum, Charondam, Phoroneum, aliósque qui leges suas, & doctrinas, sine sanguine, & miraculis, & sine prophetia in sola Ratione fundauere. Hi sapienter loquuntur, & student facere homines bonos non autem sibi honores, & diuitias comparare.

Examen missorum ab astutia.

Qui autem ab Astutia, vel à Diabolo missi sunt, conueniunt. Inter Philosophos, vidi Protagoram, Gorgiam, Aristotelem, Epicurum, Hippiam, Homerum. Arrium, Caluinum, Lutherum, & consimiles; qui vt lucrarentur honores vanos, ac diuitias, & maioribus incommodarent, scripserunt: & loquuti sunt de rebus, quas ignorabant. Religionem ludibrio exposuerunt; & quicquid ipsi nescierunt, falsitatem, & vanitatem esse existimarunt: Quin & fraudulentiam, persimilem vafritiei ipsorum. Inter Legislatores, plurimos astutos inuenio, qui aut ex ambitione propria, aut quia existimarunt, acta aliorum Legislatorum ex astutia manasse, & simulationes prudentum esse miracula, quò Populos in officio detinerent, deceptione quadam amorosa, aut pernicíosa, finxerunt & ipsi sese à Deo missos esse, & miracula falsa fecerunt, & legem dederunt. Ita sentit Varro de cunctis Legislatoribus, & Prophetis. Auerroes quoque, & Aristoteles putant, Legislatores omnes esse simulatores vafros, & prudentes propter sui vtilitatem, aut populorum excitos. Hanc sententiam mordicus tuetur Maechiauellus; & liber de Tribus Impostoribus impissimus fouet. Ego autem in horum numero conscribere consueui Minoem, Numam Pompilium, Pythagoram, Zamolxim, Romulum. At de Mahometto, & Cingho opinor, quòd ab astutia propria, & à Diabolo decepti, ac proinde deceptores euaserunt. Pari modo multos sectarum Auctores in Nationibus. Nam ex Vafritie docere soliti apparent. Siquidē Minos duodecim annis in antro commoratus, fingebat se cum Ioue loqui, cuius quoque filium se fecit, ibique leges scribebat, ferebatque ipsas ad Populum per Radamantum carissimum, qui negotio inseruiebat. Porrò inueni, omnes ferè homines, lingua, virtutéque potentes in magnis temporum articulis sectarum Auctores consueuisse fingere sese esse Deos, vel Deorum filios astu quodam diabolico ad obscurandam veritatem illam, quæ expectabatur in toto Mundo. Sic Æneas filius

Meretricis,

Meretricis, aut Ancillæ Patris sui, fingitur filius, Deæ Veneris: quoniam caput est sæculi. Romulus verò Vestalis Virginis filius, & Sacerdotis, fingitur filius Martis, vt sub magnis auspiciis Romam fundaret. Bacchus, & Hercules adulterino natus concubitu, Iouis proles habetur. Alexander Magnus, quò spontè Populi subderentur, fingitur filius Dei Ammonis. Cyrus verò Commissarius Dei; licet iste prophetiam habuerit Isaiæ, & ille Danielis; sed sibi ignotas. Nabucodonosor Deus prædicari voluit vbicũque Olofernes Imperium suum extenderet. Idem coniicere possumus de Belo, de Mercurio, de Osiri, & de similibus Deis antiquis, fictis à se, aut mox ab opinione vulgi decepti. Idem hodie studet adipisci nomen Diuinitatis Faxiba Iaponensium Monarcha.

Ex his plurimi miranda fecere, quæ Populo discernere nescienti visa sunt miracula; & post mortem curauerunt sua cadauera occultari, quò crederentur in Cælum translati esse. Et horum collatio videri facit Macchiauellistis, & Peripateticis, Christum, & Moysem esse pariter simulatores. Alter enim se filium Dei fecit. Alter Nuncium Dei; & corpora eorum post mortem non compauere, sicut nec corpus Æneæ, nec Romuli: quod Liuius refert hac de causa à Senatoribus absconditum fuisse; vt crederetur translatum in Cælum, sicut Æneas, quem vocant Deum Indigetem. Idem fecit Periander, vnus de septem Sapientibus. Numa Pompilius intra quoddam nemus sacrum cælabatur, vbi fingebat se loqui cum Dea Ægeria, & cum Superis, de hinc leges Romanis ferebat. Pythagoras duobus annis sub fossa latuit; deinde dixit, se ab Inferis redire; narrauitque præmia, & pœnas futuri Sæculi, magnumque metum Populis indidit. Et indicauit eis quidquid fecissent in duobus illis annis; quoniam eius mater, vel vxor; negotiorum tantorum conscia, sibi illa indicauerat. Sic leges Crotoniatis tulit in Calabria; sed mirabilia alia de illo non legimus; nisi naturalia, & doctrinam admirabilem.

De Pythagora Legislatore.

De Zamolxi.

Zamolxis eius Discipulus fuit, Scythis leges dedit in quodam antro, simulans cum Diis ibidem loqui.

De Epimenide.

Epimenides Cretensis, quinquaginta annis dormiuit, vel finxit se dormiuisse, fortè, vt quid miri hac ratione perficeret, & quidem summam venerationem sibi comparauit.

De Mahometto.

Mahomettus etiam in antro ad Montes Arabiæ philosophabatur cum Diabolo, & scripsit alterius manu, & foras emisit scripta illa, ex quibus compositus est Alcoranus sub Rege Moauia, ex successoribus suis quinto. Finxit quòd illa præcepta ab Angelo Gabriele accepisset; & quòd in pluribus vicibus de Cælo descendissent. A Sergio Monacho, & à duobus Hebræis, cum quibus disputare ipse in suo libro introducitur, adiutus, fidem comparauit sibi exulum, &

latronum, & seruorum: atque cum eis cœpit rebellionem exercere. Morbo sacro laborabat, ac fingebat spiritu Dei tunc rapi, præsertim apud vxorem ditissimam, quæ hera sibi fuerat: & deinde per mulieres inualuit fama. Hic morbus solet magni ingenij homines vexare, vt testatur Arist. in problem. de Socrate, Callimacho, & Hercule; quibus Scotus Theologus addi potest.

Sect. 36.

De Cingho.

Cinghus finxit se filium Solis; & signa mirabilia fecit Tartaris. Transire visus est Mare Caspium sicco pede, sicut Moyses Erithreũ verè transiuit cum Populo suo legésque tulit hac ratione.

De cæteris Legislatoribus Nationum parua apud nos extat notitia: sed omnes aut per astutiam, aut per naturam, aut à Diabolo missi, facinora grandia sunt aggressi. Hoc autem ex sequentibus agnosces.

De Christo, Mose, Prophetis, & Apostolis.

VI. A Deo missos inueni Christum, & Moysem, omnésque Prophetas Hebræos. Qui tamen videntur Peripateticis, & Machiauellistis, pari astu simulasse. Opinantur, Moysem moratum esse super montem ad scul pendas tabulas lapideas, & comedisse, & simulasse xxxx. dierum ieiunium, & colloquium Dei, & sculpturam digito illius: & à Iosue admonitum fuisse, quòd vitulum aureum adorassent; omniaque alia, quæ dicit à Deo didicisse. Gloriatur, se vicisse Magos in Ægypto miraculis: quod nulla testatur Scriptura præter suam. Alij dicunt, vt Cornel. Tacitus, & Iustinus abbreuiator Trogi, inuenisse Moysem aquam, quam de lapide eduxisse fingit, ductu Asinorum syluestrium euntium ad bibendum; Ideóque Iudæos colere Asinos. Et Zachariam, quidam dicunt, obmutuisse, quoniam vidit Deum Asininum intra Sancta Sanctorum, & reuelauit cæteris. Item pharmaco naturali aquam dulcem reddidisse. Et mare rubrum transiuisse in refluxu, quando descendit: Pharaonem verò in fluxu, quando intumescit; ideóque hunc neeatum. Licet Iustinus dicat ex fluuiorum illuuione, mox succedente ex pluuiis. Item finxisse, se Deum habere ductorem: dum ipse mitteret quendam in nocte cum tæda, & facibus ignitis, quocunque iturus erat; in die verò cum eisdem ignibus, sed non apparentibus, nisi per fumum ob Solis præsentiam: & Aaron, & Iosue, & Vr, & Mariam, conscios fuisse, adiutores in tanto negotio. Eos verò qui id agnoscebant, & murmurabant, interfectos esse, vt Chore, Dathan, &c. & cadauer suum cælandum curasse, sic etiam Aaronis, vt cultum diuinum sibi exhiberent. Plinius verò putat, Moysem sapientissimum Magorum fuisse, & per Magiam omnia miracula fecisse. Quintilianus verò, astutum, & impium.

Pseudopoliticorum argumenta contra Mosen.

Quid fingunt contra Christum.

VII. Nec abstinent à Dicteriis contra Christum, alij dicentes per Magiam miracula fecisse & se vidisse librum Christi de Ma-

gia missum ad Petrum, & Paulum, vt Augustinus testatur. Alij finxisse ex condicto miraculum cum Lazaro & aliis; & in Ægypto didicisse scientias, quando aufugit; & ab Astrologis genus mortis suæ, & adorationem. Idcircò libenter ad mortem perrexisse; ac procurasse, vt cadauer de sepulchro subriperetur post mortem; nec verè cuipiam comparuisse. Nam resuscitatus comparuisset in platea publica, vt plures animas lucrifaceret; & fidem fortius plantaret, & Pharisæos, aliósque calumniatores confutaret.

Equidem omnes argutias suspiciones, contradictiones perscrutatus sum, examinaui, & consideraui. Res enim tanti momenti vtiliter tractatur in præsenti sæculo tenebricoso, vbi boni, & mali, Philosophi, ac Sophistæ, Sancti, & Hipocrytæ, legislatores diuini, & humani, & diabolici, omnes videntur impiis indoctis vnicolores. Et longè plures dubitationes, & quæstiones commoui super Euangelio, & super sacris Bibliis. Ac postquam supradictis experimentis certior effectus sum extare Diabolos, & Angelos, & vidi errores horrendos Aristotelis, & Politicorum recentiorum in physicis, & moralibus, ritè intellexi, longe magis potuisse eos errare in Doctrinis sacris, quas maximè refert nosse: difficileque introspectantur.

Resp. in genere.

Errores Aristotelis, & Philosophorum in Philosophia, indicant ipsos magis errasse in Theologia, quam impugnant.

Impresentiarum de his disputandum non est, quia à Diabolo missi sunt. Hæc enim turba impia non credit esse Diabolos. Nam subitò sequitur, quòd, si Diabolus mittit Legislatores, mittat etiam Angelus, & Deus suos Nuncios, & Legislatores, & Prophetas. Isti autem omnia huiusmodi astutiæ tribuunt humanæ, regnandi cupiditati, adeò quòd & Sauonarolam ob idipsum simulasse colloquium Dei, docet Macchiauellus. Ergo ad examen necessarium accedamus.

EX CERTISSIMIS NOTIS

Examen particulare pressius, ac rigidius, veritatis Prædicantium noua in quocunque Sæculo dogmata; & confirmatio testimoniorum Apostolicæ doctrinæ, ad quamlibet inuictæ probationem.

CAP. XIV.

Solus Christus per se omni suspicione vacat; at alij non prorsus, nisi per ipsum.

EORVM profectò, qui sese à Deo missos asseruerunt, neminem suspectione vacuum prorsus, excepto Iesu, & per Iesum inuenio. A quo etiam nisi de Moysis doctrina certus factus essem; dubitationes, & quæstiones plurimas animo volutarem; quas non tam facilè soluerem. At quidem examinata signis, & contestationibus collata suis, post longam disputationem, & experimenta, hæc quoque diuina reperitur; nec Magiam esse naturalem, per quam Moysen vicisse Ægyptios Magos affirmat ineptè Plinius, quisquis etiam Magiam Cypriam, qua Apost. Paulus diuinitùs Elymam magum cæcitate percussit, multaque signa coram Sergio Proconsule effecit, ineptiùs suspicatur.

Plin. lib. 27.

Notæ vnde dignoscuntur qui à Deo mittuntur.

II. Cuicunque à Deo misso diploma habere conuenit, quod quilibet suo dat Rex oratori, legatoque. Diploma Dei diuinis est literis scriptum, & demonstrationibus non naturalibus, sicut eorum quia natura mittuntur, sed supra naturalibus. Hæc autem miracula sunt, & operationes supra naturam.

Prima nota.

De hinc intrepiditas ad omnem aduersitatem, & contemptus mortis pro obedientia tui Dei, dum certus es, te ab illo missum, qui ostendit tibi posse se dare vitam, & gloriam æternam pro temporali, veluti tu cæteris prædicas ex ore Dei. Vtque ostendas te non motum cupiditate bonorum huius Mundi, valdè prodest sigillo sparsi sanguinis diploma firmetur. Qui autem sanguinem spargit miraculis carens, quamuis ore tenus mandata habeat cum verax esset, videtur tamen venire absque patentibus literis, seu diplomate. Nam & hoc opponi illi potest, quòd etiam Hæretici multi

mori optant pro sua hæresi, quoniam decepi sunt, ac moriuntur, sicut cæteri malefactores, Deo non confirmante signis doctrinam eorum. Si autem miracula habes absque proprii sanguinis effusione; diploma quidem habes, sed non tam benè sigillatum, ideo que dubium de te remanet apud gentes; quibus non persuadetur, te vasrum, diabolicumque non esse.

III. Si verò vtrumque testimonium prædictorum hab, aesc præterea addis contestationem Prophetarum, qui tuum aduentum prænunciarunt, fides augetur tibi apud omnes.

IV. Item, si quæ tu annuncias, & prophetizas, euentus comprobat, longè magis.

V. Item, si Gens alia, tuam amplexa doctrinam, eadem facit in miraculis, sanguine, & prophetia, palam fit quòd cùm tam plures nequeant esse conscii, & complices eiusdem vafriciei, ac doli, quin detegatur, nec propriæ morti consentire stabiliendi alieni gratia doli, verax sit ipsorum Magister, & Auctor.

VI. Item si probitas vitę, & certitudo, & constantia in dicenda veritate, simulationibus mundanisque respectibus sublatis, & notitia rerum diuinarum concomitantur; nullatenus dubitandum est de illo, qui talem seminauit doctrinam; sed credendum est, Deum esse cum illo.

VII. Si temporis quoque diuturnitas confirmat Rem, nullus remanet dubitandi locus ipsi quoque Macchiauello, si vel modicum considerare velit.

Porrò in Christo & Apostolis eius inueni omnia isthæc indicia, & testimonia, & contestationes, collationes, & signa, amplissimè constare. Ipse quidem ea ostendit in se, & dedit etiam suis discipulis, & discipulorum discipulis promittit. *Signa* (inquiens) *eos, qui crediderint hæc sequentur. In nomine meo Dæmonia eicient: Linguis loquentur nouis: serpentes tollent, & si mortiferum biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & bene habebunt, &c.* At Paulus eius Apostolus ait. *Signa autem Apostolatus nostri edita sunt apud vos in multa patientia: in signis, & prodigiis, & virtutibus, &c.* Et Iesus. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, &c.* Et alibi. *Confidite, Ego vici Mundum, &c. Oportet filium hominis pati, &c. Occident eum & tertia die resurget, &c. Ecce mitto vos, sicut oues in medio Luporum, &c. Tradent vos in conciliis, &c. Flagellabunt vos, &c. Nolite cogitare quid loquamini, &c. Spiritus Patris vestri loquitur in vobis, &c.* At verò cæteris Legislatoribus inueni ex prædictis indiciis, & testimoniis deesse quàm multa. Nam & Moysi, & Prophetis non omnia insunt.

Propositio vniuersalis, quòd omnes istæ notæ Christo conueniunt.

1 Cor. 12. Mat. 10. Ioan. 16 Duc. 18. Mar. 10.

Moyses primus martyrio sanguinis sui (quamuis adhoc promptus) non confirmauit fidem, quàm prædicauit. Et in locis, ad quos eius plantandi gratia migrauit, bellum inuexit aliis: expulit eos de

propriis ſedibus, armauit gentem ſuam materialibus armis, fortificauit poſteros doctrina, & armis. Prophetas ante ſe non habet, qui ipſum præconizauerint, niſi quos ipſemet allegat, nobis, & Mundo ignotos.

At miracula ſua, & prohetiæ, euentu, comprobatæ: & ſucceſſio, & Diſcipuli miracula facientes, & ſanguinem effundentes, & prophetantes; & tandem Chriſti teſtimonium, dat Moyſi firmam auctoritatem.

Qui de ſunt Mahometto.

Mahomettus teſtimonium habet nullum, niſi victorias diuturnas armorum plurimas; quod commune eſt Cingæo, & Alexandro Magno, & Cæſari, & Tamerlano, & omnibus ſtrenuis Ducibus, licet ſceleſtis. At martyrium non habet in ſe, neque in ſuis. Mendacia habet horribilia, deprauat Biblia ſacra, & Euangelium, & cunctas hiſtorias. Non eſt qui prædixerit aduentum eius, niſi quatenus Pſeudoprophetæ, & Antichriſti, vt infra videbimus. Fundauit, vt ipſemet fatetur doctrinam ſuam in armis, & ſine miraculis. Fingit tamen quædam, & vult per vim ſibi fidem præſtari; quod videlicet refecerit Lunam: loquebatur cum animalibus. quæ dicebant velle fieri Mahomettana. At nuſquam reſuſcitauit defunctos, neque curauit ægrotos, &c. Succeſſores eius potentes in armis fuere, vt Alle, Oram, Otomar Abubacher qui diuerſas ſectas fecerunt: & ſe mutuo trucidarunt. Sic eorum mox Califfi, & Sultani, qui Imperium Romanum debile inuenientes, affli xerunt. Et palam videntur ipſorum quilibet acquirendæ gratia tyranidis, prædicaſſe, non autem cupiditate Regni Cæleſtis, nec moriendi pro eius defenſione, niſi eum in modum, quo omnes milites, etiam mercenarii, & alienę fidei, & religionis. Quin mutuis præliis ſeſe perſecuti ſunt, dominandi ambitione; & alius alium occidit, oſtentantes re vera ipſis non affuiſſe charitatem Apoſtolorum; quibus mutuatam feruens, ſublimisque fuit, quàm contemptus diuitiarum, & honorum, & vitæ, & dignitatis humanæ; ſed affuiſſe diabolicam ambitionem ab ipſorum capite hauſtam. Nam qualis Magiſter, talis Diſcipulus.

De notis Romuli, & conſimilium,

Romulus armis legem ſuam fundauit, & cæde fratris, ſicut mos quoque Turcarum eſt. Non habet Prophetas ante, nec poſt ſe. Pompilius verò iam, acquiſito Imperio, tutatus eſt legem, & religionem, & doctrina quidem humana non roborata miraculis. Sic & Minos, quoniam Rex erat Cretenſium. Triſmegiſtus quoque Rex, & Sacerdos Ægyptiorum.

De notis Iouis, Beli priſcis adorati.

Belus Iuppiter caput fuit Monarchiæ Aſſyriorum ſucceſſor Nembrot, qui primus dominari per violentiam in Mundum introduxit. Ninus autem filius propter gloriam ſuam, & amorem, quo partem proſequebatur, adoratione eius armis ſtabiliuit, vt Nabucodonoſor, & Iulius, & Auguſtus Cæſares. Idem de cæteris inuenio Legislatoribus, ſanguine, & miraculis, carentibus.

Pythagoras quidem rationem naturalem defendens, effudit sanguinem, à Tyranno interfectus, & miracula non habet, aliaque prædicta testimonia. Nec pro lege sua mortuus est, sed Tyranni communis violentia. Credo etiam, Philosophos nonnullos pro defensione dogmatum legis naturalis interfectos fuisse, vt Anaxagoram, & Socratem, & alios, quos S. Iustinus sæpè nominat præsertim in 2. Apol. Quin quantum ad hanc partem digni sunt, vt Iustinus, & Hier, aiunt, qui numerentur in Christi assectis, saltem quatenus auctor est naturæ. At miraculis caruerunt, aliisque indiciis, quibus prædicarent, se missos à Deo; nec id affirmarunt, ne mentirentur: sed illis satisfuit defendisse Rationem, quæ lumen est primæ Rationis, seù Verbi Dei. Sicque, vt aiunt, finxit, Pythagoras mirifica, condonandum illi est ex parte, nam ignorabat plurimum de tractatione Dei cum hominibus; opinatusque est, deceptionem amorosam, in beneficium deceptorum, non esse peccatum: sicut cum Medicus porrigens Absinthium puero ægrotanti, dicit esse dulcem. Id confirmat Plato, assecla eius, & Origenes; in quam doctrinam D. Hieronymus in epist. vbi inuehitur in August. & Patres Græci, minus sæueri sunt; quo ad mendacium officiosum. Ast in re tanta nescio, qui defendi potest, quòd non sit quoque perniciosum; veluti id defendit Varro, à D. Augustino iure correctus. De Pythagoræ notis, & consimilium.

I. Tunc è contra ad me dixi. Quis considerans Christum panis quotidiani indigentem, natum in stabulo, filium Fabri, humiliter educatum sine literis in arte paterna, tantum aggredi, quòd se filium Dei affirmet, nec fundare in doctrina Philosophorum, neque in diuitiis, neque in armis prædicationem suam, proculdubio, si non erat quod dicebat, audacissimam, cunctisque moralibus iudicandam impossibilem, quòd sit Deus verus, Creator, & Gubernator omnium, ille mendicus homo: sed in miraculis, toti euidentibus Mundo in promptu, & vbique, nullo præuio artificio, aut consultatione, & in propalando veritatem in faciem, contra Principes, & quoscunque violatores veritatis, & iustitiæ; & mori tam constanter pro illa cælesti legatione, & bono nuncio, quod attulit Mundo, de Regno Dei, & perseuerantem vsque ad mortem in assertione diuinitatis suæ, & veritatis, & spei, cum prædictione eorum, quæ facturus erat post mortem, & suis ventura: Qua ratione, quæso, poterit (dicebam) quis suspicari fraudem, aut sui deceptionem inhomine isto? Denotis in Christo potentissimis ad probandum, quod sit à Deo. Prima Ratio vniuersaliter pro Christo.

II. At si ipse deceptus erat, persuasum habens per insanam imaginationem propriam, aut per aliorum sermonem, se esse filium Dei (nam & plurimi ipsum furiosum reputarunt etiam consanguinei, nedum Herodes, eiusque consimiles, vt S. Mar. testatur) & tanquam deceptus, & furens illam stultitiam prædicabat (sicuti & multos vidi furiosos sese Deos, ac Reges iactanter reputare) profectò tot miracula illi non affuissent. Nec potes credere, quòd ipse miracula per Quod Christus non fuit deceptus, nec deceptor.

vafriciem finxerit, nam si erat (vt ais) in ipso deceptus, non poterat esse deceptor, & fictor. Nec Deus, qui Mundum regit, & in re qualibet exigua mirabilem ostendit prouidentiam, concurrisset tot miraculis, ad eiusmodi stultitiæ vanissimæ confirmationem.

Non ex Apostolorũ testamento.

III. Item Apostoli, qui erant synceri, probi, idiotæ, inepti ad moliendas fraudes, & deceptiones, sed potius apti decipi, quàm decipere, non consensissent, neque mori voluissent pro defensione technarum, & fallaciarum Christi contra Principes, & Sacerdotes, & (vt videbatur illis) contra leges patrias diuinasque.

In 4 de sensu rerum.

IV. Si autem omnes vnà cum Christo decepti erant, non potuissent deinde per se, absente, vel mortuo Iesu Christo, tot miracula facere, & conuincere Gentes, & Mundum totum patientia, & doctrina cælesti, signisque admirandis. Nec enim venenum Apulæ Araneæ mortua ipsa, in morsu perseuerat, vt diximus de magia loquentes; quanto minus ista totius Mundi commotio in solo verbo?

Excõmunicatione potestatis.

V. Item quomodo poterat Iesus, cum esset furiosus, præbere illis potestatem contra spiritus malignos, & sanandi infirmitates, calcandi serpentes, & venena expellendi, vt testantur Matt. & Luc. & Marc. quòd miserit eos prędicare Euangelium Regni, absque pecunia, & calceis, & sine veste duplici, & dedit eis potestatem iam dictam. Quod ipsi impigrè fecerunt, & reuersi sunt exultantes, quòd tot miracula fecissent in nomine Iesu. Qui respondit. *Nolite lætari in hoc*, videlicet, quòd miracula feciſtis, & Dæmonia viciſtis, &c. *Sed quia nomina vestra, scripta sunt in Cælis*, Quibus in verbis ostendit mirificum spiritum humilitatis diuinæ, & quandam certitudinem veritatis suæ in Cælo haustæ. Quomodo (inquam) poterat ista deceptus polliceri, & largiri; aut deceptor, cum videas idem effecisse realiter, suos, & contigisse benè credentibus, vt & quę prædixit?

Mat 10.
Luc. 6. & 10.
Mar. 3
Luc. 10.

In Apostolorum simplicitate, & doctrinæ luce.

VI. Si verò dicas, Apostolos idiotas etiam deceptos pariter fuisse: ac stellas eorum fauisse cæptis. Tunc obiicio Lucam, qui manducabat, & bibebat cum Christo, & erat vnus de lxxij. Discipulis, Doctus in Philosophia, Poëtica, Rhetorica, Medicina, in lingua Græca, & Hebraica, & Pictura: nec dignus fuit numero xij ascribi: & Barnabam, qui fuit doctus in Lege.

VII. At & Paulus doctissimus in vtraque lingua, & Poetis, & Philosophis, & in lege Hebraica; persequutor fœuissimus Christianorum, quomodo decipi poterat? quibus præstigiis, & vbi, & quando? Ipse nihilominus est, qui ait; *Signa autem Apostolatus nostri edita sunt apud vos in multa patientia in signis, & portentis.* Ecce diploma eius, quo demonstrat se legatum fuisse Iesu Dei sui. Et hoc post mortem eius; vnde Hæretici, & Gentiles faisò scripserunt, Christum misisse librum magicum ad Petrum, & Paulum: ignari etiam

historiæ,

historiæ, ne dum mysterii.

VIII. Adde tot doctissimos Principes Hebræos, vt Gamalielem, Nicodemum, Iosephum, Symonem, Lazarum, Stephanum, aliosque sæculi illius; qui Iesu crediderunt; &, quod mirabilius est, ipsis Apostolis Hebræi, & Romani proceres fidem præstiterunt, vt Sergius Proconsul Romanus, Theophilus Præses Antiochiæ, Cornelius Centurio, aliique plurimi, qui decipi non poterant à viris illiteratis, & puris, quales erant Apostoli, præsertim prædicantibus contra legem Romanorum, & contra commoditates, & delitias Mundi, quibus illi potiebantur. Ex test. Principum Romanorum, & Iudæorum.

IX. Tota insuper hæc Schola Discipulorum sigillauerunt miracula, & prophetias, quas allegabant pro Christo, & pro Doctrina eius, proprio quisque sanguine: nihili existimantes famem. carceres, naufragia, flagella, minas, blanditias, infamias, tribulationes. Sed hæc omnia amplectentes hilariter, cum quadam mirifica securitate, & certitudine, tanquam qui propriis continuò cernerent oculis Paradisum apertum, & Deum vocantem eos, & præstolantem ad immmortalem gloriam. Equidem cum considero hanc constantiã, & certitudinem animi, comprobatam miraculis, & sanguine, obstupesco, & cõtremisco: Nec aliud dicere possum, nisi, quòd prædicabant veritatẽ certissimam, haustũ in Cælo, & non in Terra. Ex firmitate testantium.

X. Hoc mirum etiam considera: Quòd Christus non promittit suis bona temporalia Moyses: neque delitias vxorum multarum, & dominatum, & potestatem armorum, sicut Mahomettus, aliique Legislatores: nec cathedras honoris, secundum humanam Sapientiam, sicut Philosophi; sed promittit ærumnas, carceres, flagellationes, anathematizationes, pressuras, & mortem; sed ne timeant, quoniam capilli quoque eorum numerati sunt apud Deum, nec cadet vnus absque ipsius voluntate. Ergo si interficientur, vt facientes Dei voluntatem, nolint timere eos, qui occidunt corpus, sed Deum solummodo, qui potest & animam mittere in Gehennam. Et his durissimis pollicitationibus, & moriens ipse primus crudeliter, & ignominiosè (quod sanè debuisset eorum frangere animos, & dehortari, vt fugerent doctrinam eius, tanquam mortiferum venenum) tantam assequutus est gloriam, & sequelam. Ex dictis factis, & cõditionibus Christi. Math. 10.

XI. Equidem summa animi attentione ipse considero, eiusmodi doctrinam, & duras pollicitationes suaderi verbis non posse iis, quibus ærumnæ diræ imminent; sed re verà eos miraculis plurimis, & visionibus certos fuisse redditos. Nec ista satis erant, sed infudit in eos Spiritum sanctum modo mirifico. Seque ipsum ostendit eis resuscitatum, & in Cælum ascendentem, vt eos tutos redderet de veritate sui dogmatis: & quòd ipsi pariter resurrecturi erant, & in Cælum ascensuri: alioquin post mortem Christi ignominiosam nemo ausus fuisset verbum de tanto seductore vllum bo-

num proferre: sed reuera ergo resurrexit, & ascendit, & misit Spiritum. Quis vnquam Moyses, aut Deus Gentium, vel modicum quid huiusmodi fecit?

XII. At ergo qui fieri potest, vt Apostoli prædicent Resurrectionem, & Ascensionem Christi, decipiendo semetipsos, ac cæteros? si enim decipiebant cæteros, non amplexi essent martyrium & miserias in semetipsos; si autem decipiebant semetipsos, non fecissent miracula. Nec quidem fingi potest modus, quo ab aliis ipsi in negotio resurrectionis, & ascensionis delusi fuerint. Ecce quàm audacter dicit Petrus. *Non doctas fabulas sequuti, notam fecimus vobis Christi virtutem, & sapientiam, sed speculatores magnitudinis illius effecti, & c.* narratque transfigurationem ejus in Monte Tabor, & vocem quam audiuit de Cælo Et Io. epist. 1. *Quod vidimus, & audiuimus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, & c. testamur & annunciamus vobis,* Et Paulus. *Nonne Dominum Iesum vidi oculis meis?* Et alibi *Ergo Apostolus non ab hominibus, neque per homines, sed per Iesum Christum, & c.* Et Lucas, & ipse, conueniunt de apparitione sibi facta post ascensionem. In cæteris omnes contestantur. Et, *ibant gaudentes, quoniam digni habiti sunt pro Iesu contumeliam pati.* Quomodo igitur potuere hi decipi, vel decipere? quanto magis id considero, & fingo ita esse, minus inuenio.

a. Pet. 1.

1. Ioan. 1.

1. Cor. 9.
Galat. 1.
Act. 1.
1. Cor. 15.
Act. 5.

XIII. Si vitam eorum, ac Præceptoris contemplare, summam invenies innocentiam, probitatem, mutuum amorem inter se, & erga totum genus humanum: nullam jactantiam, aut ambitionem, aut cupiditatem inter eos. Videntur esse nati tantummodo ad beneficiendum, nullique nocendum, sed adjuvandum etiam inimicos operibus, & oratione ad Deum. Hæc autem doctrina semper eadem perseuerauit inter Apostolicos homines, veroſque Christianos, & sic vbique prædicatur vsque in hodiernum diem. Ergo fide quæcunque digni sunt, vndequaque, & vsquequaque. Sunt enim probi, fortes, liberi, omisso timore, & cupiditate, veritatem propalantes. Sunt etiam sapientes ea, quæ dicant. Nam eorum sensibus palàm manifestata est veritas Resurrectionis, & Ascensionis Christi, & miraculorum, & vitæ, & dogmatum; ergo testes sunt de visu simplices, puri: nec loquuntur opinatiuè de rebus non visis, aut non reuelatis, sicuti Macchiauelliſtæ secus opinantes.

Ex vita, & lege eorum.

Fragilitas, Ignorantia, & Malitia testimonium infringunt, vt in 1. Metaph. & Topicis, quorum contraria in Apostolis fuere circa ea quæ prædicarunt.

XIV. Nec propterea, quòd pauperes fuerunt, & Christus dixit eis, *Centuplum accipietis in hoc sæculo, & vitam æternam in futuro, & sedebitis super sedes iudicantes, & c.* eorum testimonium infirmatur. Hoc enim præmium non est promissum illis, tanquam principale, in quo fundarentur tanquam possessores sed promissa est eis pressura. *In mundo* (ait) *pressuram habebitis.* Vade *Vende, quæ habes, & da pauperibus, & c, Nolite portare sacculum, neque pe-*

vam, neque calceamenta, neque duas tunicas, &c. Tradent vos in Conciliis, & in Synagogis suis, flagellabunt vos, &c. Nolite timere eos qui occidunt corpus, &c. Quin prædicatio Christi incipit. *Pœnitentiam agite, &c. Beati qui lugent, &c. Beati estis cùm vos persequuti fuerint homines, & flagellauerint, & iecerint, &c.*

Ergo illud centuplum, promissum est eis in bonis temporalibus, sicut additamentum ad magnum negotium, quod operaturi erant; quasi admonendo eos, quòd prouidentia Dei illis, qui reliquerant propter Euangelii prædicationem, amicos, & parentes, & agros, aliaque bona, prouidisset eis, vt hæc illis non deessent, sed centuplum acciperent. Et verè sic factum est. Nam manducabant quæ dabantur; nec defuit illis victus, aut vestitus vnquam; labores autem manuales, quos suscipiebant, nè scandalum auaritiæ olerent, voluntarii erant. Et quotquot homines Deo lucrabantur, fideles erant illis magis, quàm parentes, & amici carnales: & possessiones vendebant, & ponebant prætia ad pedes Apostolorum, qui distribuerent omnibus. Et sic adimplebatur promissio, & non in possessione mundana. Et fundauerunt Ecclesiam in toto Mundo victoriosam, & potentem. Et quidem ita lætabantur in tribulationibus. sicut in delitiis, & longè magis, si ritè contemplemur ab initio. Porrò, & hoc centuplum acceperunt non in morte Christi, in qua frangi potius, atque obmutescere debuissent; sed multo post in aduentu Spiritus sancti. Et hoc centuplum pro nihilo habebant, nisi in Deo. Nulla ergo suspicio mendacii inuenitur in eis; si enim in mēdacio fundati essent, primis ictibus cadentes, cessissent.

XV. Plurimi Hebræi, & Turcæ, & falsi Christiani Euangelii historiam, & Apostolorum negant, & falsitatem inesse autumant, ac temporis diuturnitate fidem nactas esse quoniam in quadam Ciuitate, quam nominare nolo, Macchiauelliſtæ pictis Apostolis flagellatis imposuerunt titulum, *Pro falsariis*: propterea ipsorum testimonium iterum examinare non pigeat.

EXAMEN TRIVMPHI, ET PRÆcedentiæ, qua pollent teſtificantes ſuper opinantes: vnde calumniatores Apoſtolorum omninò ſtatim conuincuntur.

CAP. XV.

Principium, vnde omnis veritas probatur, & ad quod reſoluitur, contra opinantes.

I. PRopterea nouo facto principio Metaphyſico, in quo ſumma rerum, & diſputationum, & negotiorũ, & vitæ hominum, vertatur, fundaturque, dixi ſic inquirendo de Euangelio, eiuſque teſtibus.

II. Propoſitio omnis, aut vera eſt, aut falſa. Veritas & falſitas humanitus non cognoſcuntur opinione, ſed experimento omnium ſenſuum, nec ex reuelatione opinantium, ſed teſtificantium. Hoc principium aſſerere debent etiam Sceptici, qui negant omnem ſcientiam, etiam ſenſitiuam. De quo manifeſtè conuincuntur in noſtra Metaph. ſaltem quoad Quia eſt. Nemo enim videns me, negare poteſt, me nunc ſcribere; Nam & qui legent hanc paginam, dicent, me ſcripſiſſe. Quamquam enim quoad propter Quid res omnis dubia eſſet, quia nullius quidditas perfectè cognoſci poteſt, veritas tamen Quia eſt, cum ſit hiſtorica, non poteſt pluribus dubia eſſe cernentibus ipſam ſimul ad lumen, cunctis ſenſibus adhibitis, non impeditis paſſione corporali, aut ſpirituali proprij amoris, aut odij.

Lib. 1. primæ partis.

Credendum eſſe teſtificantibus, nõ autem opinãtibus quibuſcunque.

III. Multi ſanè ſcripſeruut doctè, quod alterum hemiſphærium Antipodum non extaret; & Lactantius Firmianus, Procopius Gazeus, & S. Auguſtinus, & ſequaces multi doctiſſimi, ac piiſſimi, irridebant eos, qui extare aſſerebant. Aliæ Philoſophorum ſcholæ negabant. Aliæ ancipites erant. Tandem nauigauit illorſum Chriſtophorus Columbus, inuenit nouum penè orbem, Antipodeſque in altero hemiſphærio. Et palam factum eſt, quòd ibi erant habitatores, & non Paradiſus Terreſtris, vt opinabatur Danthes, vt neque in Inſulis Fortunitatis, vbi Doctores, & Chriſtiani, & Hebræi, & Gentiles ipſum poſuerant; neque infinita aqua vt Xenophon, & multi Philoſophi; neque Tartarus, & inferi, vt Virgilius, & Iſidorus: neque ſyſtemata plurima Terrarum, & Marium,

Probatio, prima ex negato à Doctis, & Sanctis opinantibus hemiſphærio altero, conuictis ab vno teſtimonio.

& aëris, vt Mahomettus docuit. Et dixi, cuinam ex his nunc credendum est: huicne Nautæ idiotæ testificanti de visu, an Augustino, Lactantio, & Philosophis, & Poëtis, & Legislatoribus? Nautæ Columbo prorsus. Ergo, dixi testimonium legitimum præcellit omnes opiniones, licet Sapientum, & Sanctorum, dummodò quatenus opinantium tantummodo. Item Arist. Virgilius, Ouidius, aliique plurimi Philosophi, & Poëtæ, & Theologi (quibus etiam quidam Sancti Doctores, & D. Thomas magis assentiendum iudicant) negabant posse viuere, & habitare homines sub Æquatore, & sub Polis ob nimium (vt putabant) calorem & frigus. At hodierno tempore Lusytani, & Angli, qui nauigando contrarium viderunt, ostendunt Aristotelem mendacem, & omnes secum opinantes, & syllogismos eorum veritatem hic non assecutos.

Arg. 2. ex necessitate politica, & morali, & œconomica &c.

IV. Et dixi circumspiciens. Profectò si existimatio, opinióque humana posset secundum naturam anteponi testimonio; hominum commercium, & Respublica omnis subitò dissolueretur; nemo sciret cuius est filius: nec quòd sit legitimus prædij sui possessor. Quicunque enim alius dicere posset. Hoc est meum prædium, & probaret sic esse per syllogismum. Et tu non es filius Petri, sed Francisci, quia sic videris per syllogismum physiognomicum. Quòd si tu allegares testimonium vicinorum, & obstetricis, & instrumentorum, & codicillorum, nihil valeres contra sophistas in contrarium argumentantes. Item nec crederemus nauigantibus, quòd extet alterum hemisphærium; neque historicis, quòd Cæsar fuerit in humanis; nec quod Turcæ regnent Constantinopoli, quoniam diceremus per opinionem syllogisticam, non debere Deum hoc permittere; & tandem nulla veritas subsisteret, si testificantibus non plus fidei præstaretur, quam quibuscúnque opinantibus Sanctis, sapientibúsque. Omnésque historiæ rerum præteritarum falsæ haberentur, nullúsque Rex ostendere posset, quo iure possidet suum Regnum, nec cuius filius sit.

Cõclusio quod miracula Christi & suorum negari nõ possunt.

Ergo (concludo) quicunque negant miracula Christi, & Moysis, & aliorum, & Historias autenticas propter opinionem contrariam, nullam merentur omnino fidem.

V. Deinde dixi. Naturale est homini propriis credere sensibus, eo quòd sunt testes ipsi animæ de rebus, quæ sunt extra nos. Alioquin sequendo opinionem, comederet amara pro dulcibus, noxia pro vtilibus, alba diceret nigra, & somnia veritates. At vbi oculus fuscus, & auris obturata, & gustus bilioso perfusus humore, haud quaquam præstatur sensibus fides absque errore. Ergo sensibus purgatis, mundis, & sanis modò credendum est. Pari modo naturale est alienis præstare sensibus fidem, nos enim omnia vidisse, & vide-

Arg. 3. ex sensuum testimonio necessario. Cui mens innititur, non autem opinioni.

re non possumus sensibus nostris. Ergo scientia rerum præteritarum, & absentium non esset scientia. Sed quia sensu nostro experti sumus aliorum sensus etiam veros esse, & nostris subseruire; consimiliter faciunt & ipsi nobis scientiam.

Qui sunt fide digni. Ex notis octo noscuntur.

VI. Deinde addidi. Sed testificantibus fide dignis dumtaxat credendum est, quò fiat ex eis scientia. Tum, Ecquinam digni sunt fide? Illi sanè, qui id, quod scisciteamur, sensibus cognouere propriis,

2. Et non loquuntur ex opinione.

3. Et qui conformes sunt inter se non discordantes.

4. Et qui ab historiis contestationem habent aliorum scriptorum, at non malignantium, nec aduersariorum.

5. Et qui non reperiuntur mendaces contra alias historias comprobatas omnibus veritatis notis.

6. Et qui ab inimicis quoque approbantur; quamuis hoc non semper sit necessarium.

7. Sed quòd sint probi non corrupti cupiditate, pecunia, ambitione, veluti Poëtæ, & Historici venundati; nec timore Tyrannorum.

Et qui loquentur veritatem constanter, & certò, nihil vacillantes.

Ex quibus sane omnibus conditionibus simul palam fit, quod nec decepti fuerint, nec deceptores.

Cõditiones veracis testimonii omnes conueniunt Christo, & Apostolis.

VII. At (dixi) hasce conditiones omnes inuenio in Christo & Apostolis eius. Quinimò nil profitentur aliud, quàm testificari semper, numquam verò opinari. Ecce ante omnes Iesus Ipse dixit. *Amen dico vobis, quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur: & testimonium nostrum non accipitis? &c.* Et loquitur cum Emphasi, quasi dicens, naturale est credere testificantibus, tu autem non credis? Ecquibusnam credes? opinantibus ne? &c. Et Ioannes Baptista vocatur testis Christi. *Et missus, testimonium perhiberet de lumine* Et apostoli mittuntur à Christo tanquam testes de visu, *Eritis mihi testes in Iudæa, & Ierusalem, & vsque ad vltimum terræ.* Et Petrus eleganter dixit animaduerte quoniam non opiniones, *Nec doctas fabulas secuti.* (Sicut de Ioue, & de Mercurio, aliisque falsis Deis narrantur à Gentibus) *Notum fecimus vobis Christum, sed speculatores magnitudinis illius effecti. Accipiens enim honorem & gloriam à Deo voce de Cælo delapsa. Hic est Filius meus &c. ipsum audite.* Et *nos audiuimus vocem hanc, cum essemus cum illo in Monte Sancto &c. Et insuper habemus firmiorem propheticum sermonem &c.* Quoniam Prophetæ omnes prædixerunt aduentum eius & Deitatem, & conuenunt testimonia præsentibus. Sic & Ioan.. semper scribit. *Quod vidimus, quod audiuimus, & manus nostræ contrectauerunt &c. scribimus & testamur, &c.* Et alibi.

Ioan. 3.

Ioan. 1.

Act. 1.

1. Per. 1.

1. Ioan. 1.

Ioan. 12.

Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc; & scimus quia verum est testimonium eius. Ecce quomodo tota Christi schola fundatur in ipso puro & syncero testmonio nulla misto opinione, & Paulus, *Si Christus* (ait) *non resurrexit inuenimur falsi testes aduersus Deum, dicentes, quia resuscitauit Christum à mortuis, quem non resuscitauit &c. Ergo vana est fides vestra &c. Ergo nec nos resurgemus &c. Nunc autem Christus resurrexit, &c. Apparuit Cephæ, deinde vndecim; deinde plusquam quingentis fratribus; Deinde Iacobo: Deinde Apostolis omnibus, nouissimè autem mihi.* Igitur conclude: Quicunque loquitur contra Apostolos testificantes, propterea, quòd ipse opinatur contrarium, aut quiuis alius, fide dignus est nulla prorsus. 1. Cor. 15.

VIII Conuenientiam tantorum testium deinde examinani. Et vidi in doctrina morali concordiam, ingenti admiratione dignam. In omnibus Philosophis, & libris, annotantur contradictiones plurimæ, & dissentiones eiusdem Autoris, ne dum discipulorum; qui sanè pleni sunt discordia, & pugna de sensu Autoris, & proprio. vt apparet inter Peripateticos, Hippocraticos, Stoicos, Pythagoricos, & Platonicos, & Epicureos: Magis autem inter discipulos primarios Mahometti, qui confestim quatuor contrarias condidere sectas. At inter Christi dicipulos vnitas spiritus admirabilis; & pax, & consensio in tota doctrina dogmatum, atque morum: & in modo persuadendi per miracula, & testimonia Prophetarum, & signa confirmata virtutibus, & probitate vitæ, & charitate arctissima inter eos, conspiciuntur. Concordia testimoniorũ Apostolicorum. Conuenientia in substantia.

IX. Circa historiam verò in principalibus, quòd Christus natus est Filius Dei, quòd prædicauit; fecit miracula, & discipulos: quòd Ioannes Baptista fuit præcursor eius; quòd vterque violenta occubuerit nece: quòd Christus resurrexit: dedit Baptisma: ascendit in Cælum, quòd fecerit cænam Eucharistiæ; quòd promiserat Spiritum Sanctum: in his, inquam, omnibus conformes sunt omninò. Preterea conueniunt cum omnibus Prophetis antiquis; nullámque historiam allegant falsò, aut falsum, vt rectius ex Hieronymo docemur. At verò discrepare videntur in plurimis extra substantiam negocij. Alius ponit horam tertiam, alius sextam, alius vnum, alius duos: alius Spiritum Sanctum datum insufflante Christo; alius de Cælo missum post quinquaginta dies. Aduentum Magorum, & quasdam parabolas solus scribit Matthæus: miraculum Lazari, & Cæci nati, & Piscinæ, & æternitatem Iesu Verbi Dei solus Ioannes: Annunciationem, Gabrielis ad Mariam, & Zachariam; & pastorum adorationem, & cantica, & Mundi descriptionem, sub Augusto factam, apud Lucam modò legimus. Hæc & alia diligenti perquisiui examine, sed me multo magis in fide confirmarunt. Nam constat testes non ex condicto per dolum conue- Disconuenientia in accidentalibus non in re, confirmat testimonia.

nisse ad scribendum eadem eodem modo, vt nos deciperent, neque vt deceptos à Dæmone eadem dictante prorsus: sed scripsisse veritatem eandem variis modis seorsim alium ab alio: veluti etiam fideliores habentur testes in iure Ciuili separatim, aliquantulum in modo explicandi discrepantes, sed non in substantia, Videmus etiam idem negotium in eodem Conuentu nostro factum, aliter atque aliter ab aliis narrari: vt nusquam prorsus conueniant in cunctis: sed in substantia facti tantùm: ergo substantia euentus haud quaquam negari potest propter has varietates. Præterea has dissentiunculas consentientes facit Augustinus, & Hieronymus & alij; & Christus apud Brigidam optimè satisfacit. Præterea quod alius tacuit, alius dixit absque mendacio; nam & in vera Logica, locus ab auctoritate negatiuus non valet ad conuincendum. Et Ioan. dicit, *Alia fecit Iesus, quæ non sunt scripta in libro hoc; neque mundus caperet qui scribendi essent libri*, & Paulus allegat verba Christi, quæ non reperiuntur in quatuor Euangeliis, videlicet, *Beatius est dare, quam accipere*. Et palam est, quòd Ioan. prætermisit dicere, quæ alij priores dixerant scriptores; ac scripsit, quæ deerant post multos annos.

In lib. de Consen. Euangelistarum.

Ioan. 21.

Act. 20.

Præterea quatuor Euangelia concordiam habent miram cum antiquissimis scriptoribus Christianis, qui fuere in tempore Apostolorum, vt Ireneus, Policarpus, Papias, Dionysius, Clemens Romanus, Martialis, alique Coætanei. Quibus succesſere, Tertullianus, Iustinus, & Lactantius, Ammonius, Clemens Alexandrinus, Origenes & eorum coætanei; qui etiam habebant Euangelium secundum Hebræos: multaque scripta non satis autentica; & Ecclesia illa non retinuit tanquam non solidissima, tametsi Origenes vtitur pluribus, & Clem. & Hieron, Hos posteà sequuti sunt Didymus, Cipryanus, Basilius, Chrysostomus, Athanasius duo Cyrilli, duo Eusebij, duo Gregorij, vel tres Nazianzenus, Nyssenus, & Teumatur. Post hos vides Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Hilarium, Fulgentium, & coætaneos. Ex mox Isidorum, Gregorium, Anselmum, Bedam & alios vsque ad Benardum, Hugonem, Richardum. Mox Albertum, Thomam, Bonauenturam, Alex. Alensem, Scotum, Durandum, Hugonem, cæteroſque Scolasticos: & hi omnes quasi per manus transmiserunt ad sæculum nostrum easdē scripturas. Nec inter tot persequutiones Tyrannorū, & mortes Christianorum, & sæculi mutationes, & bella Barbarorum potuere vnquam hæ veritates ab ipsis scriptæ, extingui. Sed quod mirabilius est continuò perpetuóque Christiani aucti sunt numero, & viribus. Et cum occideretur vnus, resurgebant mille ita prorsus, vt promisit Iesus, *Si mortuum fuerit, multum fructum affert*. Atsi arma Mahomettanis auferas, statim eorum secta annihilatur, sicut in Hispania vidimus & in Africanis oris, & insulis.

De concordia testimoniorum Euāgelicorum cum omnibus historicis, & Doctoribus per tēporum vices perpetuo eadem durante ab Apostolis vsque ad nos.
Primum sæculum.
Secundum sæculū.
Tertium sæculum.
Quartum sæculum.
Quintum sæculum.
Sextum sæculum.

Arg. ex similitudine, & augmento in persecutionibus.

XI. Præ-

XI. Præterea conueniunt cum cum Scriptoribus Christianis inimici eorum. Ioseph enim Rabbinorum doctissimus, qui scripsit antiquitates, & Romæ plurimus honoratus est Statuis sub Vespasiano Cæsare, narrat Christi sanctitatem, & miracula dicens, fuisse magnum in opere, & sermone. Et addit. *Si tamen hominem fas est illum dicere.* collaudat pariter, & Ioann. Baptistam, non secus ac Euangelistæ ipsi. Et de Iacobo longè plura, tanquam de viro sanctissimo ità, vt putaretur propter eius necem capta fuisse Ierusalem sub Tito. Extat & testimonium Ægisippi Hebræi, qui etiam Christianis adhæsit. Lentulus quoque de Christo scripsit ad Tiberium Cæsarem tanquam de Deo; & Tiberius in Senatu de adscriptione Christi inter Diuos orauit, vt Tertul. ex scriptoribus gentilibus refert Philo. Hebræus sapientissimus collaudat Religionem Christianam, & mirificè scolam D. Marci in Ægypto, & viuendi modum philosophicum in communitate. Adde decem Sybillarum Gentilium testimonia, & Trismegisti, & Platonis, & Socratis, expectantium aduentum eius, & docentium simillima Theologiæ illius. Plures credo Baronius allegauit testes Gentiles, & Hebræos, similiter Cyrillus, & Chrysostomus Clemens Alexandrinus, Iustinus & alij hoc prosecuti argumentum. Argumentū ex testimonio inimicorū Antiq. lib. 18.

XII. Præterea Iudas, qui vendidit Christum, scripsisset de dolis, & machinamentis illius, & Apostolorum, vt se ipsum excusaret. Sed ipse pœnitentia ductus, laqueo se suspendit. Ergo nullum mendacium in eis agnouit: quamuis inter primos à secretis fuisset. Item & Caiani Hæretici, qui Iudam colunt, dicunt esse laude dignum, quia cum nosset Mundum esse redimendum per mortē Iesu, tradidit eū Iudæis bono zelo Ergo inimici nostri sunt pro nobis. Confirmatur ex actis Iudæ proditoris.

XIII. Præterea Romani scriptores sagacissimi, vt Cornelius Taeitus, & Suetonius, dicunt sectam Christianam esse superstitionem, veluti & Hebræorum; sed tamen nullum Christianis adscribunt crimen, aut dolos, sed potius simplicitatem innocentiámque. Item scribunt Neronem falsò imputasse Christianis incendium Vrbis, quod suæ ambitiosæ crudelitatis opus fuit; & alius adscripsit. Præterea miracula eorum ab Antonino Pio contestata allegat S. Iustinus coram ipso Imperatore in Apologia; & extat Romæ in Columna Antoniniana sculptum testimonium, Irident quidē omnes ferè historici Romani simplicitatem, & idiotismum Christianorum, sicuti solent, qui nolunt veritatem subtiliter inquirere, sed tandem victi, cessere miraculis, & sanguini tanto, cum essent lassi, occidendo eos, qui sicut herba germinabant. Ex Romanorū testimonio.

XIV. Amplius vniuersa Apostolorum contestificatio confirmatur miraculis, & sanguine, non solum ipsorum, sed etiam successorum. Ergo nec actiua, nec passiua deceptio reperitur in eis. Arg. ex cōfirmatione testimoniorum Apostolorum.

XV. Ampliùs, nouimus eos nulli obnoxios metui fuisse: si enim mortem non timebant, & omnes vitam pro fide illa posuerunt, quid nam aliud timere potuissent?

Arg. ex vitæ probitate intrepida in tormentis.

XVI. Quòd autem cupiditate, & ambitione caruerint, idem contemptus mortis docet, & communitas vitæ; & rerum despicientia terrenarum. *Omnia arbitratus sum stercora*, (ait Paulus) *propter eminentem scientiam Domini mei Iesu.* In idipsum omnes maximè vniformiter consentientes in summo gradu comperies: & perscrutare quantum acutè, nodum in scirpo quærens.

Probitas demonstratur.

1. Cor. 4.

XVII. Fuerunt Hæretici multi, sicut in Mahomettana, inter Christianos; sed successione auctorizata, & miraculis caruerunt: & prauitatem in moralibus, & cæremonialibus introduxerunt. Solus Petrus Apostolus retinet solium Christi, sicut promissum est ei; *Quod non deficiet fides eius, nec Portæ Inferi præualebunt, &c.*

Occurritur obiectioni de Hæreticis, & confirmatur ex eis veritas Catholica.

Luc. 22.

Matth. 16.

XVIII. Ex his è contra, ad uersus Mahomettū argumentatus sum

1. Cum enim Discipuli sui sint penitus discordantes.

2. Et ficti.

3. Et terrenorum cupidi, pro his zelantes: fide indignus reperitur.

Arg. contra Mahomettum ex prædictis notis deducta.

4. Nam præterea neque sanguine successores eius fidem suam confirmarunt, neque ipse; nisi quis interdum idiota deceptus, nullum ostendente Deo signum in morte eius, necari se permitteret.

5. Profert etiam falsitates diabolicas. Acceptat Euangelia: deinde negat Christum mortuum fuisse crucifixum, ac esse Filium Dei consubstantialem: & textum Ioann. *In principio erat Verbum, &c.* vertit in suum triumphum. Sic & Ismaëlis historiam, à quo ipse descendit, præclariorem facit secundùm Deum, quàm Isaaci, & aliorum Patriarcharum; & innumeras fingit de omnibus fabellas.

XIX. Equidem diligenter inquisiui veritatem diuinitatis Christi; præsertim quia & ante Mahomettum ipsam negarunt Cherintus, & Photinus; qui & Ioannis Euangelium explodunt. Sed Paulus Apostolus me certum reddidit omninò: dicit enim ad Rom. 9. *Ex quibus Christus secundum carnem: qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, &c.*

De Christi diuinitate, suppositis testimoniis Sacræ Scripturæ, demonstrationes fiunt, vt D. Thom. in 4. contr. Gen. probat.

1. Nil curo punctuationem sacrilegam Seruetanorum in hoc; quia veritatem mihi quæro non contentionem.

2. Item ad Colos. 1. *Qui est primogenitus omnis creaturæ, &c. In quo condita sunt omnia visibilia, & inuisibilia, &c. Et ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant, &c.*

Col. 2.

3. *In quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, &c.*

1. Cor. 5.

4. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi, &c.*

5. *In quo erat Deus pacificans sibi Mundum.* Aliaque plura testimonia euidentissima, quæ dici non possunt, nisi de ipso Deo æterno, & vero. Et conformia sunt Ioanni, cùm ait.

6. *Hic est verus Deus, & vt æterna.* 1. Ioan. vlt. Ioan. 1.

7. Et cùm ait. *Erat Verbum*, (hoc est prima rerum omnium Ratio, & Sapientia) in principio.

Et Verbum erat apud Deum. Sic patet distinctio personalis, quia quod est apud aliud, distinguitur ab eo, apud quod est. *Et Deus erat Verbum &c.* Ecce vnitatem essentialem contra Arrium, facientem Christum Deum minorem, & creatum.

8. Sufficit Matt. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritu Sancti.* Quo iaculo confoditur & Macedonius. Si enim Spiritus Sanctus, & Filius, essent minores, & creaturæ, impium, sacrilegum, & stultum crimen Christus commisisset, quando eos in regenerationis animæ intrinseca diuina operatione. Scimus autem Christum ex aliis Sapientem, & pium. Item ratio docuit, rationem esse idem cum ratiocinante: multo autem magis in Deo, qui est idem cum suo intelligere, vt in Metaph. docemur. & Stoici, & Platonici, & Trimegistus odorem & sermonem aliquem de hac veritate habuerunt.

9. Sest ad testimonium pauperum piscatorum præclarissimum non transcenderunt: Quod nimirum rubore perfundere deberet quemcunque incredulum arrogantem Qua ratione, quæso verba illa. *In principio erat Verbum, &c.* Fingere potuisset homo, nesciens legere, neque scribere? non Isaias & Ieremias Christum Deum & Ieoua annunciant? An inuenies discordiam inter eos? Quis Apostolorum non vocat Christum *Filium Dei?*

Ergo stultitia est eorum, qui dixerunt, Christum finxisse negotium resurrectionis Lazari, aliáque miracula. Multò autem minus propria, & post mortem finxisse putandus est. Et quicunque contradicit Apostolis, is mendacij conuincitur, tanquam cœcus opinans, & non testificans oculatus, quales illi fuerunt.

XX. Equidem secundùm rectam philosophiam persuasum habeo prorsus, quia euidenter credibile est, quòd sit verum Christi Euangelium. De Moyse quoque ex eo quod præconizauit Christum, & Christus confirmat dicta Moysis, vehementer confirmare concluditur alias suæ veracitatis causas. Et reuera hoc argumentum magnum est diuini testimonij. Examinaui Prophetas: & vidi omnes vno ore prænunciare quendam Mundi Saluatorem, nedum Hebræorum. Dixit Deus ad Abraham, quod replicauit Isaco, & Iacobo, quòd *In semine suo benedicendæ forent omnes nationes terræ: & quod hæres esset Mundi: & semen eius sicut Stellæ Cæli multiplicandum* valde, & nimis, *& sicut arena maris.* At si Christus non venisset ad verificandum hoc oraculum positum à Moyse, careret

Ex testamẽto Christi Moysis testamẽtum longe magis confirmatur. Item ex prophetia Moysis.

Gen. 12. Rom. 4.

quidem Moyses testimonio præcedenti: non enim inuenitur, qui eius aduentum, & legem prophetauerit, regnúmque sacerdotale; sed ipsimet scribit propriam historiam; & testimonia Abrahæ, Isaac, & Iacob; quibus factæ, & confirmatæ fuerant repromissiones. Sed quòd prænunciauit Moyses populo suo, quòd captiuus sæpe futurus erat, & transmigraturus in regiones diuersas, & sæpè, & passurus ærumnas atroces; Accidit Hebræis vicibus multis: & hæc est postrema, cui remedium non inueniunt. Omnes præterea Prophetæ discipuli Moysis, & ipse Dauid, qui ipsorum videtur Princeps, & Magister, qui miraculis, sanctitate, & doctrina, & sanguine interdum. nos certos faciunt de lege Moysis, pariter præmonstrant venturum fuisse de semine Dauid Saluatorem, qui instauraret Regnum Israël, & promissiones Abrahæ. vt *hæres esset Mundi.*

Ex testimonio Prophetarum de Christo.

Profectò Iudæi iniuste negant Iesum esse Messiam. Illum ipsi expectant, & venit ille, quem expectabant, & dixit, quod ipse esset: & hoc ostendit miraculis, sicut Moyses; & sanguine plusquam Moyses, & testibus, & probitate vitæ; & Prophetis, quos non habuit Moyses: cur nam nunc non præstant illi fidem.

Occurritur Iudæorum negationi, & cõuincuntur, quod credere debẽt Christo plusquam Moysi.

Examinaui causas perfidiæ, & inueni, quòd desiderant in primo aduentu ea, quæ promittuntur post mortem eius fieri patulatim in Ecclesia, & complenda sunt in secundo aduentu, vt maximè patet ex cap. 53. Isaiæ, *Quod fortium diuidet spolia &c.* & *omnia trahit ad se, & fiat vnum ouile, & vnus Pastor*; Et seculum illud aureum, quod in superioribus declarauí examinibus; & ostendi errores Iudæorum, & Mahomettanorum ex hoc etiam capite pendere. Hæc scripta sunt latissime in Prophetalibus.

Potissima causa obstinationis Iudæorum contra Christum.

Inueni deinde consensum inter Prophetas, & Apostolos mirabilem. Et Isaias, & Zacharias, me in stuporem traxerunt, considerantem nimiam certitudinem, & quasi historiam faciendorum per Iesum: & hic prophetauit vnã cum Aggeo excidium Ierosolymæ, quando ædificabatur sub Zorobabel, ne quis possit fingere fuisse loquutum de Chaldaica eversione, & reædificatione, quæ tunc fiebat. Præterea Sybillæ admiratione perfundunt quemcunque horum perscrutatorem; cùm viderit quanta certitudine negotium Iesu totum ad vnguem prædixerint Et Lactantius, aliique viderunt scripta earum, & Cicero latine vertit oraculum Sibillæ, quæ pronunciat Iesum Saluatorem per Crucem: & fatetur expectari Monarcham Mundi suo tempore; quod tamen illi displicebat, ne Respublica corrueret. Plato & Socrates in libro de Sanctitate. & de voto, expectabant Legislatorem & instauratorem cultus veri Dei. trismegistris etiam, regeneratorem hominum & cultus diuini instauratorem præstolabatur, vocandum Filium Dei, in Asclepio. Et Sybilla eundẽ expectatũ sæpe collaudat. Idẽ Diuus Au-

Ex Isaia, & Zacharia plenitudo test. de Iesu.

Ex Sybillis testimonium.

Ex Cicer.

Ex Plat. & Socrat.

guſt. didicit ab eis. Et veluti nunc omnes gẽtes iudiciũ vniuerſale expectamus, ſic tunc tẽporis expectabatur Chriſtus. Quòd Aggeus Propheta Hebræis ſignificauit dicens; *Veniet deſideratus cunctis gentibus.* Eadem expectatio palam eſt in Dialogis Triſmegiſti. Et iudicii finalis, & omnium fere dogmatum Chriſtianorum.

Arg. ex Sideribus pro Chriſto.

XXII. Nec Aſtrologi huius debent eſſe cognitionis expertes: quia, vt Sanctus Leo ſerm. 4. Epiph. *Ad roborandam hanc fidem, quæ contra omnes præmuniebatur errores, ex magna geſtum eſt diuini pietate conſilii, vt Gens in longinqua orientalis plagæ regione conſiſtens, quæ ſpectandorum Siderum arte pollebat, ſignum nati pueri, qui ſupra totum Iſrael regnaturus eſſet, acciperet. Noua etenim claritate apud Magos Stella illuſtrior apparuit, & intuentium animos admiratione ſui ſplendoris implenit* ſimiliter Sanctus Auguſtinus ait. *Aſpexit Magus, obſtupuit Aſtrologus, putauere Fatum;* ſed *fuit ſignum &c.* At venientibus ad cognoſcendum quod aſtrologicè cernebant, Spiritus ſãctus ſupplens quod deerat pio officio, Deum eſſe in animo inſpirauit, vt adorarent. Plures nati ſunt eodem tempore, qui finxerunt ſe Meſſiam eſſe, vt narrat Lucas & Ioſeph, & interfecti ſunt, ſicut Ieſus: ſed iſte quia verus erat Meſſias, vicit moriendo, illi verò annihilati ſunt. Et credo, quòd quemadmodum in fine Mundi ſigna in Cælis conſtituet ſui ſecundi aduentus, ſicut legimus in Euangelio; ita ante, & circa primum aduentum fecit, vt non deeſſent influentiæ cæleſtes, & mirabiles homines Mundo promittentes, & quò Deus in Stellis ſigna omnia naturalia, quorum ſunt cauſæ, vt Plato, & Origenes, & Diuus Thomas teſtantur, & inſuper multorum ſupernaturalium, quorum non ſunt cauſæ, eſſent ſigna, vt monet Sanctus Auguſtinus, & Theologi non vulgares. Dixit Ioannes Baptiſta, quando & ipſe vt Meſſias habebatur, & diſcipuli indignabantur, quòd Ieſus plures faceret diſcipulos. *Nemo poteſt accipere, niſi quod illi datum fuerit de Cælo;* Hoc eſt ab Autore Cælorum; quem nihil prohibet in eodem Cælo ſignare quæ mirabilia vult facere, cum illorum ſit Dominus. Sunt enim omnia in Deo Idæaliter, & ſicut in Opifice; in Angelis adminiſtratoriis Cæleſtium, & Terreſtrium, ſicut in diſcipulis exequentibus Idæationem; & in Cælo, ſicut in communi ſigillo formationum; &, vt Triſmegiſtus ait, in Pantoformio; & in Elementis inſtrumentaliter; & in elementatis, vt in ſuſceptiuis poſtremis. Et quidem Sidera Chriſto in quantum erat Deus ſeruire decebat, tanquam ſigna ab ea poſita pro nobis: at in quantum homo paſſus eſt ab eis calorem, ſiccitatem, multaque, quæ homines veri patiuntur, prout ipſe præordinare voluit. Porrò ſub eadem conſtellatione eadem in nobis deberet procedere operatio, cum Cælum de ſe vniformiter influat ſed tamen diuerſæ operationes in nobis ſequuntur propter diuerſas affectiones noſtras, prout vitio, vel virtute noſmetipſos regimus. Vnde D. Thom. propterea, ait, etiam de ar-

Ser. de Epiph.

Ioan. 3

3. contra Gen. ex c. 81 vsque ad 90.

bitriis Astrologum sæpè verum pronosticari, quoniam sensum, subditum Stellis, potius quam intellectum, non subditum, sequuntur; sicut temporibus nostris potens constellatio indicauit Lutherum, & Serifum, & Sosium, per religionem falsam seducentes orbem, & è contra simul indicauit Ignatium cum Iesuitis suis, & Capucinos, & Fernandum Cortesium. Animus semper liber est, & quancunque per impressionem in sensibus mouetur ex constellatione, exque ea in se modificata secundum naturam recipientis, tendit ad bonum, vel ad malum, prout quisque est affectus, & vtitur bene, vel malè motionibus suis. Eadem pluuia descendente de cælo, alii Nautæ ad vouendum, alii ad blasphemandum sese ferunt. Cometam nascentis Iesu notauit Calcidicus Platonicus super Timeo, & Magi Orientales: sic mutatio Arietis in Taurum, & omnis signi in omnem signum, seu locum signi in spatio immenso, & coniunctio magna in primo Trigono peractis cæteris. & nouitas Anomaliæ paulo ante Iesum cæperunt, & iam *motum est cælum & terra*, vt non ineptè verificari etiam in hoc possit quòd dicebat Propheta quando *venit desideratus cunctis Gentibus*, obstupente Mundi machina ad Dei sui Incarnationem, vt enim Hieron. inquit, omnia sentiunt creatorem, quamuis nobis sint insensibilia.

Ergo non afferent increduli Stellas, fecisse hoc sed Deum. Stellæ enim à Deo fuerant ab antiquo ad hunc dispositæ ordinem, secundum mensuram prouidentiæ suæ. Et iam in horum consideratione immoratur suspicando rationabiliter ex mutationibus irregularibus Apogeorum, excentricitatum, & obliquitatis, & Solstitiorum, & æquinoctiorum, Stellas cieri ad nutum Dei, video: Qui sane cum vult accelerare, aut tardare, accelerat, tardatque motus earum, de quo alibi scripsi, & ostendi: ex *quo dormierunt partes non perseuerare sicut ab initio omnia*, vt prophetauit Petrus Apostolus, dicturos esse Peripateticos, & Macchiauellistas illusiores, mundum æternantes, propterea quod cælum semper eodem motu, & situ, & regula, ipsæque stellæ motæ sunt, vnde Arist. immortalitatem Mundi probat in primo Cæli physico argumento: (Nam cæteræ rationes, quòd deretur motus ante motum, & tempus ante tempus, sunt Logicæ, & inanes) siquidem in prefatis exorbitantiis cuncta irregulariter semper ideſt non secundum primordialem regulam insensatę naturæ cieri; sed prout opificio Dei sapienter moderantis mutantisque mirificentissimo, opus est, agnoscimus. Vide Metaph. & Prophetalia.

Arg. ex Veteribus contra Mahometē 1. Ioan. 4.

XXIII. De Mahomette autem prophetiam non inuenio, nisi tanquam de *Antichristo, qui soluit Iesum*, vt dicit Ioan. & quæcunque Christus dixit, euentus comprobauit.

1. Nam mox accidit Ierosolymitanum excidium, & non remansit

lapis super lapidem sub Tito, & Vespasiano.

2. Et renouatio sæculi.

3 Et totus Mundus fidem eius accepit, vt ipse dixit.

4 Et mors, & pressura, & victoria Apostolis prædicta

5. Et quod Ierusalem calcabitur à Gentibus, donec impleantur tempora nationum. Ergo Antichristus est ipse Mahomettes, vel insignis eius præcursor: post quem caput vnum adhuc surrecturum de Secta illius est diabolicum præ cæteris maxime, omnium prauitates recapitulaturum. Notas alibi dicam. Nam, & eas satis examinauimus. In Prophetalibus.

XXIV. Insurrexerunt hæreses, sed non negant Christum & Apostolos, neque testificantur contra Historiam Euangelium; sed contra sensum Catholicum controuersias dumtaxat cient. Ecclesia semper firma permansit inter tot turbationes hæreticorum, & Tyrannorum; quia Christus dixerat: *Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam*: Primatum Petro traditum, *Pasce oues meas &c. confirma fratres tuos &c. Tibi dabo claues &c.* Semper stare fortiorem vidimus. Aduentus eius, quàm proximus sit, mihi indicant Cæli exorbitantię, & signa in Sole, & Luna, & Stellis charitatis defectus, & Spiritus fidei ecclypsatio apud eos, qui terram contra Solem interponunt, vel Lunam instabilium cogitationum. Ecce cùm Apostolus dixisset: *Ecclesia est columna, & firmamentum veritatis*: comprobat hoc dogma quadam emphasi certitudinis mirificæ. *Profectò* (inquiens) *magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est, in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in Mundo, assumptum est in gloria, &c.* O quàm verè! Ex firmitudine prænunciata pro Ecclesiæ Romanæ fide. Matth. 16. Ioan. 21.

XXV. Videmus etiam promissionem Abrahæ compleri, vt sit *Pater omnium Gentium, & semen eius, sicut arena Maris, & sicut stellæ Cæli*; quoniam Iudæi, filij eius secundùm carnem per Mundum dispersi totum, *vt testificarentur vnum Deum Gentibus*, vt dixit Tobias: *vt sint nostri librarij*; vt dicit Augustinus. Turcæ verò, Persæ, Arabes, Mauri, profitentur se descendere ab Abraham secundùm legem per Ismaelem, à quo Mahomettes eorum Legislator originem trahit. Sic Tartari per Cinghum, qui ex decem tribubus sub Salmanassar translatis. Et omnes tanquam patrem colunt Abraham. Et verificatum est, quod dixit illi Deus de Ismaele; quòd *de ipso Principes, & Reges nascituro erant, & manus eius contra omnes & manus omnium contra eum*; Et quòd magna pars mundanæ possessionis ad ipsum spectet. Sed hi pertinent ad arenam Maris. At promissio benedictionis cælestis, & super stellas Cæli, & Monarchia Sanctorum postrema, debetur Isaac, & semini eius, quòd est Christus. Sic etiam Christiani omnes profitentur se descendere ab Abra- Arg ex adimpletione, promissionis Abrahæ. Gen. 12. & 15. & 22

ham, quia inserti sunt à Christo, tanquam Oleaster oliuæ, Dauidicæ prosapiæ Regiæ teste Paulo. Cæteræ Nationes paulatim ad hanc filiationem conuertuntur; nec iota vnum inuenio, quod non impleatur, quando rectè considero.

Quapropter ex propriis prædictionibus, & sequela Prophetarum, & qualitate miraculorum, manifestè comprobatur Moyses esse Nuncius Dei. Adde præterea firmiorem Christi contestationem.

XXVI. Mahomettes è contra prædixit, non surrecturum post se Prophetam alium. Hoc autem falsum conuincitur: quoniam Cinghus fuit post eum, qui & à Tartaris suis, tanquam Propheta ficut Mahomettes, habetur. Item secundum quosdam Arabes, qui vitam eius scripserunt, quorum testimonio vtitur Carthusianus, prædixit se post mortem resurrecturum, & ascensurum in Cælum: & mendax inuentus est: Proptereaque sequaces sui proiecerunt corpus eius, cùm expectassent præscriptum tempus, & non nisi fœtorem vidissent. Deinde Haly collegit corpus, & reuocauit socios, qui dissiliebant soluto cœtu; & suasu duorum Iudeorum, qui sequabantur Mahomettem, suscepit titulum, Prophetæ, & quòd Mahomettus Tyrannicè occuparat, Meche Regnum: sed per inuidiam occisus est à Bubac, qui tanquam bene meritus magis de Mahomette, aspirabat ad Tyrannidem. Cæterum scribere omnia mendacia eius historica propheticáque impossibile est. At ex dictis habentur multa.

Arh ad hominẽ ex Astrologia, ex qua Mahomettani conuincuntur, & Gentiles & ex Parte Iudæi.

XXVII. At verò, si licet nobis, minus has rationes probantibus, ad Astrologos, & ad ipsis credentes politicos, qui Deo, diuinisque viris non credunt, argumentari per cælestia in his magni momenti negotiis, cùm meliora spernant, assero etiam conuinci eos ex eorum principiis. (Nam veritas etiam à Diabolis testimonium habet, vt dicit Chrysost. ex Oraculis Daphnidis, & ex Balaam, & ab omni scientia.) Sciendum ergo, quòd secundùm numerum annorum communem Moyses Legem tulit, quando sub trigono Solis fiebant synodi magnæ. At secundum Albumasar, & Aly, Mahomettanos expositores, & Cardanum nostratem, sub trigono Saturni. & Mercurij: quoniam cæpit cum mirabilibus in Ægypto subdito Geminis, & designat eius durationem, & dispersionem, & turbationes, vt aiunt, & quod ipsa cæteræ leges indigerent ad sui confirmationem, quoniam Mercurius est Princeps linguarum Saturno verò omnes Planetæ applicant. Et Macrobius à D. Thom. receptus in hoc, in opus xx. Saturninos propter hoc ipsum facit Hebræos. Christi Legem ortam, & promulgatam sub triangulo Iouis, & Solis, qui primus est, vt ipsi hostes dicunt; significatque vitam illustrem, puram, innocentem, veridicam, & piam, & Prophetas veraces. Sic fatentur omnes Astrologi, & Iudæi, & Mahomettani, & nostrates.

D. Thom. opusc 20. lib. 3. c. 6. Iudæos Saturnios propter hoc aliorum contrarium aspernari.

Cæ-

Confitentur etiam iidem Mahomettani, Haly expositor, & Abenragel, & Dorothæus, & Albumasar, & Albategnius, legem Mahomettis sui cæpisse sub trigono Martis, & proximam præcedentem coniunctionem magnam fuisse in quarto Scorpionis. Et ipsimet docent in hac constellatione significari Prophetas falsos, impios, crudeles, fabulosos, ponentes ius in armis; ac proinde talem esse Mahomettem suum fatentur. Et sub eodem trigono fuit Lutherus, & Calvinus, & Serifus, & Sofius, & hæresis Anglicana; qui videntur Alchoranum, non Euangelium, amplexi esse pariter,

Præterea in 4. in lib. Esdras prophetauit, quod egressuri erant Dracones Arabes, & Mundum contaminaturi. Hi fuerunt Agareni sub Capite suo Mahomette, postea se vocarunt Saracenos. Idem liber prædicit Apros de Caramania, qui fuerunt Turcæ: & quicquid in illo libro habetur, quotidiè verificatur. Et nubes terribiles ibidem sunt Cinghus, & Tartari. Sed quia D. Hieronymus, qui eo annis præcessit Mahomettem, librum illum Apocryphum reputauit, Ecclesia parui fecit eum præceteris libris sacris, nec in Canone vnquam posuit, licet illum Basilius, & Ambrosius, & Picus Mirandulanus, mirificè laudent. Sed qui veritates eius rectè diiudicat, rectè nouit librum esse plenum sapientia, & consideratione plurima dignum; quamuis prudenter non sit receptus in Canone. Mahomettes ergo prædictiones habuit se dignas. Idem quoque Scorpionis trigonus ostendere eum debebat Arabibus Astrologis suis (quod etiam fatentur) luxuriæ deditum, & concupiscentiæ fœminarum, sicut Daniel prophetarat: sic & sequaces eius cum vxoribus multis. Et venus est stella Arabum, & Luna per secundum trigonum; Et Mahomettes scribit se habuisse à Deo virtutem in renibus subagitandi tot mulieres, quot possent homines quadraginta. Hem prophetæ Antichristiani signum!

Ex Esdra contra Mahomettum. 4. Esdr. 15.

Occurrit obiectio. 6. Reuel. 45.

Scripseram in hoc Astrologicum prognosticum pro Eccle. non discordans à vatilinio S. Vincen. Brigid. Cath. Carthusian: sed prudentia summi pontificis iussit deleri quamuis cum protestatione ne demus ansam Astrologiæ, & seque horemus pretiosum à vili, vt patet in disp. nostra pro bulla SS. P. P.

Nec propterea Deus res non faciat, quia in stellis cernuntur. Sed magis certiores de sua reddimur prouidentia, quo magis cernimus eum illius ordinem metitum esse in secundis causis eius instrumentis & hoc ipse dixit S. Brigidæ; *Quod si homo siderum motus consideraret, de prouidentia Dei nil dubitaret.*

Arg. contra Mahō. ex scientiarum prohibitione & scelerū acceptatione.

Hoc bellum quod Turca libris, & virtutibus indixit, diabolica res est, indicans ignorantiam in falso pertinacem. Lupanaria puerorum, scholæ superstitionum in Serifi Regno, sunt semina Præceptoris sui. Inter omnes minus peruersi sunt Persæ.

Porrò è contra vidimus Apostolos inimicos cuiuscunque super-

ſtitionis, & vitiorum, & nullum in literis humanis ſtudium feciſſe nec in Siderali, aliauè naturali coniiciendi ſcientia : nihilominus quidquid prædixerunt, quotidie veritas certis comprobat euentibus.

EXAMEN MIRACVLORVM, *& autoritas ad conuincendum.*

CAP. XVI.

Comparatio inter legem Chriſti, Moſis, & Mahomettis, exratione miraculorum.

TRanſgrediar iam ad miracula. Quæ rite examinata impugnari poſſe video, tanquam minus efficacia ſecundùm nos omnes, ad perſuadendum, Legislatorem eſſe verè diuinum, niſi ſanguinem habeat, & vitæ probitatem, & teſtes fide dignos, quibus roborentur, & per ſucceſſionem hæreditariam prædicentur, & promulgentur. Id quod inuenio in Chriſtiana primo : deinde vero in Moſayca; at non ſic abundanter. Deinde comperio in Mahomettana tantummodo mendacia ludicra. Quinimo inter Philoſophos Mahomettanos, & Aſtrologos, qui plurimi ſunt, pro fabulis haberi miracula Mahometti deprehendo. Sic Auicenna, Auerroes, & prænominati, eius iudicant cauſam. Et plurima ſtatim falſiſſima demonſtrantur, vt illud de Luna : & de cucurbita : & de arbore ſui adoratore : & de putamine oui : & de lupo indicante ſe fieri velle Mahomettanum &c. Et ex hoc diſce omnia. Mahomettani Principes agnoſcentes ex his per ſcientias detegi Mahometti fallacias, relegauerunt omnes ſcientias Philoſophicas, & Aſtrologicas, & retinuerunt tantum Empyricam medicinam. Perſarum Rex, qui retinet Phyſicas, & Aſtronomicas artes, conſiderans non conuenire cum Alcorano veritatem naturalem, nouam expoſitionem amplectitur, omneſque ſtultitias, & dicteria, fabulas, & cerebroſitates illius ad myſticum trahit ſenſum. Quamobrem à Turcis appellantur Perſæ *Malecredentes*; retinentibus ſibi nomen Muſulman, hoc eſt *Benecredentium*. Si quod miraculum, quod reuera miraculum non eſt, niſi apparenter, feciſſet auxilio Dæmonis, ſciens ipſe à Dæmone ſe adiuuari, vel deceptus ab eo exiſtens, non poteſt conuincere legem eius eſſe veram, quippè cum Prophetia, teſtimonium, vita, & doctrina S. Scripturæ, & naturæ, aduerſa, repugnent : dete-

rius autem successio ambitiosa, crudelis, & discipuli impii, perfidi, & proditores alterius alteri.

II. Magi quoque Pharaonis & ipsi fecerunt signa quæ imperitis videntur miracula; vtentes scientia occulta, vocata Magia, applicatiua actiuarum passiuis rebus; eum in modum, quo natura in æstate repente ranam, vbi crassa pluuia cadit in calidum puluerem, producit. Hanc scientiam paucissimi callent, quoniam requirit multam, diuturnamque experientiam, & animi tranquillitatem, & scientias cælestes, & physicas: multique ipsam à Dæmone ex parte docentur: quod mihi iam non est dubium, postquam Astrologum supradictum hanc quoque scientiam, & alias docere promisit artes, simulans, sese Angelum esse. At ego increpaui Astrologum, cum mihi dolosa eius verba retulisset; & dissolutum est comercium, ac deceptionem sui nuncius agnoscens recessit à visionibus, & suggestione sola moraliter deceptus necem miser obiit violentam. Quapropter credo plures homines huiusmodi mirabilia naturalia facere, quæ videntur super naturam. At Magi Pharaonis demum confessi sunt Moysen à Deo adiuuari. (*Digitus Dei est hic,*) cum vidissent illum nequaquam vti Magia, dum illa faceret, ad quæ Magia non pertingebat. Fuit quidem Moyses, vt dicit Stephanus, & Ecclesiasticus, & Philo, & Ioseph, *instructus in omni scientia Aegyptiorum.* Et quidem Physicus & Medicus, & Astronomus, & Mathematicus in sua lege apparet; sed secundem pietatem ambulans coram Deo, meruit & à Deo doctrinam supernaturalem. Fuit ipse filius adoptiuus Reginæ, deinde Dux exercitus Pharaonis præliatus est contra Arabes, & Æthyopes, si vera refert Ioseph: & talis fuit apud Pharaonem, qualis Scanderbegus apud Amuratem Regem Turcarum. Agnoscens mox sanguinem suum, cæpit dolere propter ærumnas suorum Hebræorum. Vltus est iniuriam vnius ex eis, occiso Ægyptio iniuriante; fugit ab aula in Madian: factus est socer Principis Ietro, qui erat etiam Sacerdos summus. Et dum secum moratur, & pasceret gregem, missus est à Deo, qui apparuit illi in Monte, deditque miracula pro diplomate, ad liberandum populum suum: fecitque magnalia plurima, quæ legimus in Scripturis.

III. Hic videre poteris malignitatem Taciti, & Trogi, qui loquuntur tanquam opinantes falli, non tanquam testes; cùm dicunt Moysem fuisse filium Ioseph, Pharaonis charissimi propter explicationes somniorum, & Regimen Ægypti, & à Iosepho didicisse Magiam, per quam facinora illa patrauit astutè, & liberauit populum fuga, vt se Regem faceret; sed alter eorum dicit, Iudæos ab Ægyptijs expulsos fuisse per vim, quia erant leprosi, ac mansisse in desertis tabescentes, & morientes: tunc Moysen, vnum ex eis audaciorem, eos animasse verbis proficuis, & traduxisse eos per desertum, & dedisse legem simulando se Dei nuncium.

Argumẽta Cornelij Taciti, & Trog. & Iustini mendacia cõtra Mosen, & miracula eius.

IV. Profectò hæc omnia sunt falsitates opinantium; quando quidem historia testificantium clara est, quòd Moyses fuerit de Tribu Leui, natus post obitum Ioseph ducentis ferè annis. Neque Moyses mentitus esset genus, præsertim cùm gloria fuisset illi esse filium Iosephi. Falsum est quoque quòd expulsi sunt Hebræi; cum è contra eos fugientes Ægptii insequuti sint, submersique in mari rubro: Extitit illo in tempore ac Populo Lepra nimis; sed non ob ipsam Moyses abscessit; sed Dei nomine à Rege petiit, vt dimitteret populum. Et profectò, cùm exularet ab Ægypto propter homicidium, non esset reuersus ad Regem ita audacter, confisus tantùm in Magia illa, in qua Ægyptii quoque potentes erant, nisi Deus fuisset cum eo. Et quidem coram Rege asserere se missum à Deo, absque miraculosis probationibus, periculum erat terribilissimum: sed verè in cunctis diuinus apparet, & victor.

Vide veras historias Ægyptiorũ & Græcorum, & Syrorum de Mose insuper in 1. Strom. Clem. Alex. & apud Cyrill. contra Iul. & apud Ioseph. contra Apion.

V. Nec quidem Moyses se Regem fecit, sed quasi baiulum, & tutorem Populi in multo labore: nec suis filiis Regiam potestatem reliquit, cùm posset. Et Summum Sacerdotium non sibi, neque filiis, sed fratri suo, eiusque natis tribuit iure hæreditario; Principatum verò Iosue, qui non erat de tribu sua.

Qua in re quamuis non reluceat excellentia, quanta in Iesu, quoniam fuit Moyses Rex, & Sacerdos armatus, & tribui suæ dedit quasi dominatum super cæteras, vt viueret de decimis, mancipata Deo: nihilominus palàm apparet semper ad Reip. vtilitatem, non ad propriam respexisse, etiam si vt Philosophus, & non vt Dei nuncius, consideretur.

Inficiari autem eius historiam, & miracula est proteruè opinari, nisi historiam habeas fideliorem Scriptorum Moyse meliorum, & qui plus fidei sibi per virtutes comparârint in Mundo, quàm Moyses. At vbi talem inuenies, nisi Christum, qui testatur pro eo? Et licet Moyses ipse scripserit libgum, & historiam propriam; nihilominus & Cæsar scripsit proprios Cõmentarios de rebus à se gestis absque mendacio! Et Xenophon expeditionem Cyri minoris, in qua ipse Dux fuit: Etque tota fuit ipsius Xenophontis gloria, & gestis plena, scripsit cum veritate. Vir bonus veritatem de se, vt de cæteris enunciat. Sed & Prophetæ, qui subsequuti sunt, & schola stupenda, quam instituit in Orde, & quæ veraciter prædixit & vitæ probitas, idem pro eo confirmant.

VI. Quod aiunt de transitu maris rubri crescentis in Pharaone, & decrescentis in Moyse, fabula est. Adeò enim mare illud, etiam in extremo, profundum est, quòd in ordinario decremento, neque Elephanto transitum tutum præstat, ne dum tantæ multitudini innumerabili Hebræorum cuiusque ætatis, & sexus: erant enim sexcenta millia bellatorum, exceptis mulieribus, pueris, & iumentis.

VII. Qui affirmant Serpentem Æneum, in quem morsi aspicientes sanabantur, factum esse per Astrologiam, sunt stulti opinantes. Ego expertus sum, tantum non posse figuras Astrologicas. faciant ipsi idem, & tunc loquantur. De Serpente Æneo.

De cæteris fictionibus contrà eum, pudor est obloqui, quoniam nullum afferunt testimonium; sed opinionem propriam. Et Ioseph Appionem Grammaticum circà similia testibus multis, certisque confutauit: & S. Cyrillus in libris contra Iulianum, idem pluribus egit. Nec minus in Apolog Tertullianus.

VIII. Si allegas similitudinem ad astruendam opinionem; quia scilicet Cinghus itidem transiuit cum suis Mare Caspium; & Romuli floruit hasta. Respondeo quod fortasse ista sint mendacia. Aut refluxum præstitisse transitum, sicut contigit Scipioni in Carthagine noua: & Amilcari quendam sinum Maris apud Tunetum similiter pertranseunti cum exercitu: & Diabolum naturali arte adfuisse Romulo, & Cingho, vt eos exaltaret. Et tandem dico, dato, & non concesso, quod verum esset miraculum, quòd nihil repugnat, Deum, volentem nouum facere Regnum, aut aliquod negotium ingens, condescendisse ad faciendum miracula, vbi non extant, dummodo id non sit ad perhibendum testimonium falsitati. Sicuti & suscitauit Samuelem ad Saulis petitionem, quamquam ars illa non defunctos, sed Dæmones suscitet. Et Sybillis Deus, & Balaam superstitionibus contaminato per se respondit, dum fortè aliud inuocarent, aut per Angelum comparuit. Propterea in Ezechielis 14. ipse Dominus dolosè interrogantibus veros Prophetas, se responsurum comminatur, vt capiatur interrogator in astutia sua. *Etsi* (inquit) *errauerit Propheta, ego Dominus decepi eum, & extendam manum super illum.* Et 3. Reg. *Spiritus mendax à facie Domini egreditur, vt decipiantur Prophetæ in perniciem Achab.* Arcana Dei plurima sunt, & maxima. Profectò illi Vestali Virgini, quæ ad comprobationem suæ Virginitatis falsò accusatæ, portauit aquam in cribro de Tyberi in Templum, equidem eam magis propendo in sententiam, quòd Deus vero miraculo affuerit testando innocentiam, non comprobando cultum: quàm Dæmon sui Idoli, quamuis aquam arte aliqua retinere potuisset. Et in cunctis Nationibus Deus fauet innocentiæ. Quot autem miracula fecerit ad Nabuchodonosor, & alios ad Principes Gentiles, qui legit, nouit. Ergo concludo opinionem aduersus Moysem, ex his non posse roborari. De similibus. Idē patet ex D. Hieron. in. Ad Taciti obiectionem de Asinis.

IX. Porrò non minus falsus est Tacitus, quàm fabulosi illi Hæretici, qui dicunt Moysem Asinos adorasse. Non enim eos in sacrificiis mactari vetat propter honorem eorum, sed quia reputabat eos immundos. Sic etiam Canes, & Porcos, & Simios, aliósque plures. *Primogenitum* (ait) *Asini mutabis oue: quòd si non rede-* Exod. 13.

meris interficies. Ecce quem honorem tribuit Asinis. Concedunt tamen quidam Rabbini, quòd quando Moyses de petra educere aquam accingebatur, dicente Populo, vt educeret de petra quadam, ab eis ostensa, noluit; sed ad aliam perrexit; ideóque punitus est à Deo, dicente: *Quia non honorasti me, sed potentiam meam sub dubio posuisti, quasi magis ex hac, quam ex illa petra ego dare possim aquas, & non ab omnibus æqualiter, idcirco non intrabis in Terram promissionis.* Fatetur etiam Moyses, hoc suum infortunium euenisse sibi eo quòd non honorauerit Deum ad Aquas contradictionis; sed non explicat totum. Non tamen ex his habetur fallax, & mendax, sed syncerus; qui nec contra se siluit veritatem; maximè quidem silendam, si fraude vsus esset in miraculo, ostendentibus aquam Asinis, nè suspicionem in toto negocio suo præberet. Nec enim inter tantam multitudinem id cælari potuisset. Sed cætera eius facta, hoc quoque verum esse contestantur.

De euidentia certitudinis miraculorũ Christi.

X. At cùm christi miracula considero, nullam omninò suspicionem fraudis inuenio, neque in ipso, neque in Discipulis. Nam palàm est, quòd inter deambulandum, & nil istud attendens, miracula faciebat ipse, & posteà Petrus in fimbria, & vmbra: & sic successores eorum, & ipse dixit. *Qui credet in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.* Et ita vidimus profectò euenisse. Maiora enim fecit Gregorius Taumaturgus, & Hyacinthus, & Petrus, sed in nomine illius, qui faciebat in illis. Profecto cùm considero res gestas à Francisco de Paula, & Catharina Senensi, qui scio veritatem ab his qui viderunt, & scripserunt syncerè omnia, de Christi diuinitate dubitare pacto possum nullo. Et quidem hæc Gens sancta Papæ & Cardinalium tuetur auctoritatem; qui licet aliquando non sancti, à Gente tam Sancta, certaque de veritate cælesti Christiana, miraculisque plena, in summa veneratione habentur.

Ad obiect. Gentil.

Hinc execrari sceleratissimos Gentiles; qui librum venditabant de Magia Christi, ad Petrum, & Paulum scripta; cum Christus nulla præuia præparatione Magorum more fecerit miracula; neque hi Sancti quicquam tale didicerunt; & Paulus fuerit conuersus post Ascensionem Christi. Et scimus Christum scripsisse nihil, more Socratico, & Pythagorico; nec illi Gentiles miraculum vnum ex eodem libro illo facere potuerunt, vt Christus.

De discretione Ecclesiæ in recipiendis miraculis.

Stultè alij Apollonio, & Iamni, & Mambri, eum comparant: quorum patuit Mundo naturalis Magia; & nullum diuinitatis nomen habent; nec discipuli eorum successione eam retinuerint: & omnia præparatione antecedente patrarint.

Multas quidem falsas historias, apocryphaque miracula nostro in sæculo noui; at nequaquam tamen ab Ecclesia canonizari vnquam

vidi. Idque semper mihi fidem de puritate eius corroborat magis. Nam cùm nonnunquam etiam praui homines eius gubernacula regant, haud tamen vnquam prauam doctrinam, aut obscœnam, aut dubiam, aut inconstantem admisit. Et successio, eadem perpetua serie doctrinæ, probitatis, miraculorum, & martyriis per 1600. annos perseuerans, ipsam solidissimam in Deo declarat.

Nil obstat Mahomettismus veritati Christianæ, sed argumentum etiam dat veritatis illius. vel nolens, cum ad se charismata non traxerit.

XI. Et quaquam Mahomettes surrexerit contra Christianismum, haud tamen extinxit Regnum, Sacerdotium, Miracula, & Sanctitatem, & Prophetiam Ecclesiæ; sed perseuerant, nec transiere ad Mahomettanos, potestas hæc, & charismata, & donorum Dei successio spiritualis: sicut comparente Christo, Hebræi non modò amiserunt Regnum, & Sacerdotium, sed omnia dona spiritualia, Prophetiam, Miracula, Sanctitatem, obseruantiam Legis; & seruiunt impietatibus Talmudicis; aliaque signa, quibus Ecclesia Dei à cæteris dignoscitur, ab eis transierunt ad Christianos; vt prædixit Iacob, & Prophetæ. Maximum profectò argumentum proveritate Christiana. Hebræi autem relicti sunt dispersi, vt sint librarij Christianorum, & per libros suos, testes veritatis Christi contra Mahomettem, coram Gentibus, & Mahometanis; ostendentes easdem scripturas diuinas, quas Mahomettes falsauit, & conseruantes eas nobis in testimonium: vt inimici nostri sint Iudices contra inimicos nostros. At Mahomettanos, Deus permisit, non modo ad nostrorum punitionem peccatorum, præsertim ex schismate, & inobedientia orientium; sed etiam ad destruendum Idolatriam, propter vnitatem Deitatis, quam retinent contra Gentiles: & tollendum impedimenta introductionis fidei, vbi non est. Item, & contra Iudæos, quos ad fidem vocatos arguunt mendacij, quatenus negant Christum missum à Deo, quod Turcæ, & Persæ, & Arabes, & Fezitæ fatentur. Hem Dei prouidentiam? neque permitteret mala, nisi propter meliora, Ipse quoque vti nouit bonis, & malis in beneficium eorum, quos amat.

Resp. ad Boccacium.

XII. Stultè igitur Boccaccius fabellam finxit de tribus annulis datis à Patre tribus hæredibus æqualis ponderis, & speciei, & perfectionis; vnde illi ignorarunt quis verus esset hæres: Ex quo infert, haud posse internosci quæ sit verior Religio, Iudaica nè, an Mahomettana, an Christiana: quoniam eadem signa habent. Nam manifestè patet, annulos harùtrium legum non esse prorsus similes, nisi à longe aspicientibus, & arte, pietateque carentibus: Non autem gemmariis propè inspicientibus, & per artis instrumenta examinantibus: qui distinguere lapides falsos à veris præciosis, aurúmque ab auricalco, propè norunt.

EPILOGVS, RESPONSIO *& confirmatio huius libri.*

CAP. XVII.

VIDIMVS igitur Religionem Christianam, quantum ad omnia, naturæ decretis congruentem, & perfectionem illi superaddere; Et Deum extare Potentissimum, Sapientissimum, & Optimum, honore dignum infinito, non modò propter id, quod ipse est: sed propter beneficia innumerabilia, quæ nobis præstat. Item esse Vnum, & non multos, & omnium rerum curam gerere, sed præcipuè hominum; quorum Animæ sunt immortales. Item extare pœnas, & præmia post mortem. Item omnia fecisse per suam sapientiam, & artem: atque regere, instaurare: dominiumque eius esse penè infinitum in creaturis, quamuis etiam terram, & incolas eius non possideret. Dæmonem non esse eius competitorem, sed lictorem, carnificem, & præfectum carcerum; qui meritò damnatus sit ad hoc officium vilissimum ob suam superbiam maximam: & peruersum esse, voluntate, non naturâ: qua peruersitate videtur gaudere propriis malis, & alienis. Nec Deum ab illo, neque à blasphemantibus, lædi; sed id, quod in se fingunt esse Deum; ergo seipsos. Deum creare Animas in corpore, vt det illis occasionem merendi in bello inferioris Mundi. Peccasse hominem suggestione Dæmonis. Didicisse cultum Dei: diuisum fuisse in plures sectas, & Principatus, dum suam sub Dei tutela libertatem non custodit, effrenemque in mala omnia sub Diaboli iugum corruisse. Item Deum ipsum voluisse hominem liberare per suam Sapientiam, per quam fecerat eum.

Hanc ergo Sapientiam incarnatam fuisse, vt fieret nobis accessibilis, & verbo exemploque viam salutis ostenderet: atque à Diaboli redimeret vexationibus. Item id nihil impossibile esse, quando etiam in Peripateticismo officina Macchiauellismi, idem continuò fieri in singulis affirmatur hominibus. Ipsi enim ponunt intellectum agentem cuiliber, individuo extrinsecus aduenire, atque in vnitatem personæ, copulari, vt Diuus Thomas in 4. con. Gent. cap. 47. cum Sancto Augustino comprobat: qui tamen extrinsecus intellectus agens, vt probat Diuus Thomas in 1. p. quæst. 79. ex dictis Augustini, non potest esse, nisi Verbum Dei, quod in vno tantùm incar-

incarnatum est: in aliis, vt vniuersalis causa in suo effectu tantummodo adest. Et venisse ad redimendum nos, non per vim, sed suauissimo, & diuino modo, nobis congruente, factis, & verbis, veram viuendi normam persuadendo. Nec damnatorum existere numerum, quot putamus: sed in hoc iudicium ingens occultari: Nec verum esse, quod Diabolus plures habeat, quam Christus subiectos; quandoquidem ipse non punit, neque possidet homines, sed Christus, qui est æterna, & prima increata Ratio punit, & possidet omnes, per Diabolum seruum nequam, instrumentum Iustitiæ punitiuæ, regulæ Rationis æternæ.

Item aduentum Christi ad redimendum Mundum non fuisse vanum ad salutem vnius modò digiti, ac totius corporis speciei humanæ perditionem. Quandoquidem nunquam Ratio beneuiuendi, à Iesu indita, defuit Mundo: & qui damnantur, sibi perdi, non Christo. Christus enim perdit, amittitque nihil. Quos enim non possidet vt Pater, possidet vt Iudex. Et sanguinem eius non Diabolo in prætium datum esse pro nobis; sed vero Deo in satisfactionem peccatorum, & remedium peccantium; dum per Sacramenta nobis applicatur; aut per viuum affectum supernaturalem à fide procedentem, & charitate, in quo est Sacramentorum votum; quod nos Deo primæ Rationi, naturæ, & gratiæ Auctori copulat. Et in hoc plus latere, quam patere. Et quidem omnes saluos esse homines insangune eius: qui rationis compotes, & impœnitentes personali non decedunt in peccato. Quia autem solum in originali, damni pœna amissæ beatitudinis supernaturalis mulctari: sensus verò pœna vacuos, in naturalibus donis Deum, naturale obiectum notitia, & dilectione naturali adsequuturos, testimonio Scholasticorum Patrúmque ostendimus.

Item vnam solum esse Legem in toto Mundo, quæ facit homines secundum rationem naturalem viuere; sed ab Autore naturæ perfectam, & ad supernaturalia eleuatam; alias verò leges esse veras, aut falsas, prout huic conformantur, aut repugnant. Ergo apud omnes Nationes semper vnam fuisse legem; repugnantes autem illi, non esse leges, sed abusus; sicut vnus est modus seminandorum hominum, alij verò abusus.

Item attulisse remedium supernaturale eidem legi: & electis viam fecisse ascendendi in Cælum, qui prius detinebantur in Limbo. Et Christum mortuum esse, & resurrexisse, & ascendisse in Cælum, vt nobis viam pareret, exemplo, merito, & doctrina. Et quicunque vixerit secundum rationem diuinitus perfectam ab eo, qui nulli deest in quacunque Natione, viuendo, & moriendo, & resuscitando, & Cælum ascendendo ei consimilem factum iri perenniter: & hoc esse remedij summam. & de prædestinatione silendum: & de reprobatione; quoniam Deus omnia sapienter agit,

Apud omnes impe-
ritos.

S Thom. ex præui-
sis demeritis repro-
bat, sed absque præ-
uijs meritis prædes-
tinat, in opusc. de
præscientia, & præ-
destinatione. At in
1. p. q. 23. repro-

bationis, pœnam sensus inferentis, causam facit peccatum: Non dandi verò bona æterna, Dei voluntatē absolutam; quæ tamē ad mala cruciantia æterna antecedenter non damnet, sed consequenter actuali accedente peccato.

sed quemlibet benefacientem suscipere, & ad benefaciendum iuuare, non autem ad malefaciendum; quoniam non est proditor, neque Tyrannus. Ac proinde neminem damnari in gehennam, quia Deus ità decreuit voluntate antecedenti peccatum originale, & actuale: sed voluntate consequenti præuisum peccatum vtrumque: at si solum originale, priuat tantum æternis bonis, non punit æternis cruciatibus. Omnes enim formauit ad imaginem, & similitudinem suam, non autem ad imaginem Diaboli: & ad se, & vt summum bonum agnosceret, & adipisceretur. Veh non agnoscentibus tantum bonum. *Perditio enim tua ex te Israel est.* Nec bonum creationis eius debere cedere malo nostro futuræ volitionis; & Deum omninò culpæ nostræ non modò expertem esse; sed verius adiutorem meriti, & adhoc nos prædestinasse non ad illam.

Item nec quia resurgens Christus, in platea non comparuit, infirmari fidem eius. Nam comparuit, *plusquam quingentis fratribus*, (teste Paulo 1. Cor. 15.) & *deinde Apostolis omnibus*: & coram eis ascendit in Cælum.

Nec esse deceptos, neque deceptores huius rei testes.

Item idem argumentum posset nunc fieri, quare hodiernò tempore Christus non comparet in plateis; Et ratio nota est, vt detur locus piæ fidei, & meritis, & credamus non violenter, quæ enim incessanter videmus, necessariò credimus. Diaboli credunt etiam & contremiscunt. Et quia sunt alterius entitatis glorioſa Entia, nec nobiscum communicant, nisi alienatis à nobis, vt patet in Sanctis. Et multa de hoc ignoramus.

Moyseu, & Aaron non fuisse occultatos, ne putarentur non iuisse in Cælum; quandoquidem ipsi nulla de translatione hominum in Cælum expresse verba fecere, neque promisere præmia post mortem: sed ne adorarentur in terra more Gentilium colentium mortuos. Et hanc fuisse prouidentiam contrariam opinantibus: qua vsus est etiam S. Antonius Abbas, qui idcirco per obedientiæ vim præcepit Monachis sepulturis eum, ne reuelarent corpus suum, quò vitaret honorem, Sanctis exhiberi consuetum corporibus in terra. Alique plures id curauerunt. Quod Gentiles finxerunt impiè, partem cum ista pietate non habet.

Item de Christo abesse metum, si adoraretur; cum sit ipse Deus verus. Nec occultatum fuisse corpus eius, sed verè resurrexisse probauimus multiplicibus argumentis: nihilominus custoditum fuit diligenter, ne resurgeret velut ipse promiserat. Si promisit, ergo fecit. Aut ergo sepultum reddant, aut resurgentem adorent Iudæi, oportet.

Item Apostolos testes huius historiæ non posse reprobari, neque vt deceptores. Et prophetias eorum nequaquam habere con-

sistentiam in Astrologia, & artibus naturalibus. Et Ptolemeus enim in Quatripar. Astrologico agnouit Prophetas diuinos absque Astrologia prophetare veriora certioraque. Et Plato, & Socrates & Sybillæ similiter contestantur.

Stellas quoque quodammodo dispositiuè aliquando ad hoc ipsum se habere; Deique regulam sequi, omnia facientis.

Vidimus & miracula vera & falsa, & in re quacunque reperiri id, quod verum est; & quod fictitium. Deúmque permittere ea propter melius. Cuius partem modicam scimus, partem verò plurimam ignoramus.

Item totum mundum verosimiliter credi posse ad hanc legem fore reducendum; cùm tam rationabilis sit, atque uniuersalis.

Item tempus, quod nobis prolixum videtur, esse quasi ludum modicum ad illud melius, quod post turbationes præsentes successurum speramus. Nec citra culpam esse mala Entia vila, nisi apparenter, & respectu, non verè & essentialiter.

Item Mahomettem esse Antichristum ex parte. Prophetias verificatas esse, & continuò verificari, quòd Iesus sit Messia verus; qui occulta ratione fermentat passim per coagulum legis suæ Mundum in massam vnam: & crescit sicut planta inuisibiliter; Et quidquid faciunt Christiani cingentes Mundum, & adunantes Nationes (id quod nulla fecit lex) opus esse ipsius Messiæ. Et Principes præsertim Hispanos esse brachia corporis Messiæ, vt dicit in Esaia, *Brachia mea populos iudicabunt, &c. Egressus est Saluator meus, &c. Et legem eius Insulæ expectabant; & brachium meum sustinebunt, &c.* Hucusque inferum Hemisphærium à nostro Insulatum expectauit hanc legem Messiæ. Si hoc aduerterent Hebræi, confestim agnoscerent Christi Regnum, & Antichristi. Et Christum sedentem *à dextris Patris, donec ponat omnes inimicos suos scabellum pedum suorum, & euacuet omnes Principatus, & potestates* antichristianas; & deinde venturum ad Iudicium. Sed qui mysteria cupit, Prophetalia legat.

Esaiæ 51.

Psal. 109. 1. Cor. 15.

Argumentum principale, quòd Clerus à debita sanctitate longè factus, & in credulì multi reddunt Religionem dubiam, ipse quoque Boccacius impius soluit in altera fabella de Hebræo, qui Romam venit susceperurus Baptismum: cumque vitam lasciuam, & nequam Clericorum videret, magis in proposito fidei roboratus est, dicens, non posse falsam esse Religionem illam, quæ tam praue, & impiè (ipse ait) à Christianis tractata, nihilominus perseuerat per se solida semper & crescens. Nouerunt Hieronymus, Bernardus, Beda, & alij Patres hoc argumentum, quod hæretici ad reprobandam fidem Romanam proferunt: Sancti viri, zelo corrigendi mores: Pseudopolitici, ad euertendum Religionem: nos ad roborandum adducimus. Profecto enim hoc demonstratio

Ex vita Christianorum malanon infirmari arg. pro Fide Catholica, sed augeri.

est, quòd Fides Christi portat nos, non autem nos fidem: sicut Iudæi, qui defendunt suam fidem obstinatione; vtque dicitur in Prophetis, sunt *dura ceruicis*; & Gentiles suam consuetudine; vt Plato, & Cicero docent; Mahomettani suam gladio, vt Mahometes iubet in 1. c. Alcorani. Christiani autem boni, veritatis vi: quæ portat, & bonos, & malos, & non portatur. Nam & profecto (vt Bernardus in declamat. & in Cant. plorat.) *longè magis à suis laceratur, & prosternitur, quam fuerit à Tyrannis, & hæreticis, qui potius accenderunt eam vento persequutionum, sicut ignem; mali Clerici autem extinguunt eam aqua mollis Epicureismi.* Bernardus id plorat; & potius optaret Tyrannos, & Hæreticos, quam fictos Christianos. Et Petrus & Paulus de futuro tempore prophetarunt. *Erunt in nouissimis diebus homines seipsos amantes &c. Speciem quidem pietatis habentes, virtutem vero abnegantes &c. Et erunt magistri mendaces de vobis in auaritia negotiantes &c.* Et Iacobus & Iudas pariter hoc prædixerunt: sed Iesus hoc promittit tanquam supremam persequutionem, ad probationem, quòd sua lex vera esset. Ipse quidem dixit *Refrigescet charitas, & abundabit iniquitas &c. Putas quòd inueniet fidem in terra?*

Ser. & in cant. 30.

1. Tim. 4.
2. Tim. 3.
2. Petr. 2. & 3.
Iud. 1.

Hæc sanè signa videri possunt reditus illius. Ergo ipsum præstolor, ut propinquantem ad Ianuas. Omnia enim signa aduentus sui in aliquo sensu transierunt, teste D. Ambrosio, & S. Gregorio super Lucam; bella, terræ motus, fames, pestes, Pseudoprophetæ, hæretici Antichristiani; reliquum erat videre tantum signa in Sole, & Luna, & Stellis, quæ Gregorius ex aëris immutatione docte argumentatus est proxima esse. Ego autem suspicor præsentia esse, & in hanc vigilantiam excitari Mundum vellem. Sed vt *Dies Domini sicut fur in nocte comprehendat increaulos*, vt dixit Iesus, & Petrus, & Ioannes, & Paulus: qui tamen addit 2. Thes. 5. *Nos non sumus filij noctis, neque tenebrarum*; Idcirco vigilemus. Vigilare ego cupio omnes, & videre; sed falsi Astronomi, & Peripatetici, Politicique, afferunt mille petitiones principiorum & non causas pro causis horum signorum, ad deceptionem plebis, & obscurationem Euangelij *olim præscripti*, vt ait Lebbeus) *in hoc iudicium.*

Matth. 24.

Matth. 24.
2. Pet. 3.
Apocal. 3.
2. Thes. 5.

Præcursor magnus Antichristi prænunciatus à S. Vincentio, quòd ex Germania surrecturus esset, iam comparuit Lutherus sub quinto sigillo, & Caluinus ampulla quinta iræ Dei: qui omnes, vnaque Macchiauelliste conueniunt cum Alcorano longè magis quàm cum Euangelio. Expectamus ergo renouationem à Brigida, & Catharina, & Carthusiano, aliisque Sanctis prædictam. Quis scit si nos ea patiemur in hoc secũdo aduentu, quæ Ierusalẽ in primo? Dixit Ieremias. *Miluus in Cælo cognouit tẽpus suũ. Turtur & Ciconia, &*

Iud. 1.

Lutherus præcursor Antichristi.

Hyrundo custodierunt tempus aduentus sui populus autem meus non cognouit iudicium Domini. Quomodo dicitis; sapientes nos sumus, & lex Domini nobiscum est? vere mendacium operatus est stylus mendax scribarum &c. Profecto qui id non videt in nobis, cœcus est. *O hypocritæ faciem Cæli uostis iudicare, hoc autem tempus quomodo non agnoscitis?* Profecto multi Scriptores falsi venundati deceperũt sæculum hoc; student occultare, & prosternere Euangelicam Sapientiam, extinguere Prophetias, autorizare sophisticas scripturas Gentilium, & Principes laicos: demoliri, & humiliare, & eneruare Papatum, ne possit nos ad reformationem & veri recognitionem, defensionemque cogere. Hoc autem me certum facit magis de veritate Euangelii. Hoc scandalizat Macchiauellistam: me autem ædificat, ex quo didici per plagas quærere Deum, quoniam video adimpleri prophetiam, *Sicut in diebus Noe capiat nos.* Et dico cum Sancta Virginuncula Catharina mea: *O Dio amore adempisci presto, desiderii de seruituoi.* Et cum Ioan. *Veni Domine Iesu*, qui respondet; *Venio citò.* Super hoc citò colludunt irridentque increduli Religionem; ignari profecto, quòd mille anni, & centum mille, sunt hora vna ad æternitatem. Alii dicunt Patres deceptos fuisse, qui olim iudicium Iesu expectarunt, & non venit, vt Tertullianus, Lactantius, Ireneus, Clemens, Hilarius, & alii. Ego respondeo, quoniam hi Patres sciebant coronam deberi, *his qui diligunt aduentum eius:* idcirco ex quibuscunque signis auidè argumentatos esse finem Mundi quoniam & chronologiam falsam habuere LXXII. Interpretum, nec dum viderant signa postrema in Sole, & Luna, & Stellis; sed non propterea mentitus est Iesus. Quinimò hoc euenisse videtur ad vnguem sicut ipse dixit, quod veniret *sicut fur in nocte:* si enim venisset eo quo Patres expectabant tempore, manifestum fuisset omnibus: sed melior fuit illorum deceptio diligens, quam nostra negligentia verax. Siquidem qui odere aduentum Domini, propterea quod redditurí sunt rationem de operibus impietatis suæ, quacunque ex ratiuncula per persuadent sibi, esse mendacium; sicuti vnicuique accidit, quppiam odio habenti, quod exiguo argumento illud reprobat, vt incredibile. Sed de his rebus potest Politicus tunc certus fieri, si prius proprium abneget amorem, & consideret effectus Dei admirabiles per omnes scientias, examinando leges cæli, & naturæ inferioris hominum absque vlla prætensione, nisi agnoscendi Deum: & hoc per ærumnas intellexi.

Luc. 12. Matth. 16.

Matth. 24. Epist. ad Auin. Apoc. 22.

Tempus aduentus licet videatur tardũ post 1600. annos, nõ

Nihil plane dubito reperiri Clericos, & Prælatos sanctos & Christianos veros, sed non abunde, vt olim, quoniam ego & mei similes sumus in fœcibus, si Deus vult nouo vino replere dolia Cellarij sui.

Stultam quoque ostendimus opinionem, quòd Christus finxerit miracula: & neque moraliter possibile esse, quòd & Discipuli de-

cepti, vel deceptores fuerint in examine ſtricto per philoſophiam agnoſcimus. Similiter, quod ſimulauerit ſe filium Dei incarnatum, quoniam non eſſe impoſſibile id quoque demonſtrauimus: & inſuper quòd ſit poſſibile perfidi Peripatetici docent inuiti, modum confitentes, intellectum agentem, vt Aphrodiſienſis & ſequaces, vel etiam poſſibilem, vt Auerroes, & ſequaces, eſſe vnum in cunctis hominibus, & in cuiuſque conceptione velut incarnari perſonaliter, inſigni congruentia ad explicandum eum modum, quo Deus in Chriſto homine, vt Aug. admonet. Hic etiam Intellectus ponitur ab Anaxagora, à quo ipſi mutuati ſunt, *verus Deus*; ab Auicenna verò *Colchodea datrix formarum*; quod proprium eſt artis diuinæ, quam Theologi vocant *Verbum Dei*; Ab Auerroe autem, & Alexandro *ſimilis Deo* habetur. Sicuti enim Deus mouet ſpheram primam, ſic iſte intellectus eſt in ſphera humana noſtri aeris, & infunditur hominibus. Ecce conuictos incredulos à ſe ipſis, quod Deus poſſit incarnari: & mirum, quomodo fingunt poſſibilitatem falſorum dogmatum, verorum autem negant.

Tandem vt reſpondeam quæſtioni atrociſſimæ, vexanti mentes hominum, præcipuè Epicureos, & Macchiauelliſtas, ſæpeque ab ipſis deploratæ Prophetis. *Quare via Impiorum proſperatur? &, Taces oppugnante impio iuſtiorem ſe? &, Numquid meliora facit Babylon quàm Ieruſalem &c?*

Cur bonis mala, & malis bona in hoc ſæculo.
Ier. 12.
Abac. 1.
4. Eſdr. 3.

Dico hoc contrarium eſſe ei, quod credunt. Quippe enim hoc certum eſt argumentum, quòd homini conueniat alia melior vita vt bene Antenagoras argumentatur. Et, poſt hanc, futura ſit recompenſatio bonorum, & malorum. Et præſentem vitam eſſe militiam paucarum animarum (ſi conferas numero cælicolarum,) quæ animæ ſparſæ ſunt inter contraria, cælum & terram, in opacis corporibus, vt ludum agant Superis; & pugnent illis cum Diabolis, qui auſi ſunt contra Deum erigere cornu, ſibique acquirant cælicam ciuitatem, vnde illi excluſi fuerunt. Profecto ſi tu credis prouidentiam & amorẽ Dei erga ſuas creaturas, hoc argumentum moraliter conuincit, quòd nimirum altera ſit vita, quamuis cauſa, & modus, & pugna præſentis, ſint nobis minus nota.

Ratio 1.
Infelicitas Pſeudopoliticorum etiam ſecundum ipſorum dogma.

1. In ſuper aſſero, quòd etiam ſi hæc non credis, bonum erit operari bonum ſecundum naturam. Operari enim ſecundum naturam cuilibet ſano iucundum eſt, dicunt Phyſiologi. Ergo praui homines operantur malum contra naturam, & regulas eius; Ergo ſemper mœſti ſunt: Gaudium autem eorum apparens eſt falſumque quod ſubito perditur, ſicut gaudium ægroti bibentis aquam contra legem Medici magna cum voluptate; ſed ſtatim affert mortem: & voluptas falſa fuit. Plus capit voluptatis qui in fame manducat panem, caſeumque, prout natura ſtatuit quàm qui ſine fame vitulum ſagi-

natum. Hoc autem nec Epicurus negat. Ergo si famem expectes; non es miror Rege in cibo, potuque,

2. Item sobrii & continentes sunt longioris vitæ, vt Antonius, Hilarion, Romoaldus, consimilesque, qui centenarium vltra vixerunt.

3. Insuper fruuntur quadam dulcissima contemplatione, cæteris intemperatis ignota; edaces vero, ebriique, vitam sibi abbreuiant, laborant podagra, chyragra, stomachi repletione, ructu fœtido, cauernis, ignorantia, iracundia? nullaque voluptas ipsorum penetrat animam.

4. Venus quoque nobiliorem dat prolem continentibus, quam libidinosis, impudicisque, & comedonibus. Qui autem penitus continens est, caret fastidio natorum, & vxoris.

5. Etiam ostendimus, appetitam præsentem voluptatem esse deceptionem, quæ nos trahit ad labores: & luxuriosos sæpè affici morbis venereis, & morte accelerata, & deliquiis.

6. Illi pariter, qui honores ambiunt, & curis dominandi afficiuntur, sollicitudine superflua vexantur frustra. Vir quidem sapiens habet honorem pro fastidio, qui nos omnibus priuat iucunditatibus: & regimen aliorum est afflictio continua.

7. Et quamuis honores, & admirationes populorum adsunt, hi tamen extra nos sunt, parumque sentiuntur.

8. Mendicate insuper hoc bonum ab opinione hominum, est quædam affectio ignorantis, qui caret gloria in se, & quærit aliunde. Virtus autem, & studiose operari sufficiunt, quoniam verè bona sunt in nobis, quemadmodum bene decernunt omnes rerum humanarum contemplatores.

9. Præterea timent semper ne amittant Principatum, vel honorem illi annexum, plenique suspicione viuunt, à populis, à seruis, à cognatis, ab amicis, ab exteris, & vndique.

10. Quando aliquid faciunt, mille testes habent, coguntur aliorum viuere arbitratu: si quid mali faciunt, mille iudices habent, & murmuratores, qui malum illud augent: quoniam est in candelabro: bona minuunt, quoniam maiora requiruntur ab eis: & cum laudant, reputantur adulari & irridere potius.

11. Præterea necesse habent audire nunc hunc, nunc illum memorialem libellum: vel blasphemari à populo: item prospicere rebus innumeris maxima cum molestia.

12. Sæpe compelluntur displicere, & malefacere plurimis: placere autem, & bene facere paucissimis; prouidere, quomodo salua dignitate, satisfacere queant tot hominum varietati: respondere Oratoribus Principum, vtiliter, & honestè.

13. Inuenire noua genera tributorum: & interdum per fraudulentias

ad corradendas pecunias populi: & sceleri resistentes, per sophismata opprimere.

14. Hæredibus æqualem dominationem relinquete: aut schismati ipsorum consulere sæpe crudelissimè: vt Turcarum Rex per necem filiorum: similiter Rex Fezitarum: Chinarum vero per deportationem.

De Repub. dial. 1.

15 Cogitare quòd reddituri sunt rationem Deo pro tota multitudine. Quod si non credis dum sanus es, & contentus; quando tamen æger eris, senex, & morti proximus, impossibile est, vt Plato monet, quin te cogitatio tangat, num dogma de iudicio vniuersali verum sit recogites malefacta, & horrore futuræ vitæ perfundaris, & præteritam lugeas, atque blasphemes.

16. Infelicissimi, profectò Tyranni sunt, vt fatebatur Dionysius Siracusanus: at Tyrannidem non relinquunt propter timorem, ne deinde toruè aspiciantur, & persequutiones patiantur ab illis plurimis, quos ipsi persequuti sunt. Vide Xenophontem.

17, Omitto quod Mundi bona nunquam explent desiderium: & iniqui omnes pleni sunt suspicione, cupiditatibus ardentibus, stimulis honoris falsi, & diuitiarum.

18. Cùmque propriam considerant ignorantiam, & inualiditatem, seque indignos ea, qua donati sunt dignitate intuentur; contristantur, ac fingere coguntur se se sapientes esse, & strenuos. Aut id ipsum est ipsorum annihilatio quædam: dum ostendunt se esse, quod non sunt, & aliud quam sunt se faciunt. Ergo ipsi non sunt. Vnde etiam coguntur sicut Nero, odisse, & sæpe occidere Sapientes, & probos viros, quoniam sunt quasi testes ipsorum ignauiæ, & stultitiæ; vel interdicere populo studium virtutis, vt facit Dux Moscouitarum, quò solus videatur sapiens: Vel etiam sibi & aliis, & vt Valentinianus, & Barbari Reges; & tunc dominatur bestiis ipse bestia, à quibus, vt imperitis, non potest adiuuari, sed odio haberi, & paulatim exitio dari; vt Plato & Arist. & Plutar. aduertunt.

E contra verò mens iusti, est quasi iuge conuiuium, Iniqui verò infernus suspicionum, ac feruentium desideriorum insaturabilium olla, & stimulorum ambitionis, & auaritæ seges, plena passionibus &c. Nec Philosophum inuenio, qui id non consideret: & ipsi sciunt scelesti ita esse: sed meliora sequi ignorant; sicut qui se ad remigium reuendunt. Et vidi quòd facilius esset benefacere, quàm malè.

Sed, quòd maiori consideratione dignum est, quodlibet genus hominum capit voluptatem tantummodo à voluptuosis rebus: sed sapientes Christiani, hoc est verè & plenè rationales, capiunt voluptatem etiam à dolorificis. Profecto, qui pro amasia laborat, experiturque labores illos esse voluptuosos propter spem retributionis exiguæ sciens se in eis placere carni, & sanguini, vix sentiendi

Fœlicitas bonorum.

ti, intelligit quid dico. Ergo Christiani exuperant iucunditate omnes sectas, quoniam & à malis capiunt iucunditatem, & à bonis euentibus: cæteri vero à bonis tantùm: insuper & multò minus gaudium capiunt ex bonis, quam Philosophi & Christiani. Ergo saltem quadruplex est gaudium Christianorum ad gaudium aliorum. Plato autem addit multò plus cum Socrate suo porportionem hanc exquisitius indagando. Ergo secundum Naturæ legem id verum inuenitur: quoniam Christus est autor naturæ, & gratiæ, & legis veræ cuiuscunque: & ideo vndecunque testimonium habet, vt Paulus prædicat Lystris.

At si dicas Philosophos, & Christum decipi; Ego inquam, hanc ipsorum deceptionem facere eos beatos, iucundosque semper; Tuam autem veram voluptatem te plenum ærumnis semper. Nam cum hoc vnum scias, te moriturum, omnes voluptates amittis, quoniam aliam vitam non credis, neque speras, & in tuis voluptatibus semper affligeris, quòd satiari illis non potes absque conquæstione & dolore, & turbationibus multiformibus. Christiani autem credunt mortem esse transitum ad vitam meliorem, & cum lætitia illam præstolantur, & amplectuntur: tu autem cum horrore, & dolore. Heus Macchiauelle an nè vides scholam tuam deceptam? Petrus Apostolus hoc arcanum docuit contra Simonem Magum, quòd, etsi alia non superesset vita, conscientia recta in hac beatum facit hominem magis, quàm quæcunque fortuna læta incredulorum. Ecce ergo iquia Boni sunt beati vndequaque. Et quidem qui non statuit vitæ probitatem experimento proprio agnoscere, hanc philosophiam nunquam agnoscet. Et ego testis sum, qui de omni viuendi modo examen feci. Scio etiam, caros mihi, puritate conscientiæ, ac vitæ probitate longe magis gaudere, quàm quibuscunque deliciis.

Hoc tandem inficiari nemo potest, quod bestiæ capiant iucunditatem à rebus dumtaxat iucundis; at scire ex iniucundis quoque iucunditatem elicere, magna profecto est philosophia, atque victoria contra malum, à quo semper metuit iniquitas, tanquam belluina, vilisque.

11. *Timida* (ait Cicero) *sui natura est improbitas, suo ipsius testimonio conuicta.* At (vt ait Horatius.)

Integer vitæ, scelerisque purus,
Non eget Mauri iaculis, nec arcu. &c.

Animus culpa plenus semper seipsum timet. Qui vtrumque vitæ genus non penitius gustat, ægrè de his potest enunciare. Et Costa noster addit, interiorem lætitiam & non lædi à malis temporalibus, esse præmium iustis, licet quis aliud non expectaret: mœrorem vero interiorem, & lædi quacunque ex causa, & perturbari, esse pœnam iniustorum. Sed ego, vmbram, & præsagium

verorum gaudiorum, & pœnarum, iſta duo prædico. Quin etiam ad impiorum opprobrium præſtolor etiam in terra præludium Paradiſi cæleſtis, aureum ſæculum, fælicitate plenum, à qua facto iterum flagello de funiculis Creaturarum (vt inquit S. Cathar. Senen.) excludentur increduli deriſores pietatis, quam pro ſtultitia habet Philoſophia pſeudopoliticorum Epicurea, alibi clam, alibi palam. Et vtinam contenta foret delitiis naturalibus, vt Epicurus, ſed enim & contra naturam alias exquirunt nouas, reficiunt veteres, & ſaturantur nunquam, quoniam *vanitas vanitatum & omnia vanitas.*

Eccl. 1.

APPENDIX TOTIVS LIBRI.

Macchiauellum omnium ſcientiarum fuiſſe ignorantiſsimum, excepta hiſtoria humana: & politicam ſuam non per ſcientias, ſed per aſtutiam, & peritiam practicam, examinaſſe: & quicunque ipſum ſectantur, præponuntque veræ philoſophiæ Sanctorum, eſſe pueros: qui coquum, ſuauia exhibentem, Medico, ſalubria: iubenti, præferunt: idcircò in ſe, vel in filiis ſubitò vitam, & Regnum amittere ſolere.

CAP. XVIII.

QVONIAM Principes Nationum infidelium omnes, & fidelium plerique hac tempeſtate hæreditario iure non ſelecti ad Regimen aſſumuntur. Multi autem ex his putantes ſe beatos naturâ eſſe, atque ad imperandum, non ad laborandum pro cæteris natos, nihil, aut modicum, ſcientiis operam nauant, nec prudentes Veneti ex toto ab hoc eximuntur crimine, quoniam apud eos filii Patritiorum patritij ſunt, & plebis Domini. Romæ verò, quæ Reſp. eſt Sanctorum virtuoſorum Orbis totius, vbi non niſi doctiſſimi exaltari ſolent debentque, irrepunt non rarò vrgente aut pacis, aut alterius vtilitatis ratione, filii Principum, & conſanguinei, & amici Gubernantium, dum ægre alienis confidere magna negotia poſſunt. Hos autem contingit aliquando exiguam vel ſophiſticè literis operam dediſſe. Quapropter fit, vt

plerique nesciant iudicare inter bonum, prauumque consilium; saniores verò pauci coguntur credere pluribus. Præterea cum aliquid didicerint subitò quicunque Principes effutiunt illud, sicut gallina edito ouo, Aulici eorũ acclamant, tanquam Dei ore loquentibus. Sapientes verò timent effari verum. Quoniam vt diuinus Poëta canit. Vrb. 8. od. 1.

Fugit potentum limina veritas,
Quamuis salutis nuncia, Nauseam,
Inuisa proritat, vel iram.
Sæpe magis iuuat hostis hostem.

Defectus veræ scientiæ introniſat pseudopoliticos apud Principes.

Itaque ipsi decepti, deinde stultitiam suam effundunt in exitium populorum; & quidquid delirant Reges plectuntur Achiui. Et quoniam surrexit Macchiauellus, phiala iræ Dei, promittens scientiam regnandi, qua nihil suauius est hominibus, quippè quibus dictum est; *Dominamini piscibus Maris, & volatilibus Cæli, & bestiis Terræ*, huncque titulum portant in fœmore dum nascũtur. Iste autem Macchiauellus familia quide nobilis, sed (aiunt) bastardus, omnium scientiarum fuit expers, & tantummodo astutiam quamdam ex historia rerũ hausit humanarũ. Cũque esset animoacutus & impius, cogitauit omnes homines regnandi causa omnia opera sua facere, ita quod & Prophetas, & Philosophos, & Iesum, ambitione hac tactos, noua dogmata posuisse existimauit. Et cum videret à Principibus impiis Religionem ludo quodam tractari, prout prodest statui eorum, putauit, esse artem fallendi, & trahendi homines quasi bubalos per nasum in fibula timoris Dei. At ego ostendi, ipsam Religionem naturæ decretis constare apud omnia Entia modo suo, & apud bestias aliquo pacto, sed longè veriori apud homines, sed insuper supernaturaliter perfectam apud Christianos, nec propter præsentem modò vitam, sed propter futuram, vt in hoc libro, qui posset Antimacchiauellissimus nuncupari, patet, Hinc operę pretium duxi ostendere Macchiavelli ignorantiam, si quomodo perditis rebus consulere possimus. Iam enim hæc pestis in Borealibus Regnis magis grassatur: eamque palam profitentur, qui politici vocantur, teste Bellarm. & Butero, & Rescio. Dixit Hesiodus.

Optimus ille quidem, qui per sese omnia nouit.
Proximus huic fuerit, qui credit recta monenti.
Atqui nec sapit ipse, nec audierit sapientem;
Vtilis hic nulla est omnino in parte putandus.

Quapropter, quoniam Principes Terræ sedulam studiis operam nauare, vt per se omnia intelligant, non possunt, satis est illis, si sapientibus veris obediant. Sapiẽtia autem probatissima est Religio Lex, & Scripturæ sanctæ, & viri sapientissimi, qui sanguine, miraculis, & doctrina veritatem confirmarunt. Macchiauellus autem scelere pollutus omni, nullisque excultus doctrinis, cur sit consiliarius eorum non video. Profectò sicut pueri magis amant Coquos, qui

epulas suaues, & dulces, prout cupiunt, præparant; odere autem Medicos, qui salubres imperant, non ita suaues, sed interdum amaras. Coqui autem accusant Medicos coram pueris, dicentes; ô Domini pueri, cauete, quoniam isti Medici vos occidunt, sunt crudeles, quærunt Dominatum super vos. Ecce quas præbent epulas? Tunc irati pueri expellunt Medicos, retinent Coquos: quorum cibis mox infirmantur, & in nocte detestantur Coquos. Coquus est Macchiauellus, parat Epulas mortiferas, sed dulces Principibus Terræ, pueris doctrina, & virtute; accusat Prophetas, & Religiosos Medicos animorum; quia pocula amara, & victum durum propinant: Hi explodúntur à corde eorum; remanet Macchiauellus exitialis illis, & statui eorum.

Hoc nuper voluerũt persuadere piissimo Ludouico XIII. Galliarum Regi.

Quapropter clamat Sapientia ad vos Principes in Salomone. *Vsque quo paruuli diligitis infantiam? & stulti ea, quæ sibi sunt noxia cupient &c. conuertimini &c.*

Prou. 1. & 3. & 4.

Et quoniam pueri esse vultis, ostendam vobis eiusdem per exempla Macchiauelli, ipsum esse Coquum idiotam.

Primò, quoniam veluti puer non cognoscit, nisi quæ sensus exterior videt, Angelos autem, & Deum, & Animam extare non nouit; & tamen dicat mihi, cur abeunte Anima corpus moritur? Ecquis ordinauit cursum Cæli, & Terræ germinationem? Ecquis sapientiam dedit Animalibus? Hæc omnia in hoc libro ostendi et.

Prima ratio ostendens, Macchiauello credendos esse pueros.

Secundò, quoniam putat, hominem proprio tantum arbitratu res humanas regere, ideoque in astutia humana fundatus. O puer non nè vides, nos prò crastino consilium capere quemque suum, neminemque fieri voti compotem, nisi eum, qui primas causas, & secundas simul con suluerit? Alius enim cogitat nauigare, alius arare, alius in curiam, alius in vineam ire; Cras autem veniens pluuia de Cælo, dissipat omnia consilia hæc. Astrologus autem capit consilium laborandi in domo, & non est dissipatum, quia habuit è causis cælestibus pluuiæ præscientiam.

Imò probatum est in Metaph. quòd omnis motio, omneque atomum, causa, vel occasio esse potest immutandi regna, & imperia. Siquidem clauus equum significti in bello pungens, vacillare facit vexillum & ex hoc milites: & ex hoc hostes victores fieri: & regnum mutari. Musca etiam vna idem fecit torquens molestia Principis oculos ad videndum id; vnde rerum mutatio suboritur. Et pulex vnus, Assuerum, excitans ad lectitaram Annalium, vnde Mardochei, & iudæorum Salus, & Aman ruina, prouinciarum statum immutauit. Ergò tu Sadduceis Causam primam, vnde aliæ innumeræ mouentur per ignotas occasiones, spernendo stulti estis. Nam etsi homo liber sit ad quodlibet volendum, haud tamen & ad omnia, vt lubet, operandum: quoniam aliæ causæ circumstant sinpernè, infernè, à dextris, & à sinixtris. Ergo si Macchiauellus non docet, quo pacto ex præiactis causis

causis ista præuideamus, ratio politica sua fallit. Ipse quidem ait, nos tempori aptari oportere, ideſt sequi fatum, vt Poëtæ ajunt. Sed quid doces, nisi & istud doceas, quando, & quomodo, & vnde ista fiant? Fatum est series causarum. Datur nè causa prima inter eas? Si non datur; neque nos sumus in Mundo; quoniam non sine causa, nec ab infinita serie factus esset transitus vsque ad nos: Si datur: ergo illa colenda est vniuersalissima, primáque, vt ad eius auxilium in necessitatibus refugiamus: sicut ad principem populos subditos tu, quoque dirigis. Et hoc est Religionis Seminarium: Politicis quidem vtilissimum. Cum enim mortalium prouidentiæ timidæ sint ex accidentium non præuisorum infinitate; expedit, faciliúsque est, legem sequi diuinam, Deúmque orare, vt consulat menti, & operationes incertas, vacillantésque dirigat, (dum fecerimus, quod in nobis est:) quàm proprio arbitratu non minus temerè, quam perniciosè circa parua, & magna, negotiari, iuxta propriæ legem astutiæ Architofelisticæ operando.

Causa autem prima, vel fide creditur, quam omnis Nationis præsertim Christianæ Religio tradit: vel studio scientiarum. Similiter & ordo. Nam physica docet medicamina, & prima corpora, & misturas, & passiones, & generationes rerum terrestrium, & maritimarum, & aërearum; Astronomia, motus Cæli, & ordines temporum, & primæ causæ prouidentiam in eis. Astrologia, vires stellarum, & potestatem super inferiora; Theologia autem Dei Legem, & voluntatem, & ordinem in Mundi regimine, & finem ad quem opera nostra dirigimus, vnde Plato, Stoici, Pythagorici, & omnes sectæ, liberè, & probè philosophantes, finem politicæ dicunt esse cultum Opificis rerum omnium. Quapropter deliras Macchiauelle, nullo præstituto fine, nisi Tyranni vtilitate, sibi alísque pernicioſa, suadere hominibus artem arripiendi tyrannides, & conseruandi, & ad libitum omnia faciendi, & non ad Dei voluntatem. Si nulla esset supra nos causa, aliquid diceres. Sed cum nostra consilia corruant, nisi & causas omnes perpendamus, falleris. Et propterea omnes discipuli tui corruunt; & principatum in se subitò, vel in posteris mox suis, amiserunt, & vitam, contraque artem tuam, qua principatum consequi, & æternare, per fas, & nefas, & id vnum modò, doces.

In primis Dux Valentinus, qui ex ore tuo hanc doctrinam hauriēs, voluit sicut tu doces, se facere Regem Italiæ, extinguere Papatum, occidere Cardinales, & erigere Romæ titulum Regium. Et prius (adjuuante etiam Patre Pontifice) occupauit Flaminiam, quam vocamus Romagnam (vt Iouius, Guicciardinus, Sanazarius, & tua historia contestantur) sed quid profecit? Et tu laudas eum in cunctis: & dicis, ipsum omnia optimè disposuisse, interfecisse Vrsinos Principes per proditionem, qui poterant conatibus suis con-

Senec. 4. de benefic. ostendit fatum habere causam primā.

Quod omnes Achitotelistæ vitam, & Regnum in se, vel in posteris subitò amiserunt exemplū primum ex Valentino.

Non istud recito, vt maculā familię nobilissimæ facerem; absit; sed quod Iouius, Senazarius, Guicclardinus, & alij historici narrāt pro veritate, & Macchiauellus ipse prò impietate cōfirmāda, ego repeto pro impietate expellenda, facióque de serpente pharmacum principibus, volentibus hāc pernoscere veritatem, nec enim Lutherus Sāctā Religionē Augustinianorum nec Iudas Senatū Apostolorum, nec ergò hic Macchiauellus familiā Macchiauellorum nobilem, nec Valētinus suā, maculārunt.

traire, & sub verbo Porentissimi Patris sapienter (ais) strangulasse eos, & sequaces primarios eorum. Nihilominus vidimus posteà, eundem Valentinum expulsum ab Italia, succedente Papa Iulio II. sibi contrario, & mortuum in Nauarra exulem, & mendicum, & execratum Deo, & hominibus. Ipse voluit toxico Cardinales necare, & necauit se, & patrem, licet ipse, vt iuuenis, & medicamine vtili sanatus sit. Quid dicis adhoc? Respondit, omnia præuidisse Valentinum, sed hoc quod mortuo patre ipse infirmus à toxico remaneret, & Papa contrarius succederet, non præuidisse. O miser, non nè sic tuam ignorantiam fateris? Quare tu non docuisti eum ista futura mala? Nesciebam, dices. Ergo tua doctrina stulta est. Et Deus est in Cælo dissipans consilia hominum, prout vult. Hunc recognoscere oportet. Defuit ergo tibi triplex scientia in hoc. Nam si Theologis, Papatum æternantibus minus credis: saltē per Astrologiā & si vanā fortasse potuisses videre non cōcordare tēpus conatibus vestris. Et si Papatum tanquam rem humanam tractabas, nullam eius euersionem à stellis significari per Cometam, & per Synodos magnas, & per eius originis thema cæleste saltem vidisses. Secundò: Agnitio Prophetiarum & Theologia, cui non credis, defuit. Nam illi promittunt sedem Dauid, & thronum eius, (Pontificatum scilicet Christianorum) sicut dies Cæli æternum. Ergo conatus vani erant contra promissionem Dei, nisi tu à Deo haberes oracula noua certiora. Quod si tanquam vanas irrides prophetias: Ecce vanum facere consilium tuum. Prætereà defuit & Politica, quam profiteris. Cum enim Papatus non sit vnitus Familiæ, aut Nationis imperium, sed virtuosorum totius Christianismi: etiam si occupasset illud Valentinus, retinere non potuisset. Omnes enim Populi, & Christiani Principes, & Religionis zelo, & Regni communis amissione, perciti, contra inuasorem surrexissent. Quoties enim Barbari, aut Germani, aut Gothi, aut Longobardi, Papatum afflixere, toties Reges Christiani, Galli, Veneti, Itali, aliique contra eos vnanimiter pugnauerunt: & qui pro Papatu certarunt, gloriam, & Regnum sunt adepti: qui contra, vituperium, & miseriam. Vide historias.

Exemplum 2. ex Oliuerott laudato Macchiauell.

3. Exemplum ex Castruccio.

Item Oliuerottus, quem dicis sapienter Patriam subiugasse, occisus est dolis Valentini tui sub verbo Pontificio vocatus. Et inermis accessit, & periit. Vbi est doctrina tua in illo? cur sic imprudens fuit, vt qui fidem non habebat, & sciebat Valentinum minus habere, se traderet in manus eius?

Item Castruccius Lucensis, quem laudas supra septē Sapiētes Græciæ; &, quod peius est, fingis eum expositum fuisse, & educatum à Cane, vt potentificam eius natiuitatem facias, sicut Xenophon Cyri ortum. Et narras, quòd in lectum cuiusdam mollis viri pedibus luto plenis ascenderit, vt ostenderet se illius calcare su-

perbiam: Et quòd in faciem expuerit illi, qui domum mundam magis quam seipsum seruabat. Et quæcunque mira de Philosophis Cynicis leguntur apud Laërtium, tu huic bestiolæ tuæ tribuis: at mẽdacissimè: vt quam Sapientissimè ac prodigiosè tyrannidẽ Lucæ, & Pisarum occupauerit, admirari nos cogas. Nihilominus iste Semideus tuus mortuus est, non relicta successione suis, sed miseriis multis; quia post pugnam (ais) captauit noxium ventulum fluminis frigidum. Ergo defuit tibi, & illi physica. Item politica spe plenus accersiuit Bauarum in Italiam, vnà cum Masseo Vicecomitè, qui tamen fuit suæ clades Patriæ. Vbi est sapientia tua? Si dicis, fatum illi obstitisse: cur non placas fatum Religione? si implacabile est; & casu aguntur omnia: ergo frustra consilia tu Principibus subministras. Qui credunt in Deum, cum omnia facienda fecerint, nec ex voto (quod rarò vidimus) succedit, consolationem hanc habent, quòd Deo hominum Patri melius, licet occultius, prouidere placuerit, & dormiunt in spe. Tui autem in rabie, & desperatione infæliciter succumbunt. Fœlix documentum

Item Ludouicus Sfortia, qui Macchiauellisticè Principatum Nepotis vsurpauit, & irrisui, & ludo omnes Principes habebat; & pinxit se atri instar homunculi, puluerem in oculos aliorum de vestibus suis scopa excutientem: non ne & ipse periit in astutia sua à Suizzeris mercenariis militibus in cauea positus, extra Italiam in vinculis delatus? At è contrario non ne tu fateris Iulium II. contra rationem politicam multa fecisse; & tamen prosperatum esse? 4. Exemplum ex Ludouico Sfortia.

Item Tryphon ille, qui Regium natum Antiochum dolosè enutriuit: & iuxtà tuam doctrinam occiso ipso Regnum Syriæ occupauit, non ne periit, vt canis? Quid profuit ars tua, qua Ionatham Principem Hebræorum, ac filios, alioſque conatibus eius obstare potentes, consimili dolo, quo Valentinus præfatos Regulos, enecauit? 5. Exemplum ex Tryphone. 1. Mac. 13. 6. Exemplum ab Henrico iij.

Item Henricus III. Rex Gallorum, dum politicè Hugunotis fauet, & Hæreticæ Genuæ protectionem suscepit, non ne periit à fraterculo occisus; & lineam Regum de Valois secum extinxit? Et oppositum faciens Lud. XIII. mirificè prosperatur. 7. Exemplum à Frãcisco Alanſone.

Item Franciscus Dux Alanson, quò facilius Regnũ Galliæ inuaderet, se attitulauit Defensorem vtriusque Religionis, scilicet, Catholicæ, & Hæreticæ, consilio Macchiauellistico; & hoc eodem accersitus ad Regnum Flandriæ processit: tamen in sua astutia ridicula, & impia, non ne perdidit, & vitam, & Regnum, & conatus omnes vanos de Macchiauellismo damnauit? Vide quam infælix Henricus VIII. Rex Angliæ Macchiauellizando fuit in vxoribus quinque, in Regno, in extincta prole, in vituperiis? 8. Ab Henr. viij. Anglorum Rege.

Item tu doces, Principem in principio Regni debere se Populis 9. Exempl. à Roboam Salomonis filio.

durum exhibere; quoniam si in principio cedit, semper noua petent priuilegia, & humiliabunt eum. Si verò celsus, durúsque eos despiciet in principio, semper Dominus erit. Nihilominus Roboam filius Salomonis, hoc idem consilium (repulso seniorum contrario) accepit à iuuenibus, dum tributorum imminutionem populi peterent, quando primum coronatus est; & dixit. *Fortior est digitus meus humero patris mei: pater meus aggrauauit iugum vestrum, ego autem addam iugo vestro, &c.* & tunc subitò amisit Regnum penè totum.

3. Reg. 12.

10. Ex Absalon. 2. Reg. 17.

Item Absalon, Achitofellis consilio, qui fuit idem quòd tu penitus, surrexit contra Dauid patrem; arripuit Regnum, & vitam amisit, & regnum. Et Achitofel se laqueo suspendit. Huic respondes, quoniam non est sequutus consilium postremum vtile Achitofellis; & sic dicit Scriptura. Sed Ego dico. Quare? quoniam *Deus dissipat consilia Principum, & adducit Consiliarios ad stultum finem.* In hoc deficit tibi prophetia, quæ Salomoni Regnum promittebat; & tu in politica ratione confisus decepisti Absalonem; & nesciuisti ostendere dolum Chusai, oppositum consulentis.

Psal. 32. Iob. 12.

11. Ex Albimelech. Iud. 9.

Item tu consulis, genus Principis regnantis extinguendum esse nouo Regnatori, exemplo Romuli, Agis, & Turcarum. Sed non ne idem fecit Abimelech filius spurius Gedeonis, occidens lxx. fratres; tamen ipse per manus fœminæ extinctus est? Nemo ergo prosperatur ex Principibus tuis. Idem fecit Nero, & ipse propria periit manu. Idem Athalia, & eundem finem truculentum sortita est. Idem Ptolemæus gener Simonis Principis Iudæorum. At quis finis eius? Quid profuit Herodi cædes Innocentium, filij proprij? hoc narrat Macrobius quoque nedum Matthæus Euangelista, cui non credis.

12. Ex Nerone.
13. Ex Athalia.
14. Ex Ptolem.
15. Ex Herode.

At si affers exemplum Iehu; prospice quòd ille sequutus est prophetiam Eliæ. Quapropter absque nutu Dei, iubentis hæc contra impios, consilium tuum impium est. Non ne melius Reges Galliæ, & Poloniæ, & Hispaniæ, & Germani Imperatores Austriaci, natos Regios seruant, vel in alia Regna destinant, dant eis victum, honorésque: & benedicti sunt apud Deum, & homines? Aliud quoque Reges Chinarum, & Æthyopum remedium habent in deportatione, minus crudele. Non ne etiam Cæsar per clementiam vicit Pompeium, armis superiorem? Et Scipio benignus crudelem Annibalem, quem tu Scipione sapientiorem, & fortiorem facis? Et quare? quia nihil sanctum, nihil pium, nulla fides erat in eo, teste Liuio.

Occurrit obiectioni.

Exemplum Agricolarum, quo virgulta minora excidunt, vt maiusculum excrescat magis, valeret, si, vt de eadem radice portiones nutrimenti virgulta connata, fixaque habent, sic filij Regij haberent Regni portionem independenter. Sed velut Barones sunt

sub

sub Rege, sic & auxiliarij fratres. Nec Deus Dauidi, nec Natura Regibus Gentium hoc documentum dedit, sed seruandi omnes, ita tamen, vt rebellio non facilè sequatur: quæ tamen non minus ab extraneis, quam à consanguineis oriri solet.

Tempus quidem deficiet, si narrare velim, quot arripuerint Tyrannydem Macchiauellistica arte, & corruerint: nec profectò video vnum ex eis ad posteros transmisisse Principatum.

An politica Religionis torsio prosit, vt Macch. tuetur.

Nunc aliud dogma eius tangendum est. Asserit enim Religionem posse à Principe torqueri quocunque vult, exemplo Spurij Posthumij apud Samnites. Ego autem rogo, vtrum contemptus Religionis palam prosit dominatui? credo, negabit; nisi & populos in suam aliam nouam Religionem trahat. Sine Religione enim, vt probatum est, non stabit vno die Ciuitas vlla, nec Regnum. Quis enim non videt, quòd si Papa spernat Religionem, deponitur? & Reges plurimos de solio deiectos ob hoc ipsum? At ipse intelligit clam fallendo populum; vnde putat Sanctum Gregorium fuisse vnum ex his: & omnes prophetas. Vel oportere nouam Religionem condere, vt per ipsam stabiliatur Regnum, sicut fecit Mahomettes. Ego autem video oppositum omninò, nisi Deus nouum aliquod pro tempore iubeat, & miraculis, & signis, & prophetia confirmet. Id autem in hoc libro docuimus, & Mahomettem promissum, vt Antichristum, & propter quid. At exempla apponere non grauemur.

Exemplum 1 ex Iuliano cõtra torquẽtes, & mutantes Religionem.

Primo, Iulianus Imperator Apostata, dum Religionem oppugnat, & irridet Christum; occiditur in Persida. Secundo, Ieroboam dum nouam instituit Religionem, vt retineret Regnum, ne reuerteretur ad Roboam, à Prophetis increpatur, amittit filium, & successionem. similiter Acab, Baasa, Manasses, Sedecias, & innumeros in libris Ioseph Hebræi legimus. Item temporibus nostris Dux Saxoniæ, Lutheranismum introducit; perdit Principatum, & seipsum. Item Rex Anglorum Henricus VIII. in successoribus perditur, & in se experitur infortunia quatuor vxorum adulterarum; quoniam ex diuortio, contra Religionem facto, apostasiam molitus est. Item Ioannes Leidensis, & Frater Dulcinus, seipsum cum populo pessumdedit. Et Reges quidam Gallorum de Valois spreta Religione, dum nunc Catholicis, nunc Vgonottis fauent, extincti sunt. Balthassar Rex Babylonis, spreta Religione, eadem nocte occiditur, iuxta verbum Danielis. Principes Germani post nouam Religionem, à populis obedientiam vix exigunt; & Rustici bellum Principibus intulerunt, & Geneua defecit à Duce Sabaudiæ. Et quicunque contra Papam caput Religionis, olim surrexerunt, Principatum, & vitam amiserunt, vt Federici, Henrici, Manfredus, Conradinus, & tandem Constantinopolitanum imperium propter schismata corruit. Veneti spreto Papa sub Iulio II. cortue-

2. Ex Ieroboam, & aliis Principibus Iudæis.

3. Ex D[illegible] Ex Rege Anglor.

Ex Principibus Gallis.

Ex Rege Babyl.

runt: ad ipsum redeuntes, Regnum, salutémque recuperarunt.

Argumenta ab oppositis.

Legimus è contra pios omnes diù, & benè regnasse: vt Dauid, Salomonem, Ezechiam, Moysem, Constantinum, Carolum Magnum, Venetos perpetuos Ecclesiæ auxiliatores. Atque inter gentes ipsos quoque, qui solam speciem pietatis habuerunt, Augustum, Numam, Vespasianum, Adrianum; aliósque: quod & Macchiauellus fatetur. Dum imprimitur, Codici huic addo Ludouicum XIII. Regem Gallorum, adolescentulum contra omne consilium politicum hæreticos sui Regni Potentissimos, & Rupellam fortissimum nidum eorum, & refugium Rebellium, etiam Catholicorum, zelo Religionis aggressum, victorem, & triumphatorem non magis de Hæreticismo quàm de Achitofellismo, Deo duce, reuertentem. At è contra impios breui, & malè, vt Ieroboam, Sedeciam, Sennacherib, Antiochum Epiphanem, Neronem, Domitianum, Commodum, Azzelinum, Iulianum; & alios iam nominatos discipulos Macchiauelli. Quòd si cõtingit citò mori pios, eorum memoria in benedictione est; & mortui etiam dominantur, vt nunc Romæ Petrus, & Paulus, & Prophetæ vbique, sed impiorum maledicta coram Deo, & hominibus. Vide quæ diximus in corpore libri de hoc.

De Romanis mentitur, quod Religionem ludo vertebant: quin oppositum legimus: nihil absque Religionis iussu fecisse; & ipsa repugnante, omnia reuocare consueuisse, etiam Consulum Creationem, & belli apparatum.

Resp. ad arg Macchiauelli ex Romana politia fictum.

Quod autem de Posthumio, verum est, sed non poterat ille paciscí in perniciem Reip. Vel dicendum est, aliquos Consiliarios impios Religionem violasse: Vel non meruisse Samnites obseruantiam propter crudelitatem: Sed non ne idem Consul se tradidit ob iuramenti Religionem Samnitibus occidendum? & Attilius, Carthaginensibus? Hoc reputare stultitiam Macchiauellus, & violandam potius Religionem consuluisset. Ergo Romani non putarunt se violare Religionem, ita facientes: quod si errabant, ex errore non est trahendum argumentum.

Resp. ad aliud dogma Macchiauelli, de armandis credẽtibus.

Aliud impiissimum Dogma, quo Prophetas vituperat: eo quod nescierint armare credentes, & vincere; In hoc antimacchiauellismo penitus euertimus, & docuimus, eos non dominandi causa, sed Dei iussu loquutos esse. Et pluribus demonstratum est. Item eos, qui armauerunt suos Macchiauellisticè, etiam vitam amisisse; vt Fratrem Dulcinũ, & Ioannes Leidensem; & non fecisse minimam partem eorum, quæ fecit Ieremias, & quicunque ex Prophetis: ostendimus, Moysem Cyro præstantiorem dominatu animorum, & diuturnitate, & amplitudine, & reuerentia Imperij, contra id quod obloquebatur Macchiauellus: & distinximus dominari in animo, in corpore, & in fortunis, &c. Vide.

Illud autem quod de Sauonarola excogitauit, ridiculum est. Neque enim vllo pacto putandus est ille Religiosus Dominicanus, dominium Florentinorum ambiuisse; quomodo enim Monachus regere illud posset, nisi dimisso habitu Monachali, & prædicando Religionem nouam, seù hæresim? At si hanc, vel modicum innuisset, statim quam sibi adhibebant fidem, amisisset; cum vel perseuerando in austeritate Religionis, etiam calumnias non effugerit, vel accusationes. Nolo enim hoc iudicare. Præterea in morte sua ostendit grandem pœnitentiam, & sanctitatem, & scripsit super Psal. 31. & 50. ignitis verbis consolationem mortis. At fictus Macchiauellista vix cogitare, aut legere præ timore potuisset, quæ ille in feruore Spiritus, & Sapientia viua, dictauit. Et hæc quidem nihil sunt comparata his, quæ fecerunt Prophetæ, & Iesus Deus noster. Et quia de hoc disputatum est, ad locum suum lectorem remitto. Sed hinc iudicium assumimus, quòd Macchiauellus nullam agnouerit Spiritus humani conditionem & qualitates: Ideóque quidquid in suo arbitratu falso concipiebat, vt dogma fecertissimum scribebat.

Ex facto Sauonarolæ prauè per Macchia. interpretato.

Fatetur quoque Macchiauellus, Papatum regi absque ratione *de statu* sua, & tamen tantam esse erga ipsum reuerentiam, quòd tutior sit, quam quicunque armatissimi Principatus. Hoc profecto debuisset illi persuadere, quòd nisi Dominus custodierit Ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Ergo si nomen Dei tantum potest prædicatum à Prælatis, quos ille opinatur impios, & imperitos; quanto magis à Sanctis?

Arg. ex Papatus regimine.

Non ne Elias, & Eliscus posuerunt, & deposuerunt Reges? & Papa Reges, & Imperatores, & Respub. & mox condidit nouos titulos, & extirpiauit, & plantauit, sicut dictum est ad illum in Ieremia, & Petro? Quapropter addiscat primo scientias omnes, & deinde doceat artem viuendi, & regnandi. Quod si Theologos spernit, accedat ad Socratem ad Platonem, & Pythagoram, ad Trismegistum, aliaque naturæ lumina; & deinde consulat Principibus quod rectum esse agnouerit; & non quod opinatur, salubre esse Coquorum more.

Arg. ex Prophetarū potentia.

Ex defectu scientiæ in pseudopol.

Non ne Regnum Hispaniarum semper creuit ex quo pugnarunt contra Mauros, & zelo Ecclesiæ Dei imbuti sunt: cætera verò Regna Christiana passim succubuerunt, quoniam contra inuicem spreta Religione pugnabant? Quod si fingunt Hispani (vt ais) religiositatem, hoc magnum est, quod etiam Religio ficta plus potest quam impietas manifesta. Quanto magis ergo vbi vera existit? Carolus Magnus pro Ecclesia certando aduersus Saracenos, erexit nouum Imperium: Constantinopolitanum vero schismaticum corruit. Quapropter reuertimini ad cor: & ad concordiam Principes Christiani, & relicto Macchiauello, hoc est, pruden-

Arg. ex Hispanorū pietate.

Arg. ex Carolo Magno.

tia contraria Religioni, consulite Euangelium: & ego auguror vobis de Euangelio, quòd possideatis terram. Quid si etiam Monarchiam vniuersalem sub fælicitate sæculi aurei, qualem in Prophetalibus descripsi, & in libro hoc?

Tandem quæro: vtrum sicuti regnandi gratia licet Macchiavellistis Religionis simulatio, & periurium, & diuinæ legis prævaricatio, liceat etiam pro bonis aliis, vt pro fama, diuitiis, prandio, vindicta, iniuria, pro libidine explenda? si enim pro his quoque licent illa: tunc pater non potest habitare cum filiis, neque fratres cum sororibus, neque discipuli cum magistro, neque homo cum homine contractare, sine dolo, & statim ruit commercium humanum, & Resp. & amicitia.

Regulæ Macchiavelli tollunt etiam familias & amicitias nedum Ciuitates, Regna, & commertia.

Si autem non licent, ergo neque regnandi causa. Nam sicuti Cæsari Romam subiugare pessimum omninò est facinus, ita Agasoni subripere arcam plenam preciosis vestibus, & manticulario marsupium; & Coquo oleum, & sal, & carnem heri; & sartori vlnam panni &c. Ergo faciamus omnes quod pessimum est, Ergo filius toxico tollat patrem, vt citò hæreditatem adeat; & frater fratres, vt possideat solus; & sororem germanam constupret, & quodlibet liceat. Numquid constabit amplius Respublica? minimè. Ergo Religio ipsam sustinet? maximè. Ergo Macchiauellus docens artem regnandi, docet artem ruendi. Quid enim est Princeps absque Populi colligatione? Sed ipse concedit hæc solis Principibus; Proh scelus belluinum: non ne tu doces quoscunque ad Principatum ascendere per quascunque artes? Nam & Agatoclem quia captiuauit sibi milites passus turpia, & prævaluit audacia inde arrepta, & peruenit ad Regnum, tu collaudas: & similiter Oliuerottum, & Castruccium vilissimo loco natos ascendisse per scelera sapienter, doces, ad summum. Ergo omnibus concedis omnia. At si non concedis, cur ista scribis, vnde omnes discant malefacere? parum tibi videbatur naturæ pronitas ad malum, nisi & artem docuisses?

Argumenta euidenter conuincentia.

Et in hoc ignorantissimus appares. Si enim Respublica non potest stare absque Religione; Ergo natura hominis illam appetit: sicut politia, & Rationalitas, non ergo est superaddita astutia. Item, vt per historias multas, & rationem ostendimus in politicis, omnis Principatus, & Respub. & secta, & lex, in quibus eò deuenitur, vt homines non credant Deum esse, vel providentiam erga nos, aut animæ immortalitatem; aut hominem habere liberum arbitrium; necessariò patitur mutationem & ruinam, vt Hebraica, quando habuit Sadduceos, & sectæ Philosophorum, quando pepererunt Epicureos, & Gentilismus, quando sine Deo cœgit esse, & Iaponis Monarchia, quando Immortalitas Animæ exposa est, &c. Quoniam hæ opiniones faciunt Principes Tyrannos, & Populos seditiosos necessariò. Ergo politica Macchiauelli quæ so-

lam licentiam arbitrij ex his relinquit, nullo pacto ſtare poteſt. Et mirum, quodo non videt Principes ſubito fieri Tyrannos, & per vim regnare: violentum autem nullum durabile. Et ipſe ſceleſtus dicit, Principem timeri potius quam amari, expedire. In quo vel comicus Poeta, nedum. Philoſophia, & Theologia condemnat eum. *Malo coactus, qui ſuum officium facit, dum id reſcitum iri credit, tantiſper cauet ſi ſperat fore clam, rurſus ad ingenium redit*, hæc Terentius. Terent.

Quod ſi Tyrannidem Turciam introducere cupit in qua ſolus Rex eſt Reip. finis, licet fingatur Deus: profecto qui hoc laudat, omnes homines mancipia erroris, & Tyrannidis, & Hypocriſis facit: mereturque ſub tali Regno viuere, in quo nec res, nec filii, nec honos, nec ipſe ſui eſt. Præterea Macchiauellus ipſemet docet in prima clade ruere huiuiuſmodi dominatum, quoniam viribus ſubditorum, & beneuolis caret animis. Nec paruos Principatus poſſe eiuſmodi ſubſiſtere, niſi Monarchias magnas, in qua ſubditi armis priuati effeminentur: armati autem ſint Regis tantum ſatellites. De hoc vide Politicam noſtram. Arg. ex altera ignorantia ſcientiarum.

Item Macchiauellus videtur Coſmographiæ & moralis penitus ignarus. Non enim omnis principandi modus omni conuenit Nationi; ſed borealibus, Reſpublica & Anarchia; quoniam ſanguine, & ſpiritu multo abundant vix corrigibili, frigore colligente ipſorum vires. Meridionalibus Tyrannis; quoniam tenui & fuliginoſo ſpiritu donati ſunt: itaque ſunt timidi, viles, & doloſi, & facile ferunt dominatum, & crudelitatem, vt probauimus in Phyſicis. In mediis vero Regionibus Reſp. conuenit, vt Græcis, Italiſque, propter miſtam naturam. Item oportet Solum, & Cælum ſpectare, & Sidera, & mores, vt ſcias quomodo, & vbi quem dominandi modum inſtituas. Hoc autem indiget Aſtrologia, & Phyſica experientia. Ergo vbique Tyrannidem fundans Macchiauellus, imperitus eſt; neque enim artes eædem omnibus congruunt. Idem docet S. Tho. opuſc. 20.

Docet Macchiauellus latrocinari palmum vnum telluris, & tutamen eius per dolos ſeruiles; nec cauſas ſpectat omnes: vt enim probauimus in Metaphyſ. tota rerum vniuerſitas & Cælum & Terra & ſecundæ cauſæ, concurrunt ad effectus omnes, præſertim magnos per Neceſſitatem, Fatum, & Harmoniam; & qui eos ignorat, male fundat, & perperā ædificat: Niſi Sapiētiæ Diuinæ ſe cōtrahat. Politica Macchiauelliſtica eſt ſeruilis modicitatis & aſtutiæ, non prudentiæ magnanimæ &c. Fatū dicitur à fante Deo.

Sciendum eſt tandem, quod Macchiauellus vtitur prudentia carnis, quæ belluina eſt, & terrena ſapit. Et Chriſtus reprehendit Petrum quando dicebat ei, *Ne rediret in Iudæam, quoniam ibi paſſurus erat*: & ait, *Vade retro Satanas, non enim quæ Dei ſunt ſcis, ſed quæ ſunt hominū &c.* hæc eſt ratio humana carnalis Satanica, quā Macchiauellus putat Chriſtum ignoraſſe; ſciat nunc à Chriſto reprobatam eſſe, quoniam ſpectat cauſas particulares, & non omnes; Chri. Arg. ex Chriſti Sapientia & huius artis Macchiauelli, ſibi notæ, reprobatione.

ſtus autem Theologiam, & ſupranaturalem ſpectabat; & quod toti Mundo vtile erat; & ſibi gloria erat æterna: & non tuitionem vitæ trium dierum. Macchiauellus inſpicit quod poteſt facere homo, ſecundum ſe. Chriſtus ſecundum ſe, & ſecundum omnes cauſas à Deo ordinatas. Macchiauellus eſt porcus, & pecus, qui decernit cras edere & lauari, & neſcit quod paſtor aliud de illo diſpoſuerit; Chriſtus autem paſtorem ſpectat, & pecora, & cauſas, & concauſas præſentium & futurorum.

Præterea probatum eſt in Politicis, culmen imprudentiarum eſſe in eo, qui putat prudentiam humanam ad acquirenda, & conſeruanda imperia ſibi ſufficientem eſſe, cum quotidiè experiamur, nos non ſolum aliorum hominum auxilio, ſed etiam Cæli, & Terræ, & Aquarum, & Solis, & Lunæ, & Creatoris, & Gubernatoris rerum [illegible]e indigere; vna enim pluuia diſſipat conſilia Gentium, & Principum, & vna pulex ſomnum auferens Aſſuero, mutationem non aulicorum modo, ſed totius Regni peperit. Quapropter Socrates, *Prophetia opus habere Rempublicam*, dixit. *Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ* teſte Salomone; qui & addidit, *Cum defecerit prophetia, diſſipabitur populus.* Propterea ſcientias & diuinas, & humanas habemus, legeſque, vt intelligamus, Prudentiam Principis non gubernare per ſe ſolam, neque Principem eſſe Reipublicæ finem, & optimum: quippe qui non beare, at deſtruere Rempublicam ſine Deo poteſt: ſed Deum noſtri beatificatione conſequendum. Achitofel autem tanquam ſi Princeps eſſet à ſeipſo, & Reſpublica propter ipſum, vel intetpretatiuè, fatetur, nec legibus diuinis neque virtute, neque Deo Principem indigere: quo nihil ineptius, ſtultiuſque, pernicioſiuſque.

Eſter 6. In phed. Sap. 9.

Prudentia humana etiam Apoſtolus vſus eſt in Concilio Phariſæorum, & Sadduceorum, & diſſipauit eos; & Daniel occidendo Draconem. Sed conſideratur dupliciter, vno modo vt ſuppoſita prudentiæ diuinæ, alio modo vt oppoſita; primo modo licet vti ipſa, & proficit; ſecundo non licet; nam nocet tibi in te, vel in tuis, vt exactè probatum eſt.

Act. 23. Dan. 14.

Tandem ipſe ponit Summum Bonum in dominando: ego probaui eſſe in hoc infælicitatem, & laborem ſi facis quod te decet: at ſi non facis, annihilationem tui, & continuam afflictionem, vt patuit in cap. 17. huius libri, & in præcedentibus.

Et quicumque Deum cauſam peccati faciunt, ii faciunt Deum proditorem, Tyrannum, Macchiauelliſticum; qui iubet benefacere, quod non poſſumus, & cogit malefacere, vt habeat occaſionem nos torquendi, & de pœnis Inferni ridendi, & lætandi. Tales ſunt Caluinus, & Lutherus, & Mahomettus. Quorum cætus oportet diſſolui, vbi primum populi hoc intellexerint, ſicut docui in Panegyrico

ad Italos Principes. Veh nobis, si astutis Italis hæc vnquam concedetur opinio, vt simplicibus Borealibus; subitò enim Principatus, & Respublica corruent, & dissoluentur, excusantes scelera Fato & tribuentes Deo: omniaque ad libitum operantes. Has radices impietatis in Metaphys. conuulsimus.

RESPONSIO AD DEFENSOREM Macchiauelli.

CAP. XIX.

SVRREXIT quidam Achitofellis admirator ex Euangelio perperam contra Patres omnes accersiens, contraque leges omnes, defensionem. Quoniam (inquiens) Christus laudauit villicum iniquitatis, quia pro se prudenter egisset; quamuis contra Dominum, bona illius debitoribus, sibi ex hoc subuentutis, iniustè largiendo. Sed non aduertit Defensor, quòd Diabolus, & tyranni omnes eadem prudentia vsi sunt, laudata quidem non simpliciter, & veraciter. Luc. 16.

Sed vel in ordine ad consequendum, quod malè desiderat: veluti si quis laudaret Zingarum, non vt bonum, sed vt bonum furem, (sicut Arist. in 5. Metaph. notat in verbo Bonum) quòd subtiliter, artificiosè ex boni viri loculis pecuniam subripuisset; aut quòd ita prudenter adulterium patrauerit, vt à marito non deprehendatur. Non enim potest reperiri malum sine bono, alioquin duo essent Dii, bonus, & malus, vti Dionys. probat. Similiter in 2. Reg. 17. dicitur. quòd Absalon, Chusai astu deceptus, reliquit vtile consilium Achitophellis &c. Vtile quidem, & bonum sibi erat secundum quid erga optatum, scelus; sed simpliciter valde malum, quo vitam Patri & Regnum Filius eripiebat malus. Quid? ergo ne boni erimus homines aut boni politici, quia vtiliter occidimus insontes, insidiamur, fornicamur, aliena inuadimus? minimè gentium. Ergo vel modum furandi, vt bonum furi, non ex suo genere, sed ex industria furantis (non enim reperitur malum, nisi in aliquo bono, teste D. Thom. ex Dionys.) Dominus laudauit: non latrocinia villici per se mala, quæ nec facienda voluit, sed punienda secundum omnes leges statuit. Defensor.

Vel quia postquam facta sunt, in bonum pro se illa conuertit, vti

Sanctus Hieronymus exponit. Alioquin Christus hoc verbo totum Euangelium, & legem condemnauisset, quasi omnis lex & diuina, & naturalis, & humana, dolosa esset, quoniam ea prohibet, quæ vtilia nobis Macchiauellistico more comperiuntur.

Ex male acquisitis Zacheus non laudatur, sed ex bene dispensatis : propterea Alexand. III. pauperibus tribuit, quæ quis possidet aliena, nec Domino, ignorato, vel per mortem sublato, reddi possent. *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis : vt cum defeceritis* (per mortem) *recipiant vos pauperes in aterna tabernacula* (Cæli:) Sic Deus mala quæ non facit, vertit in bonum, quod facit. Non ergo docet malum facere, sed factum minuere, & in bonum vertere.

ARGVMENTA ADMIRATORIS
contra Reprehensores Macchiauellismi.

INstat Admirator, quòd qui Macchiauellum incusant, sunt Logicæ ignati. atque Politicæ : alienum, & falsum capessentes.

I. Logicæ quidem, quoniam ex extraneis argumentantur, & transiliunt de genere Politico in genus Theologicum, aut morale : dum volunt Macchiauellum debuisse præcepta dare Principi, quæ ad saluandum statum, conducunt. Imò sepé volentes esse pii, peccauerunt in Politicam & corruerunt, vt Sanctus Rex Iosias, & Sanctus Ludouicus IX. Francorum Rex.

II. Politicæ verò quoniam contra Politicam loquuntur Artem Non enim Politici est vnam modò optimam Reip. formam describere, sicut fecit Plato; sed omnes etiam mediocres, & malas, ac proinde quæ præcepta & artes requirunur ad cuiusque tuitionem. Nec enim Politicus dicit nisi generatim formas alias esse malas, vt Oligarchiam, & Tyrannidem, & Democratiam. Deinde verò debet præcipere modos, quibus quælibet seruatur, & quæ mala & quæ bona.

Quia autem optimæ Reipub status non dum visus est in Mundo, nec videri potest, propterea prudenter Macchiauellus, quomodo seruantur quæ sunt malæ Resp. & Principatus, mirificè docuit. Non ergo erraut, nisi præcepta congruentia non dedisset. Non congruit Tyranno iuramentum seruare, neque honorare virtuosos, & potentes, & sanctos viros, & consanguineos, sed occidere; vt ipse iubet. Neque congruit iustum esse, ac veracem, sed talem se ostendere ad

deci-

decipiendas plebes. Et hoc rectè executus est Macchiau. Alibi dicit, quod narratiuè docet Artes Tyranni: alibi, ex hypothesi.

Probat autem hòc auctoritate Arist. in 5. Polit. c. 9. & D. Thomæ ibidem lect. 7. vbi Oligarchas docent simulare, & pietate; si debent seruari. Similiter in c. 11. Arist. & D. Thomas lect. 11. docent tyrannum debere interficere potentes, sapientes, Magnanimos, spoliare diuitiis subditos, per vectigalia, & exactiones multas: Bella, & dissidia inter eos serere: pœnas in fetre quasi paternaliter, & adolescentibus libidinosè vti, non quasi contumeliæ, sed quasi Amoris studio. Et ostendere se excellentem in aliqua virtute; vel simulare illam. Item se alienum esse à corporalibus delectationibus &c. ne sit contemptibilis.

Confirmatio, ex auctoritate Arist. & D Thomæ.

Quas ob res non contra artem, nec contra prudentiam faciunt, qui docent Religionem in secretò contemnere, & simulare pietatem; & facere quidquid prodest ad statum acquirendum vel conseruandum. Sunt autem contra artem & prudentiam, qui reprehendunt in hoc Macchiauellum: Igitur & si sit salutare præceptum docere Principem, vt sit verè pius, & peccata expiet vsu sacramentorum, quo Deus prosperet statum eius: Hoc tamen, ait, est à Politica schola alienum: quoniam qui vsi sunt tam bonis consiliis, statum amiserunt, plerúmque & vitam &c.

Conclusionis cõfirmatio.

Igitur accusantes Macchiauellum sunt inertes, quoniam tractant de probitate Principis. Et ne malefaciat: quod est alienum ab arte.

Conclusio.

III. Item falsi crimine peccant.

Primò, Quoniam docent, quæ mutant statum Tyranni in bonum principatum, vel in statum priuati Ciuis; non quæ seruant in Tyrannide.

Tertium, quoniam fallunt in politicam

Secundò, Si virtutem, vel virtutis illius opinionem docet, quæ obest. Vt esse clementem & pium aliquando obest: & non esse non nocet; sed aliquando non haberi pium. Quapropter Principi solum, vt appareat virtuosus, præcipiet. Nam aliquando virtus nocet statui, aliquando vitium: Propterea crudelis & auarus videri nil timeat. Non enim virtus, nec vitium nocent, aut iuuant, sed opinio, quam de illis habet populus. Igitur si præcipit politicus crudelitatem, & auaritiam vbi prodest, non peccat in politicam; & qui non iubet, peccat.

Hic contraria iubet defensor: celare vitium, & non timere videri vitiosum

Tertiò, Falsus est etiam Politicus, si iuris, & æqui, & fidei seruandæ Religione statum conseruari doceat: cum hoc esse falsissimum experientia quotidiana testatur; & à ducentis annis scimus Principes vi, dolo, fide violata, acquirere, & seruare Dominium.

Tria sunt seruanda politicò præcipienti pro Tyrannide

I. Hoc solum obseruet Politicus, nè laudet Tyrannidis, & Oligarchiæ formas, & artes: sed loquatur ex hypothesi, videlicet, si est retinenda, ita faciendum.

II. Item nè sit lubrica oratio, vnde quis putare possit te laudare vitia & formas Reipub. malas.

Occurrit obiectioni.

III. Sed si lector impingit vt ita credat de te, non est timendum, quoniam etiam ex S. Pauli verbis occasionem errandi accepere, teste S. Petro; sic ex dictis Macchiauelli quidam errant.

IV. Et alibi: vituperare Tyrannydem spectat ad Ethicam, ad Politicum verò seruare.

V. Iuuamento populis est Politicus, docens Tyrannum Intensionem Tyrannidis, vel Remissionom per impudentiam viticrum, vel per simulatas virtutes. Hoc enim mitigat mala. Illud palam facit fraudes, & dolos, & sæuitias, quibus indigent Tyranni: quæ tamen eis non prosunt; populis verò prosunt, vt deterriti fugiant ab eius ditione, Regnoque. Sic fecit Macchiau.

RESPONSIO.

SED contra ipse probabo, quod nec transcendit de genere in genus Politicus ille, qui Principem docet esse bonum, vt principetur; nec vnquam nocet: nec extra limites scientiæ it, qui in vna scientia aliis connexis vtitur: dum non ex proposito, sed ex connexo. Ergo prima Propositio est imperiti valde; vel alienum volentis scelus zelo methodi scientiarum, & artium, tegere. Transcédere enim de genere in genus apud Logicos est de vnius obiecto scientiæ in alterius scientiæ, non subalternantis nec subalternatæ, transilire, vel docendo, vel probando. Vt cum Astronomus tractando de XII. Signis Zodiaci, tractaret simul de Apostolis XII. & Mathem. tractans de Triangulo, diceret de Trinitate personarum in Diuinis. Vel si probaret æquilaterum esse hunc triangulum, quoniam in Diuinis tres personæ sunt æquales: & Terram esse rotundam, quoniam Deus non habet nec principium nec finem. At quando subalternata à subalternante principia sumit, vt Medicina à Physiologia, vel à scientia communi omnibus scientiis, qualis est Logica & Metaphys. vel à scientia communi cum illa, quam tractas, qualis est Mathematica artibus de Numeris, de Ponderibus, de Mensoris, & historiographia physicis politicis, Theologis: neutiquam peccat: vt si probet terram esse rotundam in Phys. quoniam omnes partes æquè tendunt ad centrum, & contrario à cælo æquè recedunt omnes vnde lineæ omnes à centro ad circumferentiam sunt æquales; & stellæ quæ apparent in Ierusalem non apparent simul in Italia, sed posteà: & quæ vltra æquatorem, nunquam. Cum ergo Politica dependeat ab Ethica

Argumentis sūptis ex 1. post. Arist. & 1. Metaph. & 1. phys. probatur bonus Artifex qui contra Macchiau. præcepta præcipit Principi Religionem & probitatem.

tanquam à ſubalternante: ex eo enim quòd bene ſe ipſum quis regere ſcit per Ethicam, bene & alios per Politicam nouit: lex enim eſt virtus publica, ſicut virtus eſt lex priuata; non indocte nec contra artem politicus docebit moraliter bonum eſſe Principem, ſicut omnes fecere politici, & ipſe Ariſt. cui inhæret. Et Geometra vtitur Arithmetica, & Arithmeticus Geometria, ex annexo: & vtriſque vtitur Coſmographia ex ſubalternatione. Præterea cum ſcientia finis, præſtituat agendi modum iis, quæ ſunt ad finem. Finis autem Reipub. vt probat Plato, eſt cultus Dei ſummi Boni, à quo Reip. fælicitas habetur, & ſperatur: Theologiæ autem obiectum eſt Deus: neutiquam præter artem aberrabit, qui principatum & Remp. inſtituit in ordine ad Deum. Quamobrem non impius modo Macchiau. qui timorem Dei, & Religionis aufert de cordibus Principum Tyrannorum. Sed etiam iners, indoctuſque veræ Politicæ finiſque illius, vt in præcedenti probatum eſt capitulo.

2. Item ex eo quod Macchiauelli præcepta non ſunt ex prudentia neque ex Arte.

Præterea teſte Ariſt. & D. Thom. primo Ethic. Prudentia *eſt recta ratio agibilium*, Ars vero *recta ratio factibilium*. At Macchiauelli Ars non eſt recta, ſed obliqua, non enim ad fælicitatem Reipub. & ad Deum ſpectat, ſed ad libidinem principantium, & ruinam. Ergo non eſt Ars, neque prudentia politica, ſed aſtutia ſceleroſa. Quod probatur etiam autoritate Admiratoris ſui, dicentis, quod *Tyranni abſque ſtudio literarum, fecere plura ſcelera artificioſa ad ſtatus acquiſitionem, & conſeruationem, quam quæ ab Ariſt. & Machiauello traduntur*, Ergo non datur Ars de his, ſed peritia, malitiaque. Similiter Ioan. Chryſoſt. in lib. de Sacerdot. Artem omnem mereri hoc nomen, ſi vtilis eſt Reip. & priuatæ. Sed præcepta Macchiauelli ſunt inutilia, noxiaque Reip. vt fatetur: ſunt & Tyranno; quippe qui per ea perditum it animam, & ſtatum, vt ſuprà probatum eſt pluribus exemplis rationibuſque, & Plato mirificè docuit in dialogo 9. de Repub. ergo &c. Similiter Ariſt. dixit. *Malum ſcipſum perdit: & ſi integrum fuerit, intolerabile euadit.* Ergo cum ſit mala iſta ſua Politica pernitioſaque, Ars non eſt, nec conſeruationem mali docere poteſt ex arte. Nulli præterea arti veræ, nec ſcientiæ contradicit Theologia, & Ethica, vt patet ex Concilio Later. quod non conſiderauit ille Macchiauelli Admirator, dum vult Politicæ cõtrariã eſſe.

Confirmatio ex pedia defenſoris.

Item ex S. Chryſ. doctrina.

3. ex Ariſt. doctrina.

Præterea Ariſt. docuit Principem non modo bonum Ciuem, ſed bonum hominem eſſe debere, legemque animatam: ſubditis vero ſufficere eſſe bonos Cives. Sed Macchiau. eum docet ſceleſtum fieri Ciuem & hominem, periurum, perſequutorem optimorum &c. ergo contra præcepta Ariſt. à quo tu defenſionem accerſis, In Politica autem Chriſtiana & principem, & Cives eſſe bonos homines, præcipitur, vt ſuprà &c. Ergo &c.

Probitas valet ad conseruandum Imperium.

Cum verò ait, non valere probitatem ad saluandum statum, sed ad saluandam animam: & propter huius rei ignorantiam periisse Iosiam, & Ludouicum, Reges sanctos: non modo contra pietatem contraque naturam loquitur, quæ per virtutem, non pervitium, omnia saluat, & se Macchiauello adhærere excorde declarat; qui prophetas, & Sauonarolam indoctos politicæ facit, quia nescierunt armare suos credentes: sed etiam contra Macchiau. qui fatetur contra propria etiam dogmata, in hist. in principe, & in serm. ad T. Liuium, principes bonos diutius, & fælicius conseruasse & propagasse statum, vt Dauid, Ezec. Augustum, Adrianum, Constantinum, Carolum Magnum &c. quam prauos, qualis Nero, Commodus, Maximinus, Azzellinus &c. vt supra probatum est. Nec verum est, quod per ignorantiam politicæ, partam ex Religione Iosias cecidit (verum enim vero non contradicit, nec scientia scientiæ, vt dicitur in Concil. Lat. sub Iulio II. sess. 8.) sed quoniam non obediens verbis Domini ex ore Necao pharaonis, contra Religionem potius, quam contra politicam Artem, pharaonem insectatus est (vt dicitur Paral. 35.) ex imperitia, & obstinatione. Clem. autem Alex. 1. Strom. 11. ait, *Iosias cum non audiisset Ieremiam prophetam, interemptus est à Nechao &c.* Nec enim quia demolitus est Idola, instaurauit fœdus cum Deo, phasem celebrauit, & abstulit effeminatos &c. propterea non fuit bonus politicus, vt vult inferre Admirator: imò ex hoc fælix Rex fuit, vt supra probatum est. Similiter nec S. Lud. propter Religionis obseruantiam fuit malus politicus, vt dicit Autor. Sed cum multa bona in Palestina fecisset, & victor factus, victus est, non Religionis causa, sed infortunio alluuionis, ad sui probationē per Deū immisso. Tamen Bella, quæ gessit in Gallia contra Rebelles, Iustitiæ tribunalia, opera misericordiæ, liberatio Christianissimi, Tunetis obsessio, quæ cum victoria perfecta post suam mortem à suo Fratre fuit, sunt Boni politici artem redolentes & præcipiuntur ab Arist. & D. Thoma & cunctis artificibus. At quis vidit Macchiauellistas melius prosperari? Lege Historias, de Valentino, Oliuerotto, Castruccio, Ablalone, & aliis eius discipulis, in c præced.

Item ex autor. Cōcil Lat. & decreto Philosophorum.

Miror quomodo iste Autor contra Concilij patrum decreta tam impiè exempla producit aduersus Religionem, quasi politicæ contrariam, aut extraneam, cum sit reuerà Anima politicæ: nec sine illa institui aut retineri politica potest vlla, tunc enim est cadauer. Et non solum Sacri Concilij dogma est, quòd verum vero, & scientia scientiæ non contradicit: sed omnium philosophorum: ipse tamen nil veretur contrariam Arti politicæ dicere Theologiam, & Ethicam, vt principibus exosæ fiant.

Ex eo quod Religio est Anima politicæ.

Præterea cum Anima regat corpus, arma, & fortunas, non

nè oportet prius animam instituere, quæ ipsorum est Agens, & finis animæ autem Deus? ergo non ex arte, ipse contrarium faciens, loquitur Machiau. nec eius Admirator; Sed ex peritia astutorum, & nebulonum. Propterea Artis, (inquam) est docere, quo animo debet esse Politicus Princeps; Tyrannúsque debet imitari eum, si debet ipse uari. Et Resp. esse viua, non cadauer.

Præterea nescit Encyclopediam, per quam omnis scientia scientiæ vsui est omni. Multò autem magis quæ generalis est, & quæ contermina: vt Ethica Politiæ & Oeconomiæ. Item quæ imperat, vtitur ancillis: At secundum D. Thom. 6. Eth. & p. lect. 2. Politica imperat; Ethicæ, & Oeconomiæ. Ergo vtitur illis. Ergo ex Arte non contra Artem. Sicuti nauifactiua, vtitur dolatiua, & cæsiua lignorum &c. Iste homo non vult scientiarum mutuum vsum, vt possit defendere Macchiau. laudantem Tyrannidem; & perfidiam, & impietatem in Principe, vt in cap. 18. ostendimus. Ex Encyclopedia.

Præterea nec Macchiau. hanc Dialecticæ sciebat subtilitatem, cum nullis scientiis, nisi praxi politiæ, operam dederit. Quapropter non ex ratione Methodi, sed ex malitia præcepta dedit impia. Ergo non piè etiam defenditur: vndique lacerato quoque tegitur pallio. Ex ignorantia Macchiau. probatur defensionis falsitas.

Ad secundum, Reuerà, Politici est, omnes Reipub. formas describere. At falsò accusatur Plato (non lectus, vel non intellectus) quasi non descripserit omnes: cum in suis decem dialogis de Iusto omnes formas percurrerit. Et mutationes aliarum in alias; Et de Tyrannide disseruerit longe plura, quàm Arist. Vnam autem probauerit Rempub optimam, sicut fecit etiam Arist. Imò quidquid boni Arist. dicit, ab illis 10. libris accipit, & à 12. de legibus, & à Minoe de Legislatura, & à Ciuili, de Regno. Diuisit etiam Plato in lib. de Iust. tres status, Principis, Paucorum Bonorum, & Omnium: idest Monarchiam, Aristocratiam, & Politiam. Quarum degenerationes docuit esse, Tyrannidem, Oligarchiam, & Democratiam. Et quomodo altera in alteram mutantur Politicè, & quomodo ex viribus numerorum. At & quantum per se præstet optima Resp. Platonis supra optimam Arist. alibi monstratum est rationibus, & S. Patrum, & Philosophorum testimonio. Sed quoniam Arist. Macchiauellizat, concedendo abusum mulierum, & puerorum; & fœtuum cædem non sanorum iubendo: & Religionis impuræ gratia, priapi & nefandarum imaginum retinendo picturam: & Sacerdotium vulgando (quasi esset non Dei cultus gratia, sed humanæ quietis) Militibus veteranis, sanguine, & violentia plenis, attribuit. Et omnes artifices, & agricolas, extra Rempub. quasi incapaces fœlicitatis, seruos esse vult, cum Macchiauello docente Tyrannidem; Propterea videtur admiratori Macchiauelli melior quam diuinus Plato; quem tamen omnes Theologi meliorem Plato nihil attinens ad politicam omisit & plura dixit quam Arist. etiam de Tyrannide, nedum de cæteris in 24. libris Arist. autem 8. solũ condidit, furatus meliora ab illo.

fecerũt. Vt Chryſ. Auguſt. Ambr. Iuſt. Baſil. Greg. tres, & ipſe D. Thom. in opuſ. de Regim. Princip. lib. 4. c. 4. & 3. pol. & 1. Met. & alibi.

Tyrannidis adipiſcendæ, & conſeruadæ per ſe non datur ars: ſed peritia, & aſtus.

At deſtruendæ, & meliorandæ datur ars.

Præterea fallaciter infert, quod politicus docere habet tyrannidis conſeruationem, quà tyrannis eſt. Si quidem, vt ſic, res mala eſt; malaque policia: igitur non conſeruabilis. (Malum enim ſeipſum perdit) nec ab arte; quæ eſt recta ratio factibilium, nec à prouidentia quæ eſt recta ratio agibilium, ſed præter hæc omnia. Igitur non eſt Politicæ Artis præcipere de tyrannide conſeruanda: ſicut non eſt Medicæ, de lue Venerea conſeruanda, & de acquirenda, vel conſerda peſte, aut fiſtula, præcipere, ſed de ſanandis. Propterea cum tyrannides ſint peſtes principatus, de illis retinendis, aut augendis, nulla datur ars, ſed diabolica aſtutia. Datur autem de ſanandis, & meliorandis ratione ſubiecti, non obiecti. Dixit enim Aug. iniuſta dominia eſſe magna latrocinia. Doceamus ergo nos politici, latrocinari, peierare, abuti pecuniis, & vxoribus alienis, occidere ſapientes, potentes, bonoſque, vt ſimus intra artem Macchiauelli admirabilem in ſuo admiratore. PROH DOLOR. Hæc quidem politico dicenda ſunt qualiter fiant, cum deteſtatione facientis, & factorum: vt dixit Cato Cenſorinus, quando in Senatu Romano audiuit Carneadem diſputantem contra Iuſtitiam ptò Tyrannide: & pronoſticatus eſt, non diù duraturam Remp. Romanam, in qua adoleſcentes tam libenter audiebant illas Macchiauelliſticas rationes. Et euentus ſubitò id oſtendit in Mario, Sylla, Cæſare, Pompeio, aliisque Reip. exitialibus. Nos autem in Rep. Chriſtiana id non aduertemus? At Macchiau. docet, iubetque fieri, vt bonà ſimpliciter principi, non, vt ſecundum quid, ad principandum ſic, Multoque minus ſolum narratiuè. Lege qui non credis, in princ. Cap. 7. Laudata ſcelera Valẽtini pro adipiſcendâ Tyrannide, tanquam virtutes & exemplar virtutum.

Falsò allegatum fuiſſe Ariſtot. & D. Thom. pro Macchiau. & pro ſuis.

Cum verò hoc probat autoritate Ariſt. & S. Thomæ, longè pernicioſus aberrat. Non enim enim iſti docent artem conſeruandi tyrannidem, ſed ſanandi, vel propè ſanitatem reducendi, etiam ex ſuppoſitione, ſi debet retineri, nè dum abſolutè. Neque in 5. polit. c. 9. & 11. docent, quod acquirenda, & augenda ſit tyrannis, ſed quod vbi ex corruptela aliarum formarum politicarum quocunque modo (nã multos modos narrant) contigerit, mitiganda eſt, vt durare poſſit ipſa mala per miſturam boni. Siquidem aiunt, quòd malum non poteſt ſeruari, neque vitium; igitur non eſt (aiunt) tollenda religio, & virtus, & probitas, & amor populorum; ſed ſi non ineſt, ſunt ſaltem ſimulanda: quoniam ſaltem ſimulacrum, & vmbra virtutis tutatur Statum. Ergo Oligarchis non eſt (ait) timendum (vt faciunt ſtulti Politici) quòd cõtra plebem ſint operaturi: ſed contrariũ. Quod ſcilicet ſint plebi benefacturi quamuis hoc non intẽdant: & pro eis non ſit. Illud enim eſt ſine iudicio, & iuſtitia, & ſine veritate. Licet ſit cũ veracitate: & hoc cũ iudicio, & iuſtitia, & veritate, ſed ſine veraci

Nec D. Thom. nec Ariſt. docent tyrannidis mala ex arte. Sed ſolum narrant, & ad bonum ex arte producũt, diminuẽdo eius ſcelera, vel tegendo ne lædant.

tate, tantum. Ergo conceditur, vt minus malum tyranno. Vtrumque tamen est periculum, vt docet S. Thom. 2. 2, q. de Relig. 90 & 98. Neque ostendendum, quod adolescentibus sunt abusuri per contumaliam, sed simulent ex amore; neque spoliandi diuitiis populi, & vita sapientes, quasi per odium, & iram, sed quasi machinati fuerint contra libertatem, aut maiestatem, aut propter indigentiam Reip. Igitur D. Thom. & Arist. docent sine amore suorum, & sine virtute, aut virtutis, & amoris simulacro, non posse Tyrannum viuere. Item ideo verè beneficum esse oportere, & amicos conciliare, præstantiores non occidere, & populum fauoribus mulcere, aliaque multa, vt in cap. allegatis palam est. Vt minus sit, qui ex flore venenum araneus animus exugit. Vnde concludit Arist. postquam tam bona præcepta Tyranno dedit. *Ex his enim necesse est dominationem pulchriorem, optabilioremque, quoniam melioribus imperat, & non abiectis, &c. & longiorem, & durabiliorem, &c.* & probat exemp. cuiusdam Regis Laced. qui sic minuebat suæ robur tyrannidis, vt diuturniorem faceret.

Præterea in cap. 11. *Vt enim* (ait) *corruptio Regni est deducere Regnum ad tyrannidem: ita tyrannidis conseruatio est ad Regiam gubernationem magis eam referre.* Idem D. Tho. ibi, & in lib. de Regim. Princ. & lib. de Eruditione Principum.

Cum autem admirator ait, non posse reperiri Rempub. bonam, ideò danda esse præcepta pro Tyrannicis, longè magis peccat. Non enim quia non habemus bonum poema, & orationem optimam, dabit Horat. & Cicero, præcepta de malis poematis, & orationibus retinendis, sed meliorandis, & ita facit Arist. & S. Thom. & ad hoc argumentum respondimus in cap. 11. Falsò ergo ex Arist. defenditur impietas, vt possit dici, quod timet dicere penna, buccaque.

Qui præcipiũt Tyranno probitatem, non inertiæ insimulari debere, sed vt veræ artis politicæ Magistros laudari.

Cum verò ait, inertes eos, qui de probitate conscientiæ dant Principi præcepta, quoniam ad Theol. & Eth. pertinent, mirificè allucinatur. Quoniam ipse Arist. & D. Thom. docent Principem oportere esse bonum simpliciter, non secundum quid. Præterea quando vult retinere tyrannidem, docent, virtuosè viuendum, vel saltem simulandum. Ergo de ratione Principum est virtus. Ergo pertinet ad Politicum. Præterea Deus est Rex Regum per quem Reges regnãt, vt in Theol. & Metaph. & Physica probatur. Ergo nisi dependeat à Deo princeps, non prosperatur. Ergo non est alienum à prudentia politica docere principem, vt si velit principatum tenere, sit bonus erga Deum. Vnde sequitur, vt non possit esse malus contra homines. Ergo conciliat sibi pro odio amorem: pro contemptu reuerentiam, hæc duo enim pessundant principem, teste Arist. experientiaque. Ergo maximè ex arte præcepit, qui bonum esse præcepit: & omnis

Arist. 5. Pol. 10.

ars idem facit circa sui subiecti bonitatem, & malitiam, præsertim morales, & factiuæ.

Igitur quantum delinquat, cum crimen falsi impingit politico, præcipienti de probitate, ex dictis liquet.

Resp. ad rationem admiratoris.

Ratio eius est falsissima. Nam ipse Aristot. & D. Thom. 5. polit. cap. 11. docent, non posse Tyrannum seruare dominium, nisi ad Regni regulas torqueat, ita quod fiat bonus populo, & melioribus: atque virtuosus: & vbi deest virtus, saltem simulet virtutem. Ergo non est contra artem, & multo minus contra veritatem, qui docet seruare tyrannidem virtutibus. Et cum ait, quod non est amplius Tyrannus, si dimittat dominari. Bene quidem, quoniam non est amplius malus, & morbosus, sed sanus. At (inquit) dimittit dominium, quæ res bona est: nec dimittenda. Ergo &c. Respondeo, quod dimittenda est propter maius bonum, si credis in Illud, & in Deum. At quoniam seruare vis Tyrannum, nequaquam fallit, qui docet modum per reductionem ad Regiam gubernationem, hoc enim Arist. docet, & S. Thom. quos patronos assumpsisti: nec alia via est, nisi ad virtutem vitiis detortis, passim facere de tyrannide Principatum, ita enim saltem (Arist. in fine cap. 11.) *Vel semibonus eris, vel non malus, sed semimalus, & prorata bonitatis, quam tyrannis accipit accedendo Regiam ad gubernationem melius seruatur.* Cuius contrarium admirator ineptè comminiscitur, Corrumpi, scilicet, Tyrannidem, si ad bonitatem Regni accidit. Malum enim non subsistere putat Arist. nisi in bono, & in eius communione, & accessu, non in recessu, vt vult admirator: per se enim nihil est, vt docet Dyon. & D. Thom. & alii. Ergo Tyrannis, vt mala, non potest subsistere, nisi in bono, & boni copula. Igitur non aliud habet remedium. Ergo non est falsi crimine reus politicus, & Arist. qui consulunt ad Regiam trahere tyrannidem potestatem. Ergo falsò sub Arist. clypeo te tueris ô Malitia, obtusa.

Porrò Admirator sibi multipliciter contrariatur. primò enim dixit, quod politicus artes Tyranni narratiuè dicit, non probatiuè: deinde ex narratione ad approbationem ex sola suppositione, videlicet, si debet seruari Tyrannicum Imperium, artes narratas præcipi dixit. Tandem non ex suppositione tantum, sed simpliciter bonas docet, quoniam contrariæ sunt malæ, quas nos dicimus bonas: & ideò inertiæ, & falsitatis nos accusauit, & hoc confirmat, subdens quòd virtutibus corrumpitur Regnum aliquando, vt clementia, religiositate, fide; ideoque falsus est Politicus, qui negat Principi vsum crudelitatis, impietatis, infidelitatis; At inquam, maximè fallitur admirator. Non enim clementia, & pietas, & fides obest statui vnquam, sed contraria vitia, vt Arist. etiam docet. Falluntur autem qui stupiditatem, quia non puniunt, nec sentiunt vitia, prò clementia venditant (contra quos Moyses, nec misericordia flecti iudicem iubet

bet vlla, ſicut Hely non puniens filios, abutentes ſacris & pro religione ſuperſtitione vtuntur; vt Agamemnon imolando Iphigeniam: vel religione non intellecta vtuntur ſuperſtitioſè. Sicut Hebræi in lib. Macchabeorum quando noluerunt pugnare in die Sabathi, & trucidati ſunt. Vnde decreuerunt eſſe pugnandum, quoniam, &c. Vel periurio vtuntur pro iuramento, ſicut Agamemnon, & Herodes: ſic de cæteris. Sed dicet admirator, ſi iniuſtè poſſidet Regnum Athalia, debet reſtituere ſecundum politicam. Ergo non ſeruatur. Debet, inquam, vt vir bonus. At vt bonus Rex debet tyrannidem in Regiam poteſtatem torquere. Et vitia in virtutes. Sicuti prudenter villicus debito vſus eſt proſe ſeruando, vt reciperetur in domibus debitorum, quoniam fodere non valebat: & mendicare erubeſcebat. Neceſſitas autem fecit bona communia. Similiter qui bona aliena ſubripuerunt, in pauperum ſubſtentationem, & Templorum iubent & Pontifices conuertere, ignoratis Dominis. Multi etiam per vim occupantes Regnum ſatagerunt beneficiis, & bono regimine à populis ſe acceptari, & confirmari, vt Auguſtus.

Religio, & virtus vera nulla obeſt Impetio, ſed falſa ex malitia, vel ignorantia.

Tertia falſitatis nota ab impietate bene radicata, vel ab ignorantia ſtupida, inuritur Politico, ſuadenti ius, & fas, propterea quod melius eſt iis, qui per nefas & iniuriam Regna acquirunt vi, doloque, & ſimiliter malis retinent artibus, quoniam à ducentis annis ita obſeruatum (ait) videmus. Verba hæc ſunt Ariſt. circa finem 10. cap. *Quod modo non ſiunt regna, ſed Tyrannides.* Quod verum eſt ſub Gentiliſmo; admirator autem ſub Chriſtianiſmo hoc docet. Nec conſiderat Papatum regnum virtuoſorum totius Mundi, in qno populi aluntur laute, ſcholis, & ſacris inſtituuntur, nobilitanturque, vt omnes poſſint ad ſceptra Epiſcopatuum aſcendere, & Cardinalatum, & Papatum: & ſapientes, & optimi non occiduntur, ſed ſublimantur. Item Principes Hiſpani, & Galli, & in ſucceſſione iuſtiſſima inaugurantur, & ſeruantur, non occidendo fratres, neque viros bonos, ſed præmiando. Dux Venetorum, Imperator Germanus, imò & Rex Poloniæ electione. Quod ſi Tyrannos Macchiauelliſtas admiratur homo; nos eorum præcepta pro nihilo habemus. Medicus enim non fomentare morbos, vt admirator, & Macchiauellus volunt, ſed ſanare ex arte habet.

Hic excutit laruam defenſor, vt ſubterfugere reprehenſionem amplius non poſſit. Non enim aplius narratiuè docet artes Tyranni nec approbatiuè ſolum ex ſuppoſitione ſed ſimpliciter.

Conditiones excuſantes Macchiauellum, nullæ ſunt per ſe, Primò, quoniam loquitur non narratiuè, ſed approbatiuè ſimpliciter, non ex ſuppoſitione docens acquirendum & retinendam eſſe Tyrānidem artibus Theologiæ contrariis: & admirator concedit hanc contrarietatem exemplo (licet falſo) Ioſiæ, & Ludouici, ſicut Macchiauellus fecit exemplo Prophetarum. Vnde licet fingat loqui admirator ex ſuppoſitione, tranſit ad abſolutum: peccans fallacia de ſecundum quid ficto, ad ſimpliciter aſſertum, vt Iuſtum &c. Item cum modos malefaciendi docuerit ex arte, qui paſſione captis humana videntur

vtiles; nemo Tyrannicus eos relinquit: sed vtitur tanquam sapientia scientiarum; dicunt, enim nos viuere nescire, qui nolumus simulare, nec fallere, nec frui præsentibus bonis ad libitum spe futurorum. Plures autem homines (ait S. Thom.) passiones animi quam rationem sectantur. Ergo pluribus malefacimus, quam prosumus, artem in scelere ponentes. Quæ tamen ars nulla est, si prædicta recolimus. Nec Macchiauello prosunt: ipse enim docet ignorantes fuisse Apostolos, & Prophetas, quoniã nescierunt armare credentes, putatque omnes prò Ditione adipiscẽda prædicasse: Oliuerottũ, & Vitellotiũ, & Vrsdũ occiderentur à Valentino non digna se verba suprema loquutum: quoniam non generose indulgentiam peccatorum in morte petiit. Quod tamen verè generosum fuit scilicet, Petere bonum ab hostiliter dante malum, debente ex amicitia, & sanctitatis professione dare bonum. Sic admirator plebeos vocat increpantes propter hoc Macch. Item Castruccio impio Tyranno laudes summi Herois: & gesta mirifica Philosophorum, apud Laertium narrata, Macchiau. falsò tribuit, vt in eo Idæam optimi Ducis locaret. O ridiculum impostorem, scelerum Magistrum. Violare iuramentum non putat esse malum simpliciter, nec non bonum Politico, vt ait de Valentino occidente Vrsinos, & Liuerottum, & Vitell. sub iuramento non lædendi & recte fecisse, Colonnenses, & ceteros optimates, extinguendo. Cyrum præfert Moysi. Conscientiæ custodes irridet: nec putat aptos Regno: & idem eius admirator affirmat. vt videantur hæ medelæ ex timore tribunalium potius, quàm ex arte depromptæ. Cur non refert quæ dicit Macchiau. in Princ. cap. 7. quod virtuosissimè operatus est, quando tot malafecit Valentinus. Seque non habere melius exẽplar optimi viri ab omnibus imitandum, quàm Valentinum, illum, de sceleribus tantopere commendatum: Quem, ait, proponam omnibus imitandum, sicuti & facio.

Secũda cautela fallax est: nec à Macchiau. acceptatur.

Secunda est inanis medela. Non enim potest non lubrica esse etiam illa, quæ malum detestatur, si malas artes tamquam bonas vtilesque tradit paratis potius voluptatem, quæ Tyrannorum est finis & incentiuum; quàm rationem, quæ regia est, sequi. Plerique enim Tyranni sunt, & id fatetur admirator; quod non potest reperiri Respublica verè virtuosa, nec Princeps. Laudetur P. Aretinus, qui artem Meretriciam docet, & nefandarum voluptatum ritus. Similiter Doctores mãticulariorũ, & latronũ; quoniã ex politicæ propriæ sapiẽtia loquuntur Admiratori. Vide quas laudes dat Tyrannis: quorum vitia & scelera vocat virtutes, summas Macch. & ait, ab omnibus imitandas: cuius reprehensores admirator, vocat plebeos: quasi principum sint, quæ iubet Macch. plebeorum, quæ nos.

Resp. pro secunda cautela, est valde dissona, & impia.

Quòd obiectioni occurrat, valdè impiè affertur. Ex Epist. enim Apostoli, capiunt errandi occasionem solùm scelesti: quibus quidem ab illa epist. ars malefaciendi tribuitur nulla: sed probitas, & fides.

Sed ex dictis Macchiau. docentur boni fieri sceleſti: & sceleſti de induſtria malefacere pro adipiſcenda, ne dum pro retinenda Tyrannide. Et ideo ſcandalum actiuum eſt, non paſſiuum. Adæquat Macchiauellum Apoſtolo Paulo, impiè, ruditer, & ineptè. Nec moror, quod oporteret, demonſtrare quantopere in præceptis Logicis, ne dum politicis, inde firmatis, cæcutiat: hic enim non eſt locus.

Ad quartum, Omnis artis eſt, opificij proprij probitatem, & improbitatem dicere: ſic pictor bonam, & malam iudicat picturam: illam commendat, iſtam vituperat, datque artem vitandi hanc. philoſophus laudat philoſophiam, vituperat Sophiſticam, vt Plato mirifice fecit. Sic Logicus, & ædificator &c. Ergo falsò aſſerit admirator, quòd non eſt Politici vituperare Tyrannidem, ſed Ethici. Præterea neſcit, quòd Ethica gubernat partes Reipublicæ: politica totum. Et idem eſt iudicium totius & partis. præterea omnes politici ruinoſas formas politiæ deteſtantur ex arte. Ergo & Tyrannidem. Quam ſi laudat Macchiauellus, contra artem laudat; ſicuti ſi pictor prauam picturam commendaret, &, quomodo ſeruanda, doceret. Mirum quantum audet vt defendat Nebulonem impium. Et quem dicit ex metu, non laudandum, ex ſententia defendit, tanquam diuinum artificem. At quorumnam? Corruptelæ, Rapinæ, Doli Carnificinæque generis humani.

Quam irrationabiliter contra Artem, nedum contra Religionem ſćtit, putás politicum debere pro Tyrannidis Intenſione, ſicut pro Remiſſione, præcepta dare. Et quæ in hoc.

Ad quintum, ſuo capitur laqueo. Remiſſionem Tyrannidis benè iubet Politicus, quoniam ſic virtutibus adhæret. Et ſic facit Ariſtoteles, & Diuus Thomas docentes, vt ad regiam trahat gubernationem Tyrannicum Dominium: Et virtutes induat; vel induſe ſimulet, vt ſit ſaltem ſimulatè bonus. Malus enim omninò non ſubſiſtet. At Intenſionem nemo iubet, nec Ariſtoteles, nec Diuus Thomas, ſed Macchiauellus. Non enim prodeſt augere mala. Quoniam vt ait Ariſtoteles, *Malum ſe ipſum perdit: quod ſi integrum fuerit, intollerabile euadit.* Sic probatum eſt neminem totaliter malum poſſe vno die viuere. ſemper enim aliqua virtute ſubſiſtet, vel naturali, vt Diabolus. Totam enim bonitatem exuere non poteſt citra annihilationem. Igitur Mirum, quod admirator præceptorem Augmenti Tyrannici benefacere ex arte contendit. Nec enim Tyranno benefacit, quem replet malitia maiori, & metu continuo, & ruinæ parat, vt idem Ariſtoteles teſtatur. Nec populo ſubdito. Non enim poſſunt cauere ex hoc, quod tu doces Tyranni artes. Siquidem pueri, mulieres, populus minutus, & qui inſulas incolunt, & Regni terminos arduos habent, exire non poſſunt. Nec abſque maiori malo exibunt, ſi etiam contermini regnatores Tyranni ſunt, quales docet Macchiauellus: aut ſi ibi non habent ſtabilia, quibus viuant, bona. At nec Macchiauellus docet Principes artem Malefaciendi, vt nos caueamus; ſed vt ipſi citrà ruinam, vel aliquo tempore, ſtent, ſeruenturquè. Et idem

dicit admirator; *Quod si saluati, & seruare debent Regnum, ità faciendum illis præcipimus.* Imò dixit, quod qui contrarium iubent, sunt falsarij, quoniam probitas non saluat Iosiam, nec Ludouicum, sed euertit. Item ait, virtute, & vitio vtendum. Aliquando enim illa, aliquando isto seruamur. Et Clementiam, & Religionem, & Iuramentum, & fidem spernenda consulit. Ergo non auget Tyrannidem, vt per hæc corruat, sed vt stet. Artis enim est, ait, conseruare. Hæc autem præcepta artis sunt. Nec enim narrat quid faciunt sed faciendum docet, & contrarium detestatur. Euangelium verò laudauit villicum iniquitatis, quoniam ex jam facto malo elicuit bonum: non autem docuit facere mala: nec augere, sed remittere, & ad bonum trahere, vt Diuus Thomas, & Aristoteles, Plato, & omnes ex ratione artis fecere. A sæculo non auditum, quod Verum Vero, & Scientia Scientiæ contradicat.

Psal. 84.

Intelligant ergo, proditorem, & deceptorem non esse Deum, ij qui contra conscientiam agere suadent Principi, quanquam repugnante natura, vt Horat. ait.

Stat contra dicio, & secretam gannit in aurem.

nullum enim theatrum maius conscientia, dixit & Cicero. Porrò si non vult iste *audire*, sicuti Dauid, *quid loquatur in se Dominus Deus:* Aspiciat, vt Antiochus sceleſtus, *saltem quid faciat huiusmodi Tyrannis* (vt supra ostendimus) *Dominus Deus.* Conspiciatque Dominum esse Dominorum vnum omnis vitiositatis osorem, & vindicem; nec leges esse imposturas, nostris bonis insidiantes; sed vias regulasque ad priuatorum, & communium bonorum conseruationem, summique Boni peristhæc adoptionem, cum Anima corpori non subdita, sed libera esse cæperit. *Nolite errare, Deus non irridetur; Quæcunque seminauerit homo, hæc & metet.*

2. Mach. 9.

Galat. 6.

APPENDIX.

SEXto mense post editum librum contra Atheos, sapientissimus Papa Vrb. VIII. cum ipsum translegisset, monuit me, vt prognosticum Astrolog. de Ecclesiæ instauratione, quamuis positum non assertiuè, sed ad hominem, delerem in pag. 147. quæ nunc in noua impress. est 209. Parui. Sed æmuli pruritum eius tangendo, alia loca obiecerunt eiusmodi; quæ reuerà sunt pro Bulla non contra Bullam, vt volunt. Emendaui vt potui, ne viderer cerui-cosus. Attamen, quatenus correctio eorum incommoda erat Bullis SS. Ponti. & commoda hostibus Fidei, tollere nolui, ne seruus nequam inuenirer. Adornaui propterea disput. pro Bulla, & ipsorum Argumenta destruxi Et doctissimo Cardinali Oregio dedi ad D. Papam. Quam Parisiis approbatam à duobus Doctor. Sorb. Prouincialibus Religiosorum pro defensione SS. Pontif. impressorib. do; rei Christianæ valde vt puto pro futuram.

F. THOMÆ CAMPANELLÆ ORD. PRÆD.

DISPVTATIO CONTRA MVRmurantes citrà & vltra montes, in Bullas SS. Pontificum Sixti V. & VRB. VIII. aduersus Iudiciarios editas. Item contra ignoranter vel astutè ad vtilitatem Hostium astruentes, non licere nobis post Bullas scribere ne dum pro, sed nec contra diuinaculos: Aut ad sensum Fausti Manichæi interpretantes, nobis prohibitum per illas esse, quod fecerunt Hagiographi & Doctores, & nos in Antachitophellismo, in posterum argumenta ad hominem contra Aduersarios, etiam pro Fide Catholica, ex artibus ac verbis diuinaculorum ipsorum conficere, & producere.

PARISIIS;
Apud TVSSANVM DVBRAY, viâ Iacobæâ, sub Spicis Maturis.

M. DC. XXXVI.

APPROBATIO SORBONICA.

NOS infraſcripti S. Theologiæ Profeſſores Sorbonici approbamus libellum inſcriptum, F. Thomæ Campanellæ Ordinis Prædicatorum Diſputaio contra murmurantes citra & vltra montes in Bullam S S. Pontificum Sixti quinti & Vrbani Octaui aduerſus iudiciarios. In qua nihil à Fide & bonis moribus alienum reperimus. Die vndecima Decembris 1635. Pariſiis apud S. Iacobum.

F. Ant. Mallet Cong. Gall. Ord. F F. Præd. Vicari Generalis.

F. Du Feu Miniſter Prouincialis Prouinciæ Franciæ.

DISPVTATIO,

AN BVLLÆ SS. PONTIFICVM Sixti V. & Vrbani VIII. contra iudiciarios, calumniam in aliquo patiantur.

VIDETVR, quòd sic. Primò Astrologia est vna de scientiis vtilibus vt Hieron. in prologo Bibliorum asserit. Omnis autem scientia est splendor diuinæ sapientiæ, qui est Christus. Ergo qui Astrologiam tollit, repugnat Christo. Arg. 1. pro Astrol. ex eo quod est scientia vtilis.

Omnis scientia aut procedit ex causis, aut ab effectibus, aut à signis, positis à Natura, vel à Deo, vt in P. P. Metaph. ostendimus. Astrologia autem demonstrat a causis: quoniam corpora cælestia agunt in Mundum inferiorem tanquam causæ vniuersales temporum, & temporalium, sicut experientia docet, & Arist. & Plato, & Stoici, & Pythagoræi, omnésque Philosophi, & Nationes contestantur. Imò S. Thom. in 3. cont. Gent. & Fer. ibi contra Picum hostem Astrologorum disputans, particularitates etiam effectuum à cælis per modificationem mutuam luminum, ex ipsorum actione, ac situum, & motuum varietate, accersunt: innotescunt etiam causationes eorum ab effectibus, quos oppositiones, coniunctiones, aliique aspectus siderum, eclipses, & Cometæ adducere solent. Item à signo: dicente Mose. Fecit luminaria, & stellas, vt sint in signa, & tempora, & dies, & annos. Multa etiam diuinant Astrologi non modò de naturalibus euentibus. sed etiam de arbitrariis, vt docet D. Thom. 3. Cont. Sent. concedit & fortunatos, & infortunatos à Cælo, & Christus dat signa in sole, & Luna, & stellis, & in Iride, & Cometis; & Beda multas historias veritatis huius adduxit, & prognostica. Ergo qui Astrologiam euertit, omnem tollit Philoso-

Arg. 2. ex eo quod procedit ex causis.

Ab effectibus.

A signo.

pro scientiis fundatis in Astrol.

phiam, & omne argumentum; & ſcientiarum profeſſores annumerat hariolis, Aruſpicibus. Item cum Chiromantia, Hydromantia, Geomantia, Pyromantia, & Metoposcopia, & Phyſionomia Fundentur in Aſtrologia; videntur habere Fundamentum demonſtrationis, ſaltem à ſigno; ergò concedi debent. Ecquid dicemus de omine approbato in Gedeone, & Ionatha, & de Sibilo, & pruritu aurium vera nuntiante quaſi ſemper; & de ſomniis probatis in Ioſepho, & Pharaone, & Nabucodonoſor? Imò totum genus humanum iis vtitur ſignis; ergo non rectè vetantur.

Arg. 3. Quod Bulla magis Aſtrologos infectatur quam hæreticos.

Bulla hæc magis infectatur Aſtrologos, quàm hæreticos, & ſchiſmaticos. Etenim excommunicat, aufert bona omnia, applicatque fiſco, pœnaque capitali etiam in prima vice punit Aſtrologos: Quod hæreticis non fit; vndè videtur magis ſuæ tranquillitati, & conſanguineorum conſulere, & ſub majori cautela, pœnaque quàm Fidei, diuinoque cultui.

Arg. 4. ex Auctoritate Magorum in Chriſti natiuitatem iudiciariam exercẽtium ex Chriſtianos Aſtrologos.

Præterea multo plus agunt ſtellæ in hominis puri natiuitatem, quàm in Chriſti, qui & Deus eſt natiuitate. Sed in Chriſti natiuitate dicunt Magi (procul dubio Aſtrologi, prout SS. Leo Auguſt. volunt, & Calcidicus, & Plinius) vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus &c. ergo eius natiuitatis prius fecere iudicium; ergo multò magis poſſumus & nos de aliorum genituris iudicium facere. Et quidem Albumaſſar, Ciccus Aſculanus, Petrus de Aliaco Cardinalis, & Hier. Cardanus, imò & Alb. Magnus, Chriſti natiuitatis ſchema & prognoſticum fecere; faciuntque ſtellas cauſas naturalium in illo, ſupernaturalium verò ſigna, cum proteſtatione, & cautela loquentes ipſorum aliqui. Quantò magis ergò & aliorum.

Arg. 5. quoniam omnes ſcholaſtici admittunt fortunã & infortuniũ à cœlo; & futurorum contingentium de & liberorum euentuum coniecturas. idem concedit Concil. Trid.

Ampliùs non modò Bullæ Sixti V. & Vrbani VIII. prohibent prognoſtica de futuris cum certitudine pronunciata, ſed etiam per incertitudinem, & ſuſpicionem; quod eſt contra ſcholaſticos omnes, qui nimirum coniecturas de futuris dant etiam moralibus. Imò S. Thom. in 3. Conſent. & P. P. & 22. admittit, benè naſci aliquos ſecundũ cælum, & aliquos malè, & fortunatos, & infortunatos, ideóque quoſdam inclinari ad deliberandum cælitus; quando illis prodeſt; quoſdam quando obeſt. Idem tuetur Caiet. & Fer. porrò & Concil. Trid. Reg. 9. damnat eos dumtaxat, qui de futuris contingentibus, & de arbitrariis aliquid pro certo affirmare audent. Sixtus autem, & Vrb. etiam eos, qui non pro certò.

Arg. 6. contra Bullas prohibentes etiã Argumentari contra Aſtrologos, nedum pro Aſtrologis iuxta dictum Mag. 5. P.

Amplius per Bullam Vrbani 8. nec improbando poteſt quis prognoſtica facere, dicere, retinere. Vndè ſequitur, quòd non poſſumus (inquit P. M. S. P.) amplius reprobare dicta Aſtrologorum: nec nominare eos, neque cœleſtia ſpectare corpora; deque eis loqui; cuius contrarium omnes Patres, & Scholaſtici omnes fecerunt. Ergò (inquam) multò minùs licebit, Mahometis, & Lutheri verba recitare

citare, confutareque. Nec ergò Atheorum, ſicut nos fecimus: Contrarium autem iubet Concil. Lateranen. ſub Leone X. ſeſſ. 8.

Arg. 7. quia tollũr locum argumẽtãdi ex conceſſis & dictis Aduerſariorum Aſtrologorum & ligant manus militum Eccleſiæ.

Præterea tollitur nobis Locus Theologicus, quo ex dictis Aduerſariorum Patres Aduerſarios confutauerunt, vtque Canus ait, Goliam ſuo gladio confodere non poterimus. Aduerſarij autem poterunt de facto hariolari, Vaticinari, Aſtrologari, Augurari contrà Fidem Catholicam; nos autem neque de iure, neque de facto poſſumus reſpondere. Quoniam nec improbando Aſtrologos, & diuinaculos poſſumus de Aſtrologicis loqui (vt dicit P. M. S. P. à mè conſultus; vultque deleri quicquid contra Aſtrologos diximus.) Ergo (inquã) & quæ diximus cõtrà ſortilegos, & Aruſpices, & zingaros, & augures, & Pyromantos, & Geomantos, omnes enim horum diuinationes vetantur in Bulla, ne fiant, nec teneantur, etiam improbando eas verbo, vel ſcripto Ergo hæc Bulla ligat manus militum Eccleſiæ Chriſti; & ſoluit, armatque manus militum Diaboli. Quod non modò impium contra ius naturale, & diuinum, ſed etiam ridiculum eſſet.

Arg. 8. quoniam Bullæ conſentiunt Fauſto manicheo increpãti Moſen, & Mattheum vtentes Aſtrologiſmo ad defenſionem legis diuinæ, & confuſionem gentilũ Aſtronomantiæ deditorum.

Item oportebit illud delere, quod Num. 24. regiſtrat Moſes, vaticinium de ſtella Iacob, & de regnorum mutationibus, factum à Balaam Ariolo. Item quod dicit Matth. 2. de ſtella ductrice Magorum Aſtrologorum, ſicut Fauſtus Manichęus accuſat Matthęum quaſi genethliacum, teſte Auguſt. Lib. 2. contra Fauſtum; & quidquid ſcripſit S. Clemens Romanus, cum Aſtrologiſmum recitat, & confutat; & quæ ſcripſit Tertullianus contra Aſtrologos, vitam, & mortem Chriſti ſtellis adſcribentes; & S. Auguſt. Tract. 304. in Ioann. Abſit, vt ſidera mori facerent ſiderum conditorem: & quæ Cyrillus contra Iulianum, leges Dei, & mores ſideribus tribuentem; & quidquid D. Thom. in 2. 2. & 3. Cont. Gent & Dionys. Carthus. in lib. de ſuperſt. Et Delrius in ſex libris diſquiſit. Magicarũ; & quidquid nos in lib. contra Atheos, Aſtrologia vtentes contra Catholicam fidem; de lendum eſt, vt iubet P. M. ſecundum hanc Bullam, ſic ab eo interpretatam.

Arg. 1. pro Bullis Quòd iſtæ Bullæ de neceſſitate ſalutis ſunt acceptandæ. Quod 2. Bullæ, ſanxerunt iuxta ſacras Scripturas contra Aſtrologos & diuinaculos.

Sed contra eſt autoritas Chriſti Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit.* Qui ergo non audit Vicarium Chriſti, nos à diuinaculorum erroribus abſterrentem, non audit Chriſtum Dei ſapientiam, qui etiam dixit Iſaiæ 44. *irrita facio ſigna diuinorum, & Ariolos in furorem verto.* & 47. ad Babylonem matrem Aſtrologorum: *Stent, & ſaluent te augures cæli, qui contemplabantur ſidera, & ſupputabant menſes, annuncient futura tibi,* & Hier. 10. *Aſignis cæli nolite metuere.* Item leuet. 19. omnes vetat diuinationes, Pythonum, Ariolorum, Aruſpicum, Chaldeorum &c. & in Concil. Trident. Geomantiam, hydromantiam, Aëromantiam, Pyromantiam, Aſtrologiam iudiciariam Chyromantiam, Metapoſcopiam &c. idem in ſacris Canonibus apud Grat.

Quòd Astrologia & artes in Bullis damnatæ non sunt scientiæ in quo damnantur.

& in Conc. Ancyr. & Brac. 1. Præterea (vt demonstratum est in logica, & in Metaph.) Nulla scientia datur, quæ non procedit à causis per se, & necessariis, aut effectibus per se necessariis, adæquatisque: aut à signis necessariis, positis à Natura, vel à Deo. At omnes artes prohibitæ in hisce Bullis procedunt ex non causis, ex non effectibus, & ex non signis, nisi per accidens; consequens est, vt non sint scientiæ, quarum inuentrix est Studiositas, sed artes nugatoriæ, quarum est curiositas. Nugatoriis autem admiscentur non modò falsitas, sed etiam Dæmon ex pacto expresso, vel tacito, vt omnes Theologi docent: ergò sunt iure, & vtiliter vetitæ. Porrò vt Astrologiam, in qua fundantur pleræque ritè, damnes; considera, quòd in Philosophia demonstratum est, quòd cælestia corpora agunt in inferiorem Mundum Physicè, & per se solùm passiones Physicas, 1. calefaciunt, illustrant, mouent, exsiccant, humectant sicut è contra tellus frigefacit, opacat, grauat, exsiccat; & quodlibet corpus iuxta agentis formæ suæ naturam. Ad has cæli passiones, & terræ repassiones, & reactiones sequuntur pluuiæ, serenitates, turbationes elementorum, penuria, & abundantia, & formationes indiuiduorum à cælo, & terra: (quorum appetitus, conatusque est solùm sese amplificare, & contrarium destruere, & facere ignis ignem, & tellus tellurem) per se non intentæ, nec volitæ, nec factæ, nisi per accidens. Ad ideam vero primi motoris, & intentionem, per se principaliter: secundario verò etiam ad intentionem, & ideam secundorum Motorum, discipulorum primi. Nesciunt enim elementa formare animal, & Rosam &c. sed opus naturæ est intelligentiæ non errantis, vt omnes philosophi meliores fatentur, etiam Galenus legislatorū spretor; sicut ad actiones ignis, & mallei, & limæ, & incudis, per accidens oritur Clauis, & horologium; per se autem primò ad ideam artificis Ferrarij; secundariò ad ideam discipulorum suorum collaborantium, vt Boëtius, Aguſt. Origen. Hieron. Thom. considerant. Angeli enim agunt mouendo ad formam corpora cælestia, & elementa, vt Agricolæ ad plantarum, & segetum generationem, & augmentum, mouent aquam, & terram: quemadmodum probat Auguſt. 3. de Trinit. & super Gen. & D. Thom. 2. cont. Gent. non autem imprimendo formas, nisi vt Artifex, nec alterando, sed applicando alterantia passiuis congruenter. Hominis autem Anima non est à cælo, nec ab Angelis, nec ab elementis, sed à Deo infinito: quippè quæ excedit elementa, & cælum absque mensura in potendo, in intelligendo, & appetendo supra infinitos ferè mundos, vt probatum est in cap. 1. quoniam infiniti Dei spiraculum est, vt dicitur Genes. 1. Vegetalis autem, & sensitiua est ab elementis, quibus imperat Deus *Germinet terra herbam virentem. Producant aqua reptile anima viuentis*, &c. *producat terra animam viuentem*

Quod celestia agũt solum Physicè & non moraliter nec supernaturalia.

Propterea ex eis nõ possunt prædici effectus nisi Physici, per se, & generatim non autem specialim.

Res naturales non sunt intentæ à celestibus corporibus quæ sunt instrumẽta intelligentiarũ, sed ab intelligẽtiis vt discipulis & ministris; à Deo vt Autore præceptore.

Angeli non dant formas nisi agricolando.

Mens humana non est subdita cælo, nisi indirectè per accidẽs sed excedit infinitos cœlos.

Sensualis & vegetalis subditur cęlo, quoniam ex Elementatione nascũtur.

in genere suo, iumenta, & reptilia &c. vbi Caiet. Basil. Athanas. Nyss. & cuncti Patres allegati in defensione libri de sensu Rerum, dicunt, ex suo naturali sensu elementa producere animas, non ex nihilo, nec à Deo sicut spiraculum vitę hominis; idemque prorsus docet Arist. 3. de Gen. An. cap. 11. *Generantur*, (inquiens) *in putrefactis animalia: quoniam est in terra humor, in humore Spiritus, in Spiritu calor, vt quodammodo omnia animæ sint plena*, &c. idem Auerr. in commento ponit tria elementa animastica; & Hipp. & Galen. calorem, vt ille. longè ergo superioris ordinis, & suprà cælum est Mens humana. Igitur nec cælum in Mentem agit, nisi per accidens, dum alterat corpus, & corporatam vegetatiuam, sensúmque in intellectum verò indirectè, ait S. Thom. quatenus in ipsius circa corpus, & sensus operationes, Ergo cum morales actiones dependeant elicitiuè per se à libero animi Arbitrio: à Deo motiuè, & ab Angelis, & præceptoribus suggestiuè: & à cælo solùm dispositiuè, indirectè, & per accidens: de ente autem per accidens non datur scientia, vt quòd fossor inueniat Thesaurum, aut Colubrum non intendit, nec scit: accidit enim hoc fossioni: sed excauatio in est per se. Probat enim rectè Arist. in 6. Met. & cum eo Alb. D. Tho. Alen. Themist. Auerr. & ipsi Athei, & Plato in Thæet. & in Sophista, quòd non datur scientia de ente per accidens: nos autem ostendimus, quod & si datur sciētia de ente per accidens, non tamē pręscientia. Consequés est, vt argumentatio solùm de physicis euentibus ex cælo per se, & vniuersaliter, quòd nimirum in vere temperies, in æstate feruor; in hieme Frigus: in Autumno siccitas: & quę ex his sequuntur, iræ, mæstitiæ; hilaritates, stupores, infirmitates, penuria, & abundantia, fieri possit: sed de primis effectibus generaliter per demonstrationem, vt quod in æstate fiat æstus: de secundis 5. penuria, hilaritate, morbo, ira, per coniecturalem tantummodò syllogismum. Nempè de futuris contingentibus, & sensualibus effectibus. At de moralibus, quòd videlicet bellum ex ira, & matrimonium ex hilaritate, nullo pacto. Cælum enim est causa per se, physicaque æstus, & siccitatis semper: iræ, & morbi per accidens plerúmque licet multis impedibilis modis, reluctationibusque. Moralium verò per accidens rarò, & indirectè. Et quidem palam est, quòd etiam calorem cæli sub frigido antro vitamus arbitrij libertate. Item sæpè à cælo mouemur ad operandum; & tamen alio inito voluntatis consilio, cessamus, vel diuersa operamur; & nautæ cæli pluuia per cussi, & viatores æstu, alij blasphemant, alij vouent. Quoniam passio cælestis iuxta recipientis naturam, & voluntatem alibi ad alium torquetur effectum. Animúsque liber ad moralem bonam, vel malam, virtuosam, aut vitiosam affectionem, & operationem spontè sua sese confert: occasionaliter enim à cęlo, &

Ergo actiones mētiū non pendēt à cælo. Deus agit in mentes motiuè Angelus ac præcepor suggestiuè Deus motiuè non tamen cogendo: cælum verò dispositiuè.

De rebus physicis à celo datur demōstratio: quoad vniuersalia qnoad particularitates, solum coniectura, & opinio.

De moralibus suspicio tantum quoniam per accidens sunt à cælo.

Liberū arb. potest vitare affectiones à cælo immissas, & euentus exteriores.

Mens mouetur à cælo & ab obiectis occasionaliter non causaliter nisi per accidens indirectè.

ab obiectis, nõ causaliter mouetur, vt in phys. ostẽdimus: Si autẽ cælũ per se causaliter moralia ageret, necessariò omnes blasphemarẽt, aut vouerẽt omnes, sicuti omnes calefiũt, & alterãtur. Propterea negandũ est, dari scientiã per cælestes causas de moralibus; omnis enim scientia procedit ex causis propriis per se necessariisque, vt probatur Pr. post. & in Thæet. supernaturalium verò cælum non est causa per se, nec per accidens, sed solum signum aliquando, vt probat Aug. Ser. de Epiph. *Aspexit* (inquiens) *Astrologus: obstupuit Magus: putauere. Fatum: sed fuit signum.* Et hoc edixit Christus. *Erunt signa in sole, & Luna, & stellis.* Quapropter Astrologia non est scientia, cum de moralibus, & voluntariis, & futuris contingentibus, impedibilibus per causas non præuisas, nec scibiles, cum de supernaturalibus tractat. Sed solùm de euentibus naturalibus, & corporeis, & quidem in his circa vniuersalia est demonstratiua: circa particularia physica, coniecturalis: in cæteris Sophistica, subdita deceptioni non modò Sophistarum, sed etiam Diabolorum vt probat August. in 5. de ciuit. Dei. Sapientissimus ergo Pontifex Zelo Dei, experientia &, doctrina multiplici munitus confidenter ait in Bulla. *Motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberationes &c. constitutionem Sixti V. confirmamus &c.* Triplici namque contra scientiæ quidditatem peccant Astrologi Paralogismo, vt patet in responsione sequenti.

Cælum nõ est causa supernaturaliũ per se nec per accidens, sed solum signum, quatenus à Deo elegatur ad signandũ.

Conclusio pro Bulla.

Ad 1. ergo Resp. quòd verè Hieron. numerat inter scientias Astronomiam, & Astrologiam; sed physicam quæ physica causatione de euentibus sibi propriis prædicit, vt de pluuiis, de ventis, de Maris, & plantarum passionibus: & hanc etiam summus Pontifex asserit esse scientiam, licèt circa particularia desciscat in coniecturalem, vt etiam Astrologi Ptol. Card. & Thyco conqueruntur; simul. n. pluit Romæ. & serenat in suburbio. Attamen concedit eam quò ad Agriculturam, Medicinam, & Nauigatoriam. At non physicam, seu superstitiosam vetat, quoniam de effectibus alienis syllogizat; quales sunt morales, & supernaturales; in his n. non procedit à causa, nec ab effectu per se, nec à signo posito à natura, nec à Deo; sed à signo humanitus posito & triplici paralogismo errat: Primò petitionis principii. 2. de per accidens ad per se 3. de non causa, aut non signo tanquam de causa, aut signo. Primò n. volunt sibi concedi, nulla scientifica ratione ab ipsis probata (imò discordia est inter eos) quæ supponunt de domibus, exaltationibus, Trigonis, directionibus, Aphetis, Apheticis locis, & viribus planetarum circa moralia, & supernaturalia. Item de Horoscopi acceptione & situ (vndé dependet fortunæ pars, & M. C. & tota figura) de quo adhuc certant, in quo S. Aug. conuincit Nigidium, qui, vt argumento de Geminorum vno horoscopo editorum, fortuna, & sexu non vna, vt par erat, responderet, rotam figuli velociter motam

Respõsio ad 1. quòd Astrologia prædicẽs effectus morales liberos & supernaturales, nõ est scientia sed Sophistica: sed solum est scientia circa effectus Physicos in cõmuni in part. verò est opinio.

Pontifices sancti cõcedunt Astrologiã physicam quatenus est scientia, & quatenus opinio 1. in Physicis pro Medicina Agricultura & Nauigatoria.

Quòd Astrologia sophismate triplici inuoluitur circa moralia & supernaturalia.

Horoscopũ esse imperceptibilem.

stillicidiis atramenti, continuatim fundendo, in longè dissitis rotæ partibus maculari ostendit. Quòd si in Geminorum tempore vno tanta varietas, imperceptibilisque, qui fiet, vt horoscopus aliorum secundùm artem notari queat? confugium ad Animodar vanum esse reperimus; ad accidentia vanius; possunt enim & aliis Aphetis, & Cometis, & ecclipsibus, & progressibus, & transitibus applicari, & vix ex mille vnum verificari contingit. Et quid de his, qui horoscopo carent, habitantes ad Arctos post 67. gradus latitudinis? alia adiicit Picus argumenta. 2. de moralibus, quorum cælum per accidens, vt à sensu fiunt: indirectè, & per accidens, vt ab intellectu, tanquam si per se esset causa, pronunciant, vt de qualitatibus animi, de matrimonio, de legibus, de opificio, de lucris, de hæreditate, de itineribus, de honoribus, & horum temporibus 3. dant pro causa id, quòd non est causa moralium, & supernaturalium (imò discordant de significatore horum, & promissore Astrologi valdè) Item pro signo quod nec signum, positum à Deo, vel à natura, sed à curiositate, arbitrioque humano: veluti sunt figuræ Geomantum, vocatæ, tristitia, lætitia, puer, via, populus, fortuna maior, & minor &c. quibus natu[illegible], ac cælum non correspondet, sed intelligentia, cui quæ ponimus signa, sunt quasi ciphra, aut literatura, non cognoscibilis, nisi à scientibus illam: & propterea cum sæpe malè quæramus, aut mala, aut ad malum, necessariò ex pacto, & condicto expresso, vel tacito, mala intelligentia, cuius fallacijs nos exponimus, respondet regendo puncta, & figurationes in Geomantia; vapores, & flammulas in Aëromantia; plumbi, & ceræ configurationes in hydromantia: sicuti August. & Thom. & Bulla Sixti V. & ratio naturalis edocent. Nam etsi dicat diuinaculus, se nolle à Diabolo responsum, sed ab Angelo, & protestetur: cum tamen procedit ex non causis pro causis, & ex non signis pro signis, nugaciter operatur, & à Nugatore illudi interpretatiuè saltem vult. Nemo enim fornicans, vult facere contra legem Dei, & si signo crucis se muniat; facit tamen, peccatque.

Sophisma primum est ex nō causa pro causa in Astrol. in artibus verò ex Astrol. pendentibus ex nō signo pro signo proceditur.

Ad 2. verè cælestia agunt physicè generaliter & particulariter: sed non moraliter, nec supernaturaliter, quoniam à Deo eleuantur ad hanc causationem præter cursum naturæ: & propterea Ariolis, & Aruspicibus, cum physiologismum excedunt, Astrologi associantur: sicuti & medici maleficis cum pharmacias superstitiosas, & amuleta vana. 1. vim non habentia in id quod pollicentur applicant. Nec D. Thom. nec Commentator suus aliter loquitur: licet enim dispositiuè ad mores accersiant cælum temperamenti causa, non autem ad actus virtuosos, vitiososque, quorum Anima est causa elicitiua semper, cælum vix occasionaliter, & non semper, nec per se; & cum D. August. ait. Afflatus valere fidereos, explicat

Respondendum est vt supra quod non procedit ex causis nec ex signis in moralibus actibus sed solùm ex causâ dispositiua tantùm quoad inclinationes morales.

se in V. de Ciuit. Dei cap. 6. quoad differentias corporum: D. Thom. intelligit quoad temperamenta, quæ dispositiuè valent ad mores, quidquid Galenus dicat eo in libello, quem attitulauit, *Quod mores animæ corporis temperaturam sequuntur.* Videmus enim libidinosos, & iratos sese continere à venere, & vindicta, & rectiùs dixit Horatius.

Inuidus, iracundus, iners, vinosus, amator:
Nemo adeo ferus est, vt non mitescere possit.
Dummodo cultura patientem commodet aurem.

Et cur? quoniam liber est erga moralia, etiam si aliter disponat cælum: & cum D. Thom. ait, quòd à cælo habemus quasdam efficacitates felices indiuiduales, vt miles in pugnãdo, Agricola in serendo, Medicus in medicando: Meminisse oportet, quod hi non sunt actus morales, liberique, sed dispositiones prouidentiæ circa indiuidua ad fortunandum, vel è contra; sicuti nec dispositiones temperamentorũ ad mores, sunt actus morales. Neque enim meremur, aut demeremur. Sacri autè Pontifices loquuntur de arbitrariis, quorum principium est in nobis elicitiuum: à Deo motiuè ab Angelo suggestiuè, à cælo, & temperamento solùm dispositiuè in radice: in executione occasionaliter, & per accidens ratò, vt dictum est. At cùm de voluntariis verum enunciant Astrologi: aliquãdo casu accidit, Deo permittente, vt iis, qui sortes jaciunt, euenit, & zingaris: Aliquando ex fœdere expresso, vel tacito cum dæmonibus (vt Aug. ait 7. Confess. & 5. de ciuit. c. 7. & in Genes. 17.) mouentibus imaginationem. Aliquando ex morali prudentia, quam etiam Cardan. in Astrologo desiderat. Ex parentum enim & Reip. conditionibus, & professione, & inclinationibus benè coniectuant: Item ex physionomia, & temperamento. Aliquãdo ex credulitate interrogantium, qui timore prognosticorum perculsi patiuntur quod timent, quando timent: aut fiducia elati aggrediuntur sedulò, quod sperant; sic Guido Bonattus, teste Caiet. capta hora victoriæ promissæ per astra, milites extra portam spe elatos eduxit, reduxitque victores; idem fecit Agatocles ex Lunæ eclipsi Carthaginem nauigando &c. Similiter cum D. Thom. ait; Astrologos etiam de arbitrariis verum prædicere (quoniam plerique sensum subditum stellis, potiùs quàm rationem liberam sequuntur) doctè loquitur sed nemo potest scire, quando sequetur sensum homo, & quando rationem. Quòd si per impossibile dicatur sciri: tunc nescimus qua via, & modo, & qua actionis modificatione ex accidentibus innumerabilibus possibili, operabitur; & quis finis, quæ media: aliasque circumstantias, & voluntatis motiua, quæ mille variant modis, quod nos vix vno præconcipimus. Ad 2. partem argumenti dicimus, quòd ab effectibus per se benè argumẽtamur. Videmus enim humores augeri aucta Luna, dicimusque causam esse lunæ blandum calorem humorum dilatatiuum. Et

Augustin. repetit à sideribus differentias corporum non fortunarũ & actus arbitrarios.

Quod mores sint liberi.

D. Thomas cælo efficacias dat ad fortunas indiuiduorum pro cunctis actionibus, non autem pro actibus moralibus efficiendis nisi dispositiuè. De arbitrariis actibus prognosticatur vera, vel casu vel dæmone, vel prudẽtia, vel aliorum credulitate auctoribus.

Licet aliquando homo spõte sequatur impulsum stellarum tamen astrologus nescit quã lo sequuturus est vel non est.

Ex effectibus physicis in astrol. argumentari, licet.

Et solem tempora anni facere: & caniculam turbare maria fluuios & Animalium spiritus, & humores, ab effectu discimus. At moralium, & supernaturalium, quæ per accidens fiunt, aut signantur à cælo, nulla est argumentatio verax Astrologorum. Ad 3. quod vocantur signa temporum, atque rerum respondet S. Thom. p. p. q. quod causę sunt etiam signa suorum effectuum, & effectus causarum. At purum signum dicitur cum non causat, nec causatur, sicut hyrundo veris, & sonus sacrificij; cęlum autem verè causat, vt probat D. Thom. & August. contra eos, qui signare tantùm volunt; idcircò Moses stellas ponit in signa eorum, quę causant: supernaturalium verò solùm signa, vt Christus docuit; de quibus in responso ad 4. redibit sermo. Si ergò Astronomantia tam vana est circa prędictionem moralium, & supernaturalium, quę tamen aliquam habent causationē apparenter: igitur Geomantia, & Hydromantia, & Aëromātia, Pyromantia, quæ ex meris signis procedunt non positis à Deo, neque à Natura, longè vaniores erunt. Et cum aiunt, puncta non arbitrario motu numerata, sed casu iactari oportere in Geomantia, vt manus motio non à voluntate, sed à cælo modificetur: & similiter liquefactio ceræ in aqua figuras sortiatur, quas cælum ordinat, aut Angelus: similiter aëris nubes obseruatæ, & motiones, colores, & stridores flammarum, cælo & Angelis committi, non hominis voluntati, sic talorum, & alearum puncta figuræque; propterea non esse artes diabolicas sed naturæ commissas, causisque latentibus, profectò nugaciter loquuntur. Cum enim signa ponuntur ab homine de non seriis interrogante, vel de illicitis, tunc cùm cęlū agat physicè sicut elemēta, nec intelligat interrogātis voluntatē, nec si intelligeret respondere teneretur, pręceptū à Deo ad hoc habens nullum: nec Deus nobis ita interrogare iusserit: consequens est, vt intelligentia, signorum perita, respondeat, ipsaque regulet motiones manus, & figuras aëris, & flammæ, & cęre: & cum sit diaboli officium fallere, nosque exercere, aut punire: qui his artibus vacat, à Diabolo vel interpretatiuè, etiam si contrarium protestetur, quærit veritatem. Quod siquis Atheus Angelos bonos, malosque, Deumque ipsum negans, casu responsa dari putet: tunc nec is potest diuinare, nisi casu, rarò, inaniter, & contra artem. Si verò quis dicat ex nostris, vt solent, à Dei prædeterminatione æterna responsum expectari, is consideret, Deum causas physicas, & morales nobis fecisse, & iuxta positum ordinem nos incedere oportere. Nunquam autem docuit nos, à causis occultis, vel à cęlo, perquirendas esse veritates, sed à solo Deo, vt dicit Isa. 8. Ergo tentat Deum, qui aliter facit, & subiicit se illusionibus, sicut Medicus, qui herbas non exploratæ virtutis vulneri applicat. Profectò si hic liceret interrogare, iactus lapidis, & fabarum, & occursus canis, & quarumcunque rerum posset pro signo poni: & à Deo nunquam fallente,

In moralibus & supernaturalibus nequaquàm.

Cęlestia non sunt pura signa physica sed simul causæ.

Conclusio contra artes curiosas non scientificas.

Obiectio.

Artes curiosę exponuntur humano ludibrio etiamsi pretestetur se nolle eis commisceri.

Nec athei possunt è cælo dare quidpiam scientificum Resp.

Nec prædeterminatores.

quouis posito signo quidquid volumus præsciremus; quod cum non sit, & falli nos sæpissimè videamus: consequens, vt istæ artes non minùs fallaces sint, quàm diuinatio ex fabis, lapillis, versibus Virgilij, pruritu aurium, & latratu canum, & motu soricum, & serpentium & stellionis, cui Iaponenses propter hoc templum fecere. De Gedeonis omine, Ionathæ, non est argumentum stabile: ij. enim nutu Dei quæsierunt, sicut Iosue faciens sortes; vel si peccauerunt venialiter, aut mortaliter: multò minùs. Nam & Saul quærens à mortuis responsum, quod Diaboli dant, responsum habet à Deo; & oracula Dæmonum Dei iussu, veracia fiunt, & Ezech. 14. promittit Deus ruinam, & mendacium etiam iis, qui à veris prophetis sordido animo exquirunt responsa. Quapropter vanissima coniectura est ex his ad omnes illicitas, & nugatorias prędictiones per signa non data diuinitus, nec naturaliter.

Sortes diuinatoriæ cur damnantur, non autem diuisoriæ & consultoriæ.

De sortibus autem idem est, cum sint diuinatorię, cum autem diuisorię, & consultoriæ, nequaquam; siquidem vel in bonum, vel in malum quærentis cadat sors ministrata ab Angelo, siuè bono, siuè malo; non sequitur ex hoc damnum conscientię, nec pactum tacitum cum Diabolo; sic etiam talorum iactus, & alearum ludus dat pecunias vni, & aufert alteri ex prescripto Dei æterno, absque fœdere cum demonibus. Nec pati, aut lucrari à Demone, exequente Dei prouidentiam, est malum: alioquin & Iob malus, & Moses malus; sed ex pacto tacito, aut expresso quippiam tentare, vt dictum est. Nec Chiromantię & Metaposcopię dediti somniorúmque interpretationibus, quales Tricasius, Coruus, Gesnerus, Cardanus, Artimedorus, propterea, excusantur, quod signa obseruant posita à Deo, & natura, vt aiunt. Sic enim non peccarent: sed peccant, quoniam signa illa extendunt per astrologiam ad effectus, quorum non sunt signa. Quis enim lineas frontis, & monticulos manus septem planetis, autore Deo, vel natura dedicauit? Quis docuit ex planetis diuinationes eas componere? Habent quidem significationem physicam roboris, debilitatis temperaturę, & passionum animę: ex quibus per accidens sequitur fortunatio, & infortunia: non autem puto de futuris euentibus, & actibus, nisi Deus nos doceat, qui nihil frustra facit, ergo nec has lineas; puderet enim me puncta, & caractetes nulli vsui seruientes, hoc in scripto ponere; ergo Deus significat aliquid, cum lineas, nęuosque facit; Diabolus enim opera naturę non ingreditur; sed peccant diuinaculi extendendo significationem extra limites. Similiter Medici ex somnis prognostica rectè faciunt, de humoribus, & natura morbi: lęta enim sanguinem, & vires bonas nunciant, tristia choleram, & bilem atram, & mala quę ex his. Aquarum visio pituitam, &c. At cum extendunt, somnia ad morales euentus, contingit falli: possunt enim à Deo, ab Angelo, & à Diabolo phantasma-

Cur peccant chiromantiæ dediti.

Item aliquando Medici & somniatores.

ta

ta configurari ad certas visiones futurorum: quod nobis ignotum; & ideo quamuis Ioseph, Nabucod. & Pharao somniauerunt Prophetice, non est vulgo licentia concedenda. Idem enim Moses, qui hæc narrat, dicit posteà: *Non obseruabitis somnia.* Glossa ait, *vana, & superstitiosa:* non autem naturalia, & à Deo immissa: quæ non nouit, nisi qui donum discretionis spirituum à Deo habet; cæteri sileant. Quod si totum genus humanum diuinationi studet: haud propterea vera omnis, nisi physica, & quæ à Deo. Totum quoque genus humanum libidinosè peccat, loquitur imprudenter & omnis homo mendax; haud propterea bonum est mendacium, & imprudentia. In his quæ secundùm naturam, non quæ contra naturam animalem, vel rationalem, valet à Toto ad partes argumentatio rationalis. Signum iridis datum ab Autore naturæ pro serenitate, nec dum ad superstitiones extensum est. Ideo nulla prohibitio, vt in chiromantia. At ex maculis albis, nigrisque vngues inter innascentibus, nequaquam licet cum Cardano, nobis bonos, malosque euentus prædicere moraliter secundùm significationem digitis singulis curiosè attributam; licèt enim Diabolus non ingrediatur naturæ opus in constituendo, has tamen maculas facere potest, puta, humores ibi alterando, cum enim nigra nascitur macula sentitur incisio quædam in vngularum intimo; propterea dubito, ne sic etiam Demon fallat. Hoc præterea notandum, quòd non solum de somniis, sed etiam de quacunque re potest homo cifram facere: & accidet illi diuinatio congruens. Græcis enim pruritus dextri oculi, bonum; sinistri malum portendebat: Latinis è contra. Artemidorus videre auru reputabat bonu: pecuniã æream malũ. Sed siquis è cõtrario statuat sibi, quod auri somniũ index mali sit, ita veniet; similiter de ominibus, & Auguriis quacũque in re signatis ad libitum, accidit. Ex quo illicò inferre licet, quòd hoc statutũ sit quædam cifra cum Anima Mundi respondente vel cum Angelis, vel cum Deo; sed cum ad mala Deus, & nugacia non concurrat nostræ voluntatis ad libitum, nec Anima Mundi sit, nisi Magnus Angelus aliorum dux, assistens, malis bonisque imperans: nec si sit, nugatoriis ad nostrum libitum immisceatur: consequens est, vt cifra hæc sit ad Angelos bonos, & malos, & valdè periculosa, cum verax inuenitur: allicit enim ad maiora, donec ruamus, vt & Augustin. aduertit. Non ergo diuinationes istæ natura constãt, sed vana curiositate, ludibrioque Ad 3. respõdens S. Thomas, Multa, ait, prohibẽtur, quia falsa, multa quia periculosa. At S. Põtifex vtraque de causa prohibet prognostica de vita, & morte Pontificũ & de statu Ecclesiæ, nõ sui gratia atq; suorũ, sed Reip. Nemo enim ignorat, quot turbationes anno præterito ex vaniloquio Astrologorum, & dicteriis superstitiosorum prognosticantium de vita Pontificis, & de statu Ecclesiæ, parabantur; & quot animi erecti, depressi, & quot noua molien-

Arg. à toto genere humano in causis etiam naturalibus non valet ad dogma morale seruandum sed cauendũ.

Ciphra artium curiosarum non constat natura, sed arte fallaci quando ab intelligẽte causâ expectatur euentus & Responsio Ergo &c.

Artes diuinationis sophisticæ non modo prohibẽtur qui à falsæ sed etiam quia periculosæ.

tes, & meditantes & quod principes sacri Romam adiuere propter hoc & quomodo proceres malè affecti solent, falsis etiam prophetiis vtentes, animos vulgi mouere, & seditiones, & bella excitare, & schismata. Astrologismo vsus Arbactes, & Belochus, Regnum Sardanapalo abstulerunt. Exempla alia & quid Emilianus & Agatocles, & Drusus eclipsis occasione fecerunt taceo. Punitur sane magis in politica id, quod magis Reip. nocet, sicut venditur pluris equus, quàm seruus homo: vt D. Thom. & Arist. notarunt, non qui plus peccat regulariter, vt Monetarum Falsator, plusquàm latro, & homicida, lex enim politica non conscientias, sed Reip. damna inspectat. Deus autem plus puniet ingratum, & auarum, & fornicatorem, & inuidum, forsan, quàm monetarium. Non ergò sibi, & familiæ consuluit D. Papa, cum sic tutus iam, fallacibus prædictionibus Astronomantiæ euanescentibus, & directionum tempore elapso; sed communi bono, quod ex fallaci opinione de futurorum Pontificum morte, & suorum mutatione, perditum it, vacillantibus Senatus, & Principum animis, nouaque aggredi cogitantibus. Hoc tempore Rex Suecie Thyconis Astrologismo deceptus putauit se Religionem & imperium mutaturum. Aggressus fecit: at corruit ante quã perficeret: & tamen ex cometa deceptio minor. Item in Symbol. Ricar. ponitur Ecclesiæ totius mutatio in anno 32. ex diuinaculis & euanuit præd. sunt ergo pernicioſæ ad concitandum Reges & populos.

Resp. magis punit eos qui magis obsũt bono publico Deus eos qui magis peccant simpliciter in Dei legem æternã.

Stella in Christi natiuitate non fuit naturalis sicuti nec conceptio, nec natiuitas, sed diuina ex virtute & Angel. ministerio.

Ad 4. Natiuitas, & conceptio Christi fuit supernaturalis, & stellæ non causauerunt in eis, sed ministrarunt & significauerunt: nec fuit stella ordinaria, sed nouiter facta; & ante bis mille annos vaticinio Balami prædicta. Num. 24. vt D. Hier. Greg. Ambr. & Orig. adnotauerunt; Nec vnus de Cometis, Cæli motum sectantibus, quemadmodum fuit noua stella sub Thycone anno 1572. quæ mensibus 14. fulsit in eodem asterismo Cassiopeæ perseuerans: Et quæ anno 1603. in Cigno; & quæ sub Hipparcho annis 120. ante Christi aduẽtũ. Næc quales nostro tẽpore anno 1608. in leone, & 1618. ex coruo per craterem, & hydrã vtque ad feram extensa & altera mox ad lacem libræ boreale sed qualis vbi Ierusalẽ effigiẽ ensis gerẽs excidiũ Iudæorũ portendens fixus immotusque Angelorum ministerio sub Tito, teste Iosepho, apparuit. Sic stella Christi cæteris fulgẽtior, vt S. Leo inquit, prope terrã motu quodam rationali ferebatur ex coro in affricum, & cum in Ierusalem adduxisset Magos disparuit; & cum in Betlehem iterũ erga orientem iter arripiunt, cœpit apparere, ferrique, retrorsum donec veniret supra vbi erat puer: quoniam à rationali Angelo, vt Chrysost. aduertit, portabatur, quemadmodũ columna ignis ad viam populo Dei monstrandam sub Moyse præibat dum ambularent & stabat dum quiescerent & hoc poterat Fausto, Manichæo suadere, quod Matth. non loquitur, vt Astronomantus sed vt spiritus Dei scriba; ad cuius nutũ stellæ, & omnia famulantur.

Nec ex hoc cõfirmat Astrologiã, sed Gẽtiles Astris deditos ipsorum met illecebris traxit: & cõuicit Autorem Astrorũ esse qui nascebatur sub nõ astro solito, vt S. Leo admonet similiter & in morte Chr. sol, & luna obscurãtur prẽter naturã, vt Dionys. & Apollophanes, & Phlegon notauerunt. Propterea non negem extraordinarias fieri apparitiones in cælo Dei nutu: vt in morte S. Thomæ cometes; & alij, quos Beda narrat in Magnis temporum articulis, indices nouitatum. Sed ex hoc non est trahendum argumentum pro stellarum præsidentia ad cunctorum hominum & bestiarum, & plantarum fortunas, & mores: sed solùm ad temperaturas mixtorum, & alterationes elementorũ; quorũ gratia conceditur Medicis temperamẽtũ considerantibus, non autem Genethiacis fortunam, & mores, & vitam, & mortem, quæ in manu Dei, vt sacræ literæ nos docent. Et quamuis liceat de infirmitatibus pronostica ferre: non tamen de morte, quam contingit multipliciter tardari post, & acceleratari ante tempus ab Astrologis statutum vt semper maximè autem hodierno tempore experientia testatur. Testatur etiã idẽ Astrologorũ dissidiũ. Aliter enim Caldæi, & Ægyptij, & Arabæ, & Scythæ, & Tartari, & Græci, & Latini statuunt Aphetas; aliter loca Aphetica; aliter & directiones Imo & vnum vitæ non omnes Aphetam ponunt eundem, nec alium: sed Dominis temporum, & genituræ & successionibus variis: nec quidquam certi est inter eos. Nec dum de his, qui diuersis sub Aphetis geniti moriũtur pariter in naufragio aut bello, aut peste sufficienter dedere rationem. Et quæ de Asclarctione Astrologo Domitiani, & Trasillo Neronis & altero Tiberi, affirmatur in sui ipsorum defensionem, diabolicis technis tribui verùs possunt mendaciisque hominum: Etenim quæ constanter omnes Europæi ferè Genethliaci de S. Pontifice enunciauerunt vno ore propter directiones mortiferas & progressus, & alia adminicula, me semper contradicente, quippe qui & artis vanitatem prænoueram & eos in consulẽdis causis omnibus ineptos videbã. Huius enim artis qui plus scit, minus credit, & qui minus plus. Nos certos facere possũt de fabulosis illorũ historiis: Propterea rectè Sixtus V. adducit Christi testimoniũ; non esse nostrum nosse tempora, vel momenta: 1. mutationum, & mortis, Macrocosmi, & Microcosmi. Non enim vigilaremus in bonis operibus nisi cum scimus instare horam; & in securitate positi nil appetitorum facinorũ non aggrederemur, & conscientiæ ergo & Reip. Deus prospexit, eiusque vicarius cum de mortis tempore pronosticum abstulerunt. Non ergo Magi prognostico de Christi natiuitate fecerunt, sed stellam promissam obtemperãt, & quod ante aduentũ Christi cõcedebatur ait Tertul. & Aug. post non conceditur veraciora eductis, & Deum verum consulturis ex 8. Isaiæ. Nec opusculum illud est B. Alb. Magni, vt phrasis, & alij ante me notauerunt. Ciccus autem, Cardanus, Albumas, Aliacensis, sibi inui-

Moses & Matth. Gentiles & Astrologos conuincunt ad fidẽ Dei per Astrologiam̃ super naturæ ordinem vt intelligerent. Nationes legem Mosis & Christi esse ab autore Astrorũ: si autẽ fuisset stella naturalis vt quæ stellas repere homines & non stellarũ autorem suspicari potuissent. Quod magorum oratio confirmat; dum autorem naturæ venerãtur ostensum à stellis non datum à stellis.

Quid dehis, quorũ prognostica comprobauit euentus.

Omnes Astrologi Hispani, Galli, Romani & Neapolitani anno 1630. mortem pontificis affirmabãt. Et Autor solus verbis & scriptis contradicebat Cuius contradictionis testes sũt Domini Colum. D. Cera Præfectus Cub. p. & comes C. V. & tota Roma.

cem contrariant in Horoscopo, & iudicio Geneſis Chriſti; & futiliter argumentantur de eius diuinitate, lege, & morte: Nec enim vulgaris hominis excedit ſtatum ab ipſis delineata figura: & tunc temporis alij nati ſunt ſub eodem trigono, & polo, & capite Arietis ſtellati & non ſtellati Cardine, ſub Sole Apheta, qui nõ fuit in Chriſti Geneſi, ſed ſub terrâ; nec minimum quidpiam ſimilitudinis cum Chriſto habuerunt, licet cælum probos multos tunc promitteret phyſicè tantùm & occultè: & multis meliora portenderet quàm Chriſto.

Abſtulit Sixtus V. coniecturas Aſtrologicas conceſſas in Sap. 8. & Conc. Tr. & à Scholaſticis, non falſi-aribus modò, ſed p riculis proſpiciens, vt princeps.

Ad 5. Reuerà Sixtus V. omnes diuinatores, qui de futuris contingẽtibus fortuitiſque caſibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus, aliquid euenturum affirmare audent, etiam ſi id non ſe. certò affirmare aſſerant, aut proteſtẽtur, damnat: Conceſſum quidem à ſcholaſticis, & à Canone. Trid. non damnatum: Quoniam Sixtus non modò falſitatem tanquam Theologus doctus, ſed periculum, quod ſuboritur tanquam Princeps prudens, conſideravit. Dicẽtes enim Aſtrologi ſe coniecturaliter loqui, palliant certitudinem, quam putant ſe habere. Vel. in mentibus credulorum poſſunt imprimere. Non enim falsã modò (aiunt S. Th. & Caiet de ſomniis loquentes) vetantur ſed etiam periculoſa vt geſtare gladios ſicut Archibuciettos nec damnat S. Pontifex quæ dicunt Theo'og & quod

Nec conceſſas in lib. Sap. 8. & in Conc. Trid. negat, ſed periculis prouidet.

„ ſap. 8. dicitur de ſcientiis etiam acquiſitis. Et ſi multitudinẽ ſcientiæ
„ deſiderat quis, ſcit præterita, & de futuris æſtimat; ſcit verſutias ſer-
„ monum, & diſſolutiones argumentorum, ſigna, & monſtra ſcit an-
„ tequam fiant, & euentus temporum, & ſæculorum &c. Nec quæ
„ dicit S. Thom: Non enim coniectura de futuris, ſeu exiſtimatio vetatur. Nec præſcientia aſtronomica eclipſium, & portentorum, & ſæculorum. Neq; negat S. Pontifex, quod inclinamur ad operandum, & eligendum à cælo: cum enim æſtuat eligimus vmbras: cum pluit tectum: cum vernat venerem homo, & plantæ, & animalia appetunt: At particulares inclinationes, vel ignoramus, vel cum mouentur non ſectamur. Etenim & nautæ contra procellas nauigant. Fortunantur etiam à cælo diſpoſitiuè in moralibus homines, vt dicit S. Thom. ſed cùm diſponimur ex paſſionibus Phyſicis ad morales electiones, reluctari ſæpè ſolemus: vt qui viſu formoſæ Virginis perculſus ad venerem, abſtinet: multò magis, ſi caloris cœleſtis pruritu. At Aſtrologus hæc minutiſſima ſcire non poteſt, ait S. Auguſt. & tamen ſcire profitetur. Etenim etſi naturales diſpoſitiones nouit, quas tamen meliùs nouit Medicus; non tamen extemporales, & repentinas vtriſque occultas. Nec futuras contingenter occaſiones, nec res: cum ſint innumerabilia accidentia, quorum non poteſt eſſe præuiſio, nec ars, nec ſcientia, vt Ariſt. in 2. Phyſ. in 1. Poſt. & 6. Met. & Stoici, & Platonici, & Theologi omnes aſſeuerant experientiâ duce, niſi poſt factum eſſe. Verè etiam.

Bene ſcripſit S. Th. quod aliqui ſunt à cœlo bene nati, & malè, vnde fortuna: & in fortunia ſed tamen horum ſcientia in ſpeciali haberi non poteſt: quoniam pendet ex totâ fatali ſerie cauſarum neceſſariarum, contingẽtium, liberarum, ſeruilium, & Fati Auctore. q. 11.

scripsit D. Thom. quod in arbitrariis aliquando diuinant Astrologi: propter hoc, quod homines potiùs sensum stellis subditum, quàm rationem liberam sequantur. At hoc rarò, & quodam casu: diuinant solùm motiones primas, primosque animi impetus sensuales: at non deliberationes, quæ innumerabilibus variantur modis; vt patet, quando æstuat, aut pluit. Tunc quidem omnes Messores in campo vno metentes mouentur ad aliquid appetendum, vel agendum; & tamen diuersificantur mille modis alij enim mouent caput; alij crura; alij manus; alij sub arbores; alij sub tectum; alij cantant; alij irascuntur; alij cadunt in fossam; alij currunt &c. alia, & eadem aliter. Similiter in Naufragio diuersarum sortium homines eadem mors & hora rapit, & aliter animo & corpore patiuntur. Quapropter diuinationem etiam coniecturalem, & quia falsissima, & quia periculosissima præsertim cùm homo Decretis Astrologicis operationes suas adaptat, sæpissimè decipiendus, experientiâ teste; prudenter Pontifices, præsertim ingentis vulgaribus inhibuerunt.

Euentuum per accid. nulla datur scientia.

Quomodo Astrologi secundùm D. Thomam arbitrarios Euentus aliquando prædicunt.

Conclusio pro Bullâ contrà diuinationem coniecturalẽ

Ad 6. sunt exclamationes impiissimæ ignorantiæ. Possumus enim & cœlum spectare, & Physicas efficientias dicere, iuxta Psal. 8. *Videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum, Lunam & Stellas, quæ tu fundasti.* Sunt enim *in signa & tempora*, Genes. 1. quorum sunt causæ, sicut in Medicinâ, Nauigatoriâ, & Agricultura.

Mentiuntur etiam qui dicunt ex ignorantia adulatoria, per hanc Bullã nos non posse amplius Astrologos & Astrologismata reprobare: Nec Ariolorum, Necromantorum, Aruspicum, Sortilegorum, Geomantorum &c. neque dicta eorum recitare, ac confutare. Lex valet quantùm eius ratio, ait S. Thom. Ratio autem dictorum ex causis dicendi, ait Hilar. Causæ dicendi in Lege ex proëmio Legis debet sumi, ait Plato. Cùm ergo in porëmio Bullæ rationes assignẽtur, vt tollantur Prognostica superstitiosa, & pernicioſa Reipub. & priuatæ; non autem Disputatio contrà Astrologos, & Astrologis addictos: sed potiùs id mandetur; vt fiat. Quos enim ipse S. Papa, & omnes patres confutant nominatim, vtique & nobis, vt confutemus, est lex. Sed non vult fieri Prognosticum, aut aliam prædictionem superstitiosam de Statu Pontificis, & Ecclesiæ, posteáque improbando, dicere, *sed non credo*, ad eludendam Bullam: sicut quidam faciunt, proponentes Prognosticum secũdum Artem hanc, aut aliàm diuinationem: ac deinde improbant illud voce, quod mente tenent, aut alijs tenendum insinuant. Licet ergo Dogma Artem, positionem, & Conclusiones Prognosticorum etiam ex eorum dictis arguere, non tamen prognosticari, nec prognostica aliorum dicere, & seruare sub pretextu, quia non credimus; aut sub protestatione, quià execramur; sicut licet Arrianos Lutheranos, & Sophistas confutare: imò hoc præceptum est in Conc. Later. vt Philosophorum Dogmata Fidei contraria confutemus, & purgemus per S. Theolo-

Bulla vetat Prognostica facere: nõ autem facta reprobare: & Astrologos & Gentiles ex ipsorum principiis reuincere: & nostra Dogmata ipsorum testimonio & argumento ad hominem comprobare.

Cum Pontifex vetat nec improbat prognostica fieri, ac recitari: Negat fieri dolosè sub prætextu, quod non danda fides, nõ autem impugnari & improbari progno-

Artes & Artes omnes diuinatorias: nec argumenta ad hominem; vt vult minas prohibere P. M cum de decore Bullæ.

giam, & Canones. Hanc esse S. Papæ intentionem, liquet ex verbis Bullæ Vrbani VIII. *Insuper omnibus &c. Mathematicis, Arioli Aruspicibus, Vaticinatoribus &c. qui iudicia, Prognostica, aut quascunque prædictiones &c. super præmissis; etiamsi non certò affirmare protestentur, fecerint, aut ab aliis facta retinuerint &c. aut de iis quouismodo, & scripto, vel verbis tractauerint &. nedum excommunicationis &c. pœnam infligemus &c.* Non autem vetat nobis nominare, & per scientias confutare Astrologismata, Sortilegia, Geomantica, Decreta &c. huiusmodi. Imò vult, & facit, & iubet facere, S. Concilij Decretis omninò concors: Scioli autem, & quibus hæc displicet medela, torquent ad extremum vitiosum oculatissimi Pontificis verba,

Bulla non tollit locum Theologicum & Philosophicum: quo Goliã suo gladio iugulamus, vt putant imperiti, & & obloquuntur maledici impij. Sed tollit velamen impietatis, & fugam pænæ Astrologis facientibus Prognostica, ac per hoc mox dicentibus, se illis non credere.

Ad 7. Manet ergo firmus etiam locus Theologicus. Neque enim vetamur à Domino Papa, sed à Fausto Manichæo, positiones, & Prognostica Aduersariorum ex ipsorum dictis confutare; sicut ex Dictis Lutheri & Mahometis, & Aristotelis, Lutherum, Mahomettem, & Aristotelem reprobamus. Ait enim Princeps Apostolorum. *Parati sumus reddere rationem de eâ, quæ est in nobis, Fide &c.* Et Paul Tit. 1. Doctorem vult, *qui possit exhortari in doctrinâ sanâ & eos qui contradicunt, arguëre*, seu reuincere; vt legit Hierony At nullus fortior locus ad conuincendum eo, qui ex dictis Aduersariorum captatur; vt probat Aristot. 1. Post. Et in Elenc. & Plato, in cunctis suis Dialogis præcipit, & facit. Similiter D. Thom. 1. contrà gentes; siquidem & Apostol. idem facit, ex dictis Arati, Callimachi, & Epimenidis, Gentilium, contrà Gentiles, & contra Hebræos ex dictis Hebræorum, & Moyses ex dictis Balaam, Arioli omnes Arioles, & Pseudoprophetas reuincit. Item Aug Basil. Cyril. Arnob. Lact. Nyss. Euseb. Iust. Tertul. Orig. Clem. Alex. omnesque P. P. ex recitatis inimicorum dictis, inimicos. Sic & Moses & Mattheus Gentiles conuincunt in scientiâ ipsorum: & ex dictis Balaam, & Magorum. Propterea non est arbitrandum cum sciolis, quòd hunc mirificum locum & fortissimum Nobis prudentissimus Vrb. VIII. sustulerit, sed tantùm elusionibus Bullæ obuiauerit. Non ergo ligauit nobis manus: sed falsitates, & insidias nebulonum hac cautelâ præcidit.

Num. 14.

Ad 8. ergo nec oportet delere quæ scripserunt P. P. atque Scholastici, & Sixtus Sen. lib. 6 adnot. 10. contrà Astrologos, eorum dicta & Schemata priùs adducendo, & lib. 2. in verbo *Iesu Christi Magia &c.* Nec quæ Picus in 12. Libris citatis ipsorum verbis pugnauit. Matthæi ergo, & Moysis, & Sanctorum allegantium verba inimicorum Fidei, stant. At solum non licet facere, nec facta ab aliis recitare Prognostica sub ratione prognostici; quæ fiunt de D. Papa, & de Statu Ecclesiæ. De his enim loquitur Bulla: & propter hæc promulgatur. Cæterùm confutare iubemur, vbi necessitas Disputationis afluerit.

Iterùm contrà sciolos falsò interpretantes Bullam contrà Mosen & Mat. & P. P. & Scholasticos aperitur verus Bullæ sensus.

At prognostica secundùm Artem disserendi afferre & confutare, ne nostrum silentium, aut inscitia dictorum suorum, & artis, suspicionem, & Argumentũ faciat ipsis hostibus nos esse victos. Etenim iactare solent hærerici, & Philosophastri, nos nescire artes quibus nos impugnant, & timore perculsos non respondere. Sic Lutherus apud Rossensem exclamat. *Veniat Papa, & vniuersum chaos Thomistarum ad soluendam hanc ratiunculam.* Et Iuliani Cyrillus iactantias similes ex eisdem verbis retundit; & Aug. Pelagianorum, & D. Thom. Auerroistarũ, & hæreticorum &c. Et veteres hoc idem factitarunt P. P. & faciunt noui: quod nimirùm S. Pontifex & vult, & iubet. Imò & quæ dixerunt Diaboli & Ariolorum dicta pro Christo allegauit Moyses, & Iust. & Chrysost. & Niceph. & Lact. & Aug. qui dicta Hidaspis, & Sybillarum, quas putat Dæmone afflatas (vel dubitanter) imò Oracula Apollinis, & Daphnidis adducunt in testimonium veritatis: quæ vndique etiam ab hostibus habet confirmationem. Sic Diony Carth. ex dictis Mahomettis probat contrà Mahomettem Christum esse verbum Dei; & nos ipsorum vestigia sequentes, idem fecimus passim, non aliud, in ATHEISMO TRIVMPHATO, recitando & improbando necessitate disputationis; non vanitate prognosticationis. Nemo ergo ansam irridendi vllam hinc capiet, vbi ansam eludendi dumtaxat doctissimus & prudentissimus Pontifex detruncat.

Licet etiam verba Diabolorum pro Fidei confirmatione, & hostium confutatione adducere nedum hæreticorũ & Astrologorum.

Cætera pertinentia ad examen Astrologiæ, & aliarum artium in Metap. videbis, & quoniam sidera agunt motu, lumine, aspectu: & Aug. addit afflatum, & D. Thom. aptitudinem & fortunationem, conformiter ad istas Bullas, quamuis imperitis non sapiat, luculenter & ex toto quod hic ex parte, aperitur.

LAVS DEO.